
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
1 C
1

THOMÆ DEL BENE

CLERICI REGVLARIS S. THEOLOGIÆ PROFESSORIS.

DE Comitiis, seu Parlamentis,

Ac incidenter, & Corollariè de aliis moralibus materiis, præcipuè de Ecclesiastica Immunitate

DVBITATIONES MORALES.



LVGDVNI,

Sumptibus NEMESII TRICHET.

M. DC. XLIIII.





SANCTISSIMO PATRI, A C DOMINO NOSTRO VRBANO VIII. PONT. OPT. MAX.



ERITATEM, *quam ἀλήθειαν Græci dixère, & diuinam Plato interpretatur lationem, BEATISSIME PATER, his præterea laudibus extulère Veteres: vt ea* neque quidquam maius Homo accipere, neque dignius dari hominibus possit. *Pythagoras quoque ita cum Hominibus gratulatur: Et quod veritatem amplecti possent, eámque aliis, dum insinuant, beneficare,* ἀληθεύειν ϗ εὐεργετεῖν. *Ergo sapienter admodum aduersus Romanæ eloquentiæ Parentem Lactantius:* Nimium Socratis carcerem times; ideóque veritatis patrocinium suscipere non audes; Quid profuit vidisse te veritatem, quam nec defensurus esses, nec secuturus? *veluti indignum esse ea luce perfundi*

Plato in Cratylo.

Ælian. lib. 12. c. 59.

Lactant. lib. 1. c. 3.

hominem, qui agnitam, vel ab aliis productam, non ipse
in commune proferret, & in ea tutanda non omnia sub-
iret discrimina. Verùm ne eamdem accusationem in-
currerem, BEATISSIME PATER, *qui dum minimè*
inutilis Ecclesiæ filius audiri cupio; Tuque nobis in ea
asserenda sanctissimè præis; si quæ De Comitiis, & Par-
lamentis, tum de Donatiuis, ac Tributis; *mox etiam* de
Ecclesiæ Immunitate *ex animi sententia conieci ali-*
quando, ac tandem exscribere exorsus sum, non publicæ
luci darem, & usque ad sanguinis, vitæque prodigium
defenderem? Planè in his Disputationibus commen-
tandis, quas SANCTITATI VESTRÆ *humillimus*
Galat. c. 1. *offero, quemadmodum* nec carnem respexi, aut sangui-
nem, *ita omni animi ausu, nec hominum vultus timui;*
Ezech. c. 3. & qui dedit faciem meam valentiorem faciebus eo-
rum, *etiam animum & spem addidit, operæ pretium me*
facturum, si quæ dum viuerem fassus sum, etiam mor-
tuus loquerer, & haud ignauus cinis, è voluminibus do-
cerem, quæ interritus mundi Principibus coràm assere-
re non sum veritus: si
Hor. l. 3. od. 2. Dulce, & decorum est pro Patria mori,
Quid pro Ecclesia, ipsáque Iustitiâ & veritate? Inte-
rim bonum mihi sit pro illa defendenda ἀπόλιδα· *esse;*
quamquam nec me ἀπόλιδα *esse, sentiam, qui ad Sanctis-*
simi Ecclesiæ totius Parentis pedes prouolutus, iis beni-
gnitatis radiis excipior, foueórque, vt iam, & steriles
transmisisse annos reliquos putem, & hanc mihi primam
illuxisse

illuxisse diem; hanc vitæ limina aperuisse, qua & beatissimis pedibus sisti merui, cernuoque animum, viresque resumere contigit; & voces audire; & collatis etiam honoribus frui.

Pepererit fortè alibi aduersum me odium veritas; At hæc, quemadmodum Cyrenensis loquitur, vt ciuitate nulla indiget, *cui cælum scatebra, & fons, in me verò in id Oceanum allabitur, vbi & fidei Pater, & cæli interpres; cui diuinum illud præ hominibus cunctis concreditum munus, Orthodoxæ sapientiæ, & sincerioris doctrinæ vindicem agere, & assertorem; cuius vnius est aduersus omnes Catholicæ veritatis hostes, & Inferorum portas stare, & Ecclesiæ filijs lucem, aurámque puriorem impertiri, collatam tueri. Valeas* BEATISSIME PATER, *iterúmque valeas, & qui Petri vestigia sequeris, perenni Ecclesiæ bono etiam annos supera. Romæ, Kalendis Iunij, Anno Christi Domini M. DC. XLIII.* Synes. de Regno.

BEATITVDINIS VESTRÆ

Humillimus Seruus

THOMAS DEL BENE
Clericus Regularis.



PRÆFATIO AD LECTOREM.

PRODIT, atque vtinam in Dei honorem, tuúmque bonum, Lector humanissime, labor hic meus, in quo de Parlamentis, de Tributis, de Donatiuis ea digessi, quæ aliquã possent lucem afferre Confessariis, non modò & iis, qui curam animarum gerunt, sed Consiliariis viris, ac Senatoribus, & Rerum publicarum, Regnorúmque Administris, quorum sunt Terræ Cardines, & qui post Reges, supremósque Principes Orbem portant. Rem cœpi suis difficultatibus asperam, periculis refertam, odiis non infœcundam; verum si quisque nostrûm Angelus Domini exercituum est, & nostrum est, qui sacerdotio in Domo Dei fungimur, scientiam custodire quidem, non opprimere, omnem aleam subire libuit, nec in re, in qua sic procliue, pronúmque errare est, *verebor*, vt cum Sidonio loquar, *sub veritatis inuidia causam prodere veritatis*, cuius præsertim, vt Plato inquit, dulcedinem sola non gustat Auaritia. Nec discrimina, quæ in ea tuenda, adstruendaque, & quæ aliquando passus sum, me timidiorem, nisi etiam fortiorem reddidêre. Hæc mens, & scribendi occasio, & finis: Methodus eiusmodi est, nè lectorem meum quæstionum multitudine obruerem, controuersias quaslibet ad sua Principia, & veluti Dignitates reuocaui. Quo longè minor erit in tanta rerum varietate legentium labor, fortè maior vtilitas, ac fructus de mari ac flumine sic Comicorum Pater,

Viam qui nescit quà deueniat ad mare
Eam oportet fluuium sumere comitem sibi.

Ad veritatem in ingenti planè huius temporis scripturientium multitudine, ac sententiarum, & opinionum varietate etiam id potissimum præstat hæc via, vt citiùs ac longè maiori compendio, minori anfractu illuc lector perueniat, quò aliter fortasè nunquam hæc habui, de quibus in ipso operis vestibulo Te admonerem, Amice Lector, tu vigilias, laboré sque tuo bono, magnóque animo susceptos æqui bonique consulas, & valeas.

APPRO

APPROBATIONES.

MOrales Dubitationes de Parlamentis à P.D. Thoma del Bene S.Theologiæ Professore nostræ Congregationis, ex commissione Reuerendissimi P.D. Stephani Medices eiusdem nostræ Cōgregationis Generalis expendimus, & non solùm Catholicæ fidei, & bonis moribus consentire attestamur, sed etiam in ipsis eruditionem, facilitatem, & doctrinæ soliditatem agnóscimus, & ideò publica luce pro communi vtilitate dignas ducimus. Datum Romæ in Ædib. S. Andreæ de Valle V. Id. Iulij Anno MDCXLII.

D. THOMAS DE AFFLICTIS Sacræ Theologiæ Professor, Clericus Regularis.

D. ZACHARIAS PASQVALIGVS Sacræ Theologiæ Professor, Clericus Regularis.

D. STEPHANVS GVARADA S.Theologiæ Profess. Cler. Reg.

A. L. P. D. THOMASSO AFFLICTO che faccia gratia de dare il suo giudicio a quel opera, 12. Decemb. 1642.

F. REGINALDVS LVCARINVS S.Palatij Magister.

D. Stephanus Medices Præpositus Generalis Congregationis Clericorum Regularium.

HOc opus inscriptum (*Morales Dubitationes de Parlamentis*) *à R.P. D.Thoma del Bene S.T.P. nostræ Congregationis* compositum, & iuxta præfixam assertionem à PP. quibus id commisimus, approbatum, vt typis mandetur, quoad nos spectat, facultatem concedimus; In quorum fidem præsentes litteras manu propriâ subscripsimus, & solito nostro Sigillo firmauimus. Venetiis die XVIII. Iulij M. DC. XLII.

D. STEPHANVS MEDICES Præpositus Generalis Congregationis Cler. Reg.

D. IO. BAPTISTA LANFRANCH Secretarius.

EX commissione Reuerendissimi P. Reginaldi Lucarini Magistri Sacri Palatij diligenter perlegi Dubitationes de Parlamentis P. D. Thomæ del Bene Congregationis Clericorum Regularium, & nihil in illis reperi, quod sanæ doctrinæ, & bonis moribus aduersetur; in quibus res difficiles magna facilitate explicantur; gratas propterea, & vtilissimas Theologię Moralis studiosis fore censeo, & ideo in lucem edi posse iudico. Datum Romæ domi S. Andreæ de Valle, die 18. Decembris 1642.

D. THOMAS DE AFFLICTIS Clericus Regularis, Sacræ Theologiæ Professor.

Imprimatur. F. REGINALDVS LVCARINVS Sacri Palatij Apostolici Magister.

INDEX


INDEX DVBITATIONVM.

Subcorol

Sect. II.


Dubit.

DVBITA



INDEX MATERIARUM

Quæ corollariè, & incidenter in hoc Tomo tractantur.



De Bel-

DE CONSCIENTIA DVBIA.

12

DE CONSCIENTIA opinatiua, seu probabili.

DE LEGIBVS, STAtutis & Præceptis.

a 2 7 An

obligare

DE

DE SVMMO PONTIFICE.

57 *An,*

DE

DE CONCILIO Generali, & alijs Concilijs inferioribus.

DE IVRISDICTIONE aliorum, & præcipuè Archiepiscopi, & Episcopi.

DE PRINCIPE, seu Rege.

7 An



61 *An*

ab

DE

DE PROREGE.

DE IVDICE, Et Magistratu.

qui

62 An

80 *An,*

DE POENIS.

pœna

DE GRATIIS, Et Rescriptis.

ser-

DE PRIVILEGIIS.

G 35 An

cha-

DE CONSVETVDINE.

DE SVBDITO.

8 An.

DE CENSVRIS.

sil-

 iuris-

suа-

ex

DE CASIBVS, & Censuris reseruatis.

i 2 35 An

52 *An*

DE IRREGVLARITATE.

DE HAERESI.

gia-

pter

DE BELLO, ET DVELLO.

20 An,

DE RESTITVTIONE.

excom-

DE GABELLIS, Tributis, & Collectis.

m tio.

DE SVBSIDIO Charitatiuo.

tio-

DE HOMICIDIO.

DE VENATIONE.

et

DE CONTRACTIBVS.

inter

n vali-

DE DONATIONIBVS.

DE MVTVO.

DE EMPTIONE, & venditione.

DE NEGOTIATIONE.



DE

DE ACTIBVS, & Iudicijs in vtroque Foro.

DE

DE REO.

DE TESTE.

DE DENVNCIATIONIBVS.

DE APPELLATIONIBVS.

DE BENEFICIIS.

DE VOTO, ET Iuramento.

in

DE

DE IMMVNITATE Ecclesiastica.

45 *An*

cum

DE SACRAMENTIS in genere.

DE SACRAMENTO Pœnitentiæ.

DE INDVLGENTIIS, & Iubilæo.

DE SACRAMENTO Eucharistiæ.

cet

DE MATRIMONIO.

9 An

FINIS.

ERRATA.

Pagina.	Linea.	Errata.	Corrige.
22	5	Corollarij VIII.	Corollarij VII.
31	42	Corollarium II.	Subcorollarium II.
151	21	impedire	impendere
152, & 153	31 20	Doctores Inquisitores	Domini Inquisitores
154	42	patrem	fratrem
197	37	addita	addicta
223	6	vndecimò	secundò
323	41	Ecclesiasticus	secularis
355	13	sensu	censu

351 post num. 106. desunt hæc verba: Dicant eos, falsum dixisse

234 num. 5. post ly: *Præcedenti*, desunt hæc verba: Si autem sint noti, patet ex dictis in præsenti dubitatione.

67 num. 1. desiderantur hæc:

SVBSECTIO XXVI.

Proponitur circa dicta

Aduertendum.

209 num. 5.	11	Confirmatur vndecimò	Confirmatur secundò
ibid.	12	Et sic absolui posse	absolui potest



DVBITATIONES MORALES

De Comitiis, seu Parlamentis, ac incidenter, & Corollariè de aliis moralibus materiis, præcipuè de Ecclesiastica Immunitate.



DVBITATIO PRIMA.

An conuocare Parlamentum generale spectet ad Regem?

SECTIO I.

Proponitur Dubitationis Resolutio.

1 ESPONDEO affirmatiuè,& probatur à pari: quia conuocare Concilium generale propter bonum commune Ecclesiæ spectat ad Papam; ergo conuocare Parlamentum generale propter bonum commune Regni, spectat ad Regem. Antecedens patet ex *cap. significasti de elect. & dist. 17. per totam in decretis*; & habetur ex praxi, & traditione Ecclesiæ: sic enim testatur Iulius Papa apud Athanasium *Apol. 2.* Socratem *lib. 2. cap. 13.* Sozom. *lib. 3. cap. 7. & 9.* & Nicephorum *lib. 9. cap. 10.* sic etiam testatur Damasus Papa *epist. 4. ad Episc. Aphricanos cap. 1.* & Lucentius Legatus Romanus *in Chalcedonensi Concil. act. 1.* ac tandem sic testantur Patres *in Concil. Oecumenico act. 18.* & ratio est, quia ad Papam spectat ex officio bonum commune Ecclesiæ procurare; tum quia ad eum spectat Concilium generale conuocare, qui omnium nationum Episcopis cum auctoritate imperare potest; hic autem est solus Romanus Pontifex, tanquam aliorum Episcoporum, totiúsque Ecclesiæ caput, sicut appellatum reperies in Concilio Ephesino general. *tom. 2.*

cap. 15. *& in Chalcedonensi Act.* 1. *& in eodem Act.* 3. *in Epistola Synodica ad Leonem I.* ergo, &c. Consequentia probatur à pari: quia sicut bonum commune Ecclesiæ procurare ex officio spectat ad Papam; ita bonum commune Regni procurare ex officio spectat ad Regem; tum, quia sicut conuocare Concilium generale spectat ad Papam, qui omnium nationum Episcopis potest imperare, ita conuocare Parlamentum generale spectat ad Regem, qui Regni omnibus Baronibus imperare potest. Vide Caiet. *in opusc. de auth. Papæ, & Concilij, cap.* 15. *&* 16. Bellarm. *de Conc. lib.* 1. *cap.* 12. & Bellugam *in speculo Principum, rubr.* 1. *num.* 3.

2 Hinc sequitur, quòd quamuis Legatus à Latere amplissimam habeat potestatem, vt testatur Cucchus *Instit. maior. lib.* 2. *de Legat. Apost. tit.* 5. & amplissimam etiam potestatem habeat Prorex, vt testantur Freccia *de subfeudis, lib.* 2. *tit. quis dicatur Dux, num.* 33. & Regens de Ponte *de potestate Proregis in principio*, tamen iis non censetur collata potestas conuocandi Concilium, vel Parlamentum generale: ratio est, quia (vt docent Caiet. Bellarm. Belluga *in loco suprà citat.* & Couar. *pract. qq. cap.* 4.) per potestatem talem concessam huiuscemodi personis, non intelligitur concessa potestas alta. Videatur Caiet. *vbi suprà, cap.* 15. Bellar. *de Concil. lib.* 1. *cap.* 12. & Belluga *in loco suprà citato.*

3 Et quod dixi, sumitur *ex reg.* 81. *in* 6. vbi habetur, quòd in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus, quapropter inquiunt Doctores, quòd in priuilegio, seu facultate absoluendi ab omnibus censuris non censentur comprehendi censuræ in Bulla Cœnæ Domini, nisi exprimantur: & in priuilegio, seu facultate absoluendi à censuris in Bulla Cœnæ Domini, non censetur comprehendi censura propter hæresim, nisi speciatim explicetur: quia inter censuras in genere, censuræ in Bulla Cœnæ Domini, & inter censuras in Bulla Cœnæ Domini, censura ob hæresim, peculiarem reseruationem habere solent, propter rationem iam dictam: atque sic praxis, & stylus Curiæ ostendunt, & ex communiori docent Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 12. Suar. *de censuris, disp.* 22. *sect.* 3. *num.* 3. & Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 2. *cap.* 5. *num.* 2.

SECTIO II.

Proponitur circa Dubitationis Resolutionem positam Aduertendum.


Aduerte tamen, quòd sicut aliquando (si scilicet vrgeat necessitas) conuocatur Concilium generale sine Papa, de qua re Caietan. *vbi suprà*, & Bellarm. *cap.* 14. ita similiter, si vrgeat necessitas, id est, si res non patiatur dilationem, quia periculum est in mora, conuocari potest, ante Regis intimationem, Parlamentum generale, scilicet à Prorege, maximè ad instantiam maioris partis Baronum, quin imò, & iis negligentibus, ad instantiam cuiuscumque Baronis: atque ita docent Belluga *loco suprà citato, num.* 4. *cum seqq.* Abb. *in cap. cum olim, num.* 2. *de testamentis*, & alij. 1

Adde, quòd in simili casu, si scilicet vrgeat necessitas, & supremus Princeps, apud quem belli, & pacis ius extat ex August. *lib.* 22. *contra Faustum, cap.* 74. *&* 75. *cap. quid culpatur* 23. *quæst.* 1. & *l. extat, Cod. de eo quod metus causa*, absit, nec ad eum recursus facilè haberi possit, potest & Princeps subditus bellum, 2

lum, saltem defensiuum, inire, quamprimum id supremo Principi significando, vt rectè dixit Lælius Zechius *lib.1. de Principe, cap. 5. num. 4.* Et ratio est, quia sic in tali casu exposcit bonum commune: videatur Caiet. *vbi suprà*, Bellarm. *cap.* 14. Abbas *in citato cap. cùm olim de testamentis*, Belluga *loco suprà allegato, numero quarto, cum sequentibus, vsque ad finem*, & Decius *numero 19. in capite licèt de euit.* Nec id mirum videri debet, quia regula generalis exceptionem patitur, quotiescumque sic ratio suadet. Vnde in constitutionibus Principum ἐπιείκεια ortum habuit, vt si scilicet obseruatio legis hîc & nunc in aliquo casu extirpet finem legis, vel obsit Reipub. hîc, & nunc in tali casu lex non obseruetur: atque ita *in 5. & 6. Ethic.* tradidit Arist. quem ad hoc probandum citat Caiet. *in loco citato, cap. 15. in principio*, & ita habetur *in leg. prim. ff. de regulis iuris*, vbi id notant Doctores.

Confirmatur primò, quia sic fuit in 3
praxi receptum anno 1524. (vt *in capitulis, & priuilegiis Neapolis fol. 81. à tergo* videre est) & *anno 1621.* in Parlamento generali extraordinario conuocato ab Eminentissimo Cardinali Zapatta huius Regni Neapolis Prorege, necnon & in aliis multis generalibus Parlamentis.

Confirmatur secũdò, quia sic practica- 4
tur in Regnis Hispaniæ: ergo multò magis sic practicari debet in Regno Neapolis, & aliis Regnis, in quibus, cùm à Rege suo multùm distent, non est ita facilis accessus ad Regem, sicuti est in Regnis Hispaniæ.



DVBITATIO SECVNDA.

An si Rex in Parlamenti conuocatione attestetur, quòd sit in necessitate ad subueniendum sibi, vel bono communi, credendum ei sit in dubio à Parlamentariis, & Consiliariis?

SECTIO I.

Proponitur Dubitationis resolutio.



1 ONVENIVNT primò Doctores *infrà* citandi, quòd si euidenter constet de veritate in oppositum contra Regem, credendum Regi non sit. Ratio, quia in tantum Regi, si se esse in necessitate attestetur, credendum est, in quantum in dubio præsumitur pro ipso, cùm tantæ auctoritatis sit: at in casu posito euidenter constat de veritate in oppositum contra Regem, & veritati ex alio capite semper cedit præsumptio: ergo, &c.

Conueniunt secundò Doctores etiam *infrà* citandi, quòd si moraliter constet de veritate in oppositum contra Regem, credendum etiam Regi non sit.

A 2 Ratio,

Ratio, quia in tantum Regi, si se esse in necessitate attestetur, credendum est, in quantum in dubio præsumitur pro ipso, cùm tantæ auctoritatis sit,vti *supra* dicebā:at contra præsumptioné iuris admittitur probatio in contrarium,vt in specie tradunt Menoch.*de præsump.li.2.præsũp.* 10.*n.* 31.& Socc.*lib.2.consf.*164.ergo &c.

3 Tota ergo difficultas est, si Regi credendum sit in casu,quod neque euidéter, neque moraliter constat de veritate in oppositum contra Regem, & in tali casu

4 Respondeo negatiuè, præsertim si Regnum sit nimis grauatum tributis,quia si soli attestationi Regis, remotis aliis adminiculis, vel coniecturis,credendum esset in dubio à Parlamentariis, & Consiliariis, aperiretur via ad maximum inconueniens cum præiudio magno boni communis, vt scilicet quàm facilè multiplicentur donatiua in perniciem Regni prætextu necessitatis Regis, & cum quā ta veritate Deus sciret: & quamuis hoc inconueniens cesset in præsenti ob Religionem, & integritatem exactam nostri Regis, tamen quia semper extirpanda, & præcauenda sunt, quæ duci possunt ad inconueniens, & quæ de facili induci possunt in damnum boni communis,ideo Parlamentariis, & Consiliariis ad credendum Regi in dubio non sufficere solam Regis attestationem, dicendum est: ex quo enim agitur de totius Regni, vel alterius Communitatis tanto interesse, & præiudicio, præter Regis assertionem alia adminicula concurrant,necesse est: atque ita docent Decius *consil.* 576. *num.* 13. Ferdin. Loazes pro Marchione de las Velez *in* 3. *fundament.* pro dicto Marchione *num.* 6. Calicius *in in extrauagatorio Cur. Regal.*191. Pinellus *in rubr. Cod. de rescinden. vendit.* 1. *part.cap.*3.*num.*3. Felin. *cap.cùm à nobis, num.*1.*&* 2.*de test.* Guttierez *pract.lib.*4. *quæst.*11.*num.* 24. Gesse *decis.*131.*quæst.* 1.*sub vol.*2.*num.*12.*ad num.*22. quos refert, & sequitur Franciscus Ferrerius Iurisconsultus Hispanus *ad constit. hac nostra euident.*3.*num.*42.*fol. mihi* 61. idem dicunt quamplures alij Doctores, quos citat, & probat Ioannes Maria Nouarius *tom.*3. *de grauam. Vassallorum. grauam.*39 vbi ait, *quod non creditur Regi in præiudicium tertij. sed requiruntur tunc alia adminicula*, hæc ille. Idem docet Suarez *lib.*5.*de legib.cap.*15.in his verbis: *Secunda conditio ad iustitiam tributi necessaria est causa finalis, seu ratio*:ita sumitur *ex cap. peruenit de censibus*, vbi etiam significatur necesse esse causam esse notam;quia census ignorantiæ, vt *ibi* dicitur,id est, cuius causa iusta ignoratur, vt *ibidem* exponit glossa,nullo iure diuino, vel humano probatur:& ideo,inquit Pontifex, oportet, vt census omnis, ad quid,& quomodo persolui debeat, præsciatur, quod intelligendum est de censibus nouiter impositis, vel imponendis, sicut *ibi* sentit Glossa, vt notat Med. *suprà quæst.*14.nam de antiquis præsumitur causa iusta, licèt non sciatur,vt dicemus, imò etiam in tributis nouis, vt *infrà* dicam, non est necessarium, vt causa sit nota omnibus, & singulis de populo, oportet tamen, vt sit nota Principi, & Consiliariis eius,& Procuratoribus Regni, aut aliis, ad quos pertinet iustitiam tributi examinare;quia nisi Principi constet iustam interuenire causam, vel probabilibus rationibus, vel fide digna auctoritate, & iudicio suorum Consiliariorum, &c. non poterit iustè imponere, vel exigere tributum, quia temerè agendo non habet ius exigendi,& ideò nec retinere potest, quod sic exegit:nisi postea examinata causa, inuenerit iustum fuisse tributum, hæc ille. Idem tradit Emanuel Sa sub istis verbis: *Potest Rex ex causa rem vnius alteri dare, & locum Republic. communem sine Populi consensu*

consensu proprium in usum assumere, & reuocare suum contractum, & datum à se priuilegiũ, etiam remuneratorium, &c. *cum autem requiritur causa iusta, vt aliquid facere possit, non est ei credendum, dicenti esse causam iustam, nisi appareat*. hæc Sà.

5 Confirmatur, quia multi, & graues Doctores apud Lessium *lib. 2. de iust. & iur. cap. 31. dub. 3. & cap. 33. dub. 8. & cap. 41. dub. 9.* satis probabiliter docent, quod non tenetur in dubio inferior credere Superiori, si de proprio, vel alieno præiudicio tractetur, v. g. quòd non tenetur inferior obedire Superiori in dubio, quod opus, quod ei præcepit Superior, sit licitum, vel non licitum, aut in dubio, quòd præceptum Superioris hîc, & nunc sit obligatorium; sed vt ad id obligetur subditus, debet saltem moraliter subdito constare opus, quod præcipit ei Superior, esse licitum, & præceptum Superioris hîc, & nunc esse obligatorium.

6 Item, quòd in dubio, si Superior interroget iuridicè, id est, ordine iuris seruato, non tenetur subditus respondere ad mentem Superioris interrogantis, & crimẽ ei fateri, siue subditus interrogetur, vt reus, & sic vt principalis, siue etiam interrogetur, vt testis, & sic non vt principalis, sed vt ad id obligetur subditus, debet subdito saltẽ moraliter constare, quòd Superior interroget iuridicè, seu legitimè, & quòd habeat Superior auctoritatẽ hîc, & nunc obligandi subditũ ad talem actum.

7 Item, quòd in dubio, an vectigal sit iustum, vel non, non tenetur subditus ad illud, nisi saltem moraliter subdito constet, quòd sit illud iustum ex omni capite, vt ex parte causæ efficientis, finalis, formalis, & materialis: hæc omnia docent graues, & multi Doctores apud Lessium *locis suprà citatis*, & nos *infrà* in suis locis dicemus. Si ergo non tenetur in dubio subditus credere Superiori, si agitur de præiudicio proprio, vel alieno, multò magis non tenebitur in dubio Parlamentarius, & Consiliarius credere Regi, si agatur de præiudicio proprio, & Communitatis: & ratio à priori est, quia Consiliarij, & qui intrant in Parlamentum ad determinandum donatiuum, non se habent in ordine ad Regem, tanquam subditi ad Superiorem, cui in dubio se conformare licitè possunt, sed se habent, vt *infra* suo loco dicetur, tanquam Iudices à Rege ipso constituti ad donatiuum determinandum, atque adeo quodam modo, vt Superiores, quibus Rex potius in tali casu se conformare vult: ergo ipsi, antequam illud determinent, ex officio tenentur prius scire, & diligenter perpendere omnia, si nolint, sicuti rectè notauit Suarez *loc. suprà citat.* temerè agere, & sic iniuriam populo irrogare: atque adeò nolint ad restitutionem teneri; si fortè à parte rei non subsit iusta causa determinandi tale donatiuum, quod ipsi in Parlamento determinant: omne enim damnum mala fide illatum exigit iustitia, quòd compensetur, sicuti docent Doctores omnes *in materia de restitutione*, atque hinc patet disparitas ad illud, quod obiici potest de ministro iustitiæ, & de milite, quod scilicet Minister iustitiæ in dubio, quod sententia sit iusta, possit illam sine peccato exequi, & quod miles similiter, siuè subditus sit, siue non subditus, dummodò sit conductus tempore pacis, vt docent communiter Doctores; vel etiam si non conductus sit tali tempore sed sit voluntarius vt docent contra communem Petr. Nauarra *de restit. lib. 2. c. 3. n. 278.* Suarez *tract. de charit. disp. 13. sect. 6. n. 11. & 12.* Tanner *in 2. 2. disp. 2. 9. 6. dub. 4 n. 49* etsi de omni milite, etiam subdito, cõtrariũ non improbabiliter sentiant Vasq. *in part. 2. disp. 66. c. 9.* & Lorca *in 2. 2. sect. 3. disp. 53. n. 7.* quia in dubio tutior pars est eligenda, præsertim si de præiudicio Communitatis tractetur, in

dubio, quod bellum sit iustum, possit sine peccato militare; patet, inquam, disparitas ad illud, quod obiici potest de ministro iustitiæ, & de milite, quòd in dubio possint se conformare Superiori, (etsi contrarium doceant Lorca, & Vasq. vt modò *supra* dicebam,) quia nec minister iustitiæ, nec miles, siue subditus sit, siue non subditus, & si non subditus, siue stipendiarius tempore pacis sit, siue non stipendiarius tali tempore, sed solùm sit voluntarius, non se habet, vt Iudex, vel Consiliarius, sicuti se habent, Parlamentarij in nostro casu, quapropter optimè dixit ex communi Io. de la Cruz *part.1.p.5.art.3.dub.2.concl.2.* quòd miles dubitans de iustitia belli potest sine peccato bellare; quia ad militem, si aliàs non sit Iudex, vel Consiliarius, non attinet examinare causas belli, & sic retorquere potest argumentũ contra Aduersarios.

8 Vbi Parlamentarij, & Consiliarij notent primò id, quod dixit Belluga *in spec. Princip. rubr.* 43. *in fine*, quòd multò melius esset eis furari à priuato, quàm à Republica: & ratio est, quia infertur maius damnum.

9 Notent secundò id, quod dixit Vasq. *in opusc. de testit cap.6.§.3.num.76. & 86.* quòd cùm ipsi se habeant, vt Iudices, non sufficit, si sequantur opinionem probabilem, sed tenentur in conscientia sequi opinionem probabiliorem, & fortioribus munitam rationibus, de qua re tamen nos *infrà* dicemus loco suo.

SECTIO II.

Proponuntur, & soluuntur difficultates contra Dubitationis resolutionem positam.

1 OBiicies cum Capiblanco *de off. Baronum, tom.2. prag.1. cap.1. num.17.* & cum Doctoribus, quos citat, & sequitur Barbosa, vt cum Thoma Grammat. *decis.65. num.30. & decis. 105. num.9.* Laderchio *consil.* 145. *num.* 2. Cardin. Paris. *tom.* 1. *consil.* 1. *num.* 41. Rolando à Valle *lib.2. consil.* 1. *num.* 98. Oldrado *consil.* 258. Alex. *lib.2. consil.* 216. Ceuallos *contra commun. quæst.* 578. *num.* 26. Bobadilla *in polit. tom.2. lib.5. cap.5. num.* 11. Corsetto *in propugu. vectig. fol.* 46. Regente de Neapoli *in alleg. pro eodem vectig. fol.5.* Gloritio *in respons.1. part.3. n.131. & seqq.* Rastellio *lib.* 3. *de regim. Principum, fol.*130. & Diana *tom.1. tract. 3. de Parlam. resol.*11. vnicuique, quando attestatur de facto proprio, credendum est: ergo multò magis credendũ est Regi, ob ipsius superexcellentem auctoritatem; quapropter, dici solet, semper in Rege præsumitur in dubio iustitia causæ.

2 Confirmatur, quia alioquin exponeretur periculo bonum commune: si verum forsan esset, & non crederetur, quod Rex attestatur in casu prædicto.

3 Respondeo, quòd Regi, quando attestatur de facto proprio, credendum est, si non agitur de præiudicio, & interesse alterius; at si de interesse alterius, præsertim Communitatis, agatur, credendum non est, nisi pro Rege alia adminicula, & coniecturæ concurrant, præsertim ab eo, qui vt Iudex, vel vt Consiliarius se habet, vti *suprà* probabam.

4 Ad Confirmationem respondeo, quòd bonum commune exponeretur periculo proximo, quod in moralibus solùm attenditur, si pro Regis necessitate adminicula alia concurrant, aliàs nego tali periculo exponi; & si exponitur, ad summum exponitur periculo remoto, quod in moralibus non est considerationis.

5 Instabis: Contingere potest, quòd Rex verè sit in necessitate, & causam necessitatis Regem dicere Vassallis, etiam Proceribus Regni, bono publico non expediat: ergo tunc saltem periculo pro-

ximo


ximo exponeretur bonum commune, si soli Regis attestationi non stetur.

6 Respondeo si est, id esse rarò, & per accidens: at non quod est rarò, & per accidens, sed quod est, vt plurimum, & per se, attendi debet, præsertim in casu nostro, ne facilè modo, quo *suprà* dicebam, aperiatur via ad multiplicationem donatiuorum, sine necessitate, in perniciem Regni, & boni communis.

7 Cæterùm, quæ dicebam de Rege attestante suam necessitatem, nempe quod ei credendum non sit à Parlamentariis, & Consiliariis, nisi pro ipso concurrant alia adminicula, & coniecturæ, multò magis intelligas de Prorege, si in aliquo casu, vti *suprà* notabam *dub.* 1. sine attestatione Regis, Regis necessitatem ipse attestetur. Ratio, quia vtrobique sic exposcit bonum commune, ne facilè, modo quo *suprà* dicebam, aperiatur via ad multiplicationem donatiuorum sine necessitate, in perniciem Regni, & boni communis, sicuti *suprà* probabam.

Adde, quòd Prorex est inferioris auctoritatis ad Regem; quapropter Proregi non plus credendum est, quàm Regi. 8

Item secundò, quæ dicebam de Rege, si attestetur propriam necessitatem, & de Prorege, si attestetur necessitatem Regis, nempe quòd in Dubio eis à Parlamentariis, & Consiliariis, credendum non sit; nisi adsint alia adminicula pro Rege: intelligas etiam in casu de euidentia belli, & sic de euidentia necessitatis Regis pro tali bello, si tamen dubium est, quòd tale bellum sit iustum, & non adsunt præter attestationem Regis alia adminicula pro Rege, quòd iustum illud sit: nam & in hoc casu militant eædem rationes, quas *suprà* afferebam. Vide, si placet, Regentem de Ponte *in tract. de potest. Proreg. tit.* 4. §. 1. vbi citat pro hoc dicto Luc. de Pen. *in l.* 1. *Cod. vt rust. ad null. obseq.* & Capic. *in* §. *firmiter*. 9



DVBITATIO TERTIA.

An si Rex aliunde potest necessitati suæ, vel Regni, subuenire, v. g. suum statum restringendo, &c. donatiuum, seu tributum à Vassallis petere possit?

SECTIO I.

Proponitur Dubitationis resolutio.

1 Svppono pro dubitatione præsenti, quin pro toto tractatu de Parlamentis, quod donatiuum, quamuis nomine sit voluntarium, re vera tamen est necessarium, ita vt verè impositio dici possit, atque adeo, vt sit iustum, habere debeat omnes conditiones requisitas ad impositionem gabellæ, vel tributi: & ratio est, quia est loco seruitij, & pro Rege in bello, aliisque eius necessita

necessitatibus adiuuando, ad quod Vassalli omnes tenentur: tum quia ad Donatiuum concludendum non requiruntur Parlamentarij omnes, & singuli, sed sufficit eorum pars maior, vt in suo loco dicetur; tum quia binis, vel ternis quibúsque annis irremissibiliter petitur à Rege, cum expressis literis ad Proregem transmissis, pro cuius effectu, & executione Barones Regni, vel (vt in Sicilia) tria Regni brachia per particulares literas Regias ad Parlamentum conuocantur: atque ita contra Rastellium *de regim. Princip. lib.3. fol.* 133. docent cum communi ex Theologis Suarez *de legibus lib. 5. cap. 17. num. 7.* Molfesius *in summa, tom. 2. tract. 12. cap. 22. num. 36.* & citat Syluest. *verb. dominium, quaest. 5. num. 6.* & Iacob. de Graff. *part. 1. lib. 3. cap. 1. num. 7.* ita etiam docet Pontius *de impedim. matrim. causa 31. quaest. 2 §. 11.* & ex Iuristis ita docet Mastrillus *de Magistratibus, tom. 2. lib. 5. cap. 15. num. 29. & seq* Regens de Ponte *in decis. part. 1. decis. 3. num.* 14 Velasq. *consil. 99. punct. 4. num.* 18 Petr Tholosan. *lib. 24. cap. 5. num. 3.* Bolognet. *cons. 1.* Marin. Frecc. *de subfeud lib. 2. auctor. 3.* Giurba *in decis. tom. decis. 118. num. 2. & seq.* & alij passim, hoc supposito.

2 Respondeo negatiuè cum Med. *quaest. 13. Cod. de restit.* Lessio *lib. 2. cap. 33. dub. 6.* Vasq. *de restit. cap. 6. §. 1. dub. 2. num.* 23. Regente de Ponte cum aliis Iuristis, quos ipse adducit *tit. 4. in principio*: si aliunde tamen potest suae necessitati subuenire, v. g. restringendo statum suum, parciùs viuendo, quatenus id sine dedecore status sui facere potest: ita Doctores citati in loco *suprà* citato.

3 Secundò omittendo sumptus parùm necessarios, tam publicos, quàm priuatos: ita Doctores iidem *in locis vbi suprà*.

4 Tertiò, abstinendo se inposterum à prodigis donationibus, conuiuiis, &c. ita Doctores iidem *suprà* citati *in locis suprà citatis*.

Quartò, vendendo officia: haec enim propter necessitatem publicam (vt si summa pecuniae aliqua esset conflanda, quae aliter commodè haberi non possit) licitè vendi posse à Principe, docent Lessius *de iust. & iur. lib. 2. cap. 32. dub. 4* Aragon. *in 2. 2. quaest. 63. art. 2.* Ledesma *tom. 2. tract. 7. c. 1. concl. 15.* Salonius *in 2. 2. tom. 1. quaest. 63. art. 2. contr. 8.* Valentia *tom. 3. disp. 5. qu. 7. punct. 2. §. ad 3.* Malderus *in 2. 2. tract. 9. c. 1. dub. 5.* Rebellius *lib. 9. quaest. 18. sect. 2. n. 28.* Villalobos *tom. 2. tract. 8. difficult. 5.* Io. de la Cruz *part. 1. pr. 7. art. 2. dub. 10. conclus. 3* Syluius 2. 2. *q. 63. art. 2.* Tannerus *in 2. 2. disp. 4. q. 8. dub. 2. n. 24.* Azorius *tom. 3. lib. 8. c 7. q. 3.* Fillucius *tom. 2. tract. 34. part. 2. cap. 2. num. 44.* & Corduba *in summa, quaest.* 117. dummodo tamen officia dignioribus, quantùm fieri potest, &, ne detur occasio emptori multa iniquè extorquēdi, moderato pretio vendantur. 5

Neque obstant, quae quoad hoc in contrarium adducit Regens de Ponte *in tract. de potest. Proreg. tit. 3.* vbi probat, quòd officia, praesertim si iustitiae administrationem admixtam habent, sine peccato mortali vendi non possint: nam procedunt, quae *ibi* ipse adducit, si non adsint in venditione officiorum omnes quatuor conditiones, quas *suprà* dicebam: nempe primò, quòd vendens habeat auctoritatem vendendi. Secundò, quòd vendantur, quantùm fieri potest, dignioribus. Tertiò, quòd vendantur pretio moderato. Quartò, quòd vendantur ob Reipublicae necessitatem, vel magnam vtilitatem, quin si Princeps extra hunc casum publicae necessitatis, vel magnae vtilitatis, officium venderet, neque esset officij venditio irrita, peccaret tamen mortaliter, praesertim si hoc officium haberet aliquam iustitiae administratio- 6

nem;

nem, ex eo, quia ex officiorum venditione quamplurima incommoda contra bonum commune ſequi conſueuerunt, ſicuti docent Caiet. *in ſumma, verb. officiorum venalitas*, Sotus *lib. 3. quaeſt. 6. art. 4.* Nauar. *cap. 25. num. 7.* & alij Doctores paſſim. Quintò, vendendo titulos, dignitates, & ſimilia. Sextò, petendo à Potentioribus taxas, ſeu contributiones voluntarias. Septimò, vendendo, quæ habet, vt oppida, &c. vel ſaltem ea ad tempus locando, & ſimilibus aliis modis, quos breuitatis cauſa omitto. Vide Medinam, Leſſium, Vaſq. Layman, Regentem de Ponte, Raſtellium, Dianam, locis *ſuprà* citatis; & quæ *infrà in dub. 8. & 9.* dicentur.

7 Ratio autem Reſponſionis negatiuæ, quam notent, inquit Molina, Confeſſarij, & Conſiliarij Regum, præſertim ſi Regnum ſit gabellis nimis grauatum, illa eſt: quia cùm Rex ſit propter Regnum, & non è contra, ad differentiam Tyranni, debet ſuum priuatum commodum, ſicut & cuiuſcunque alterius particularis Vaſſalli poſtponere bono publico, ſi iuſtus eſſe velit, & non iniuſtus; ſeu ſi Rex eſſe velit, & non Tyrannus (ſi non ratione iniuſti tituli, quia iure poſſidet Regnum) ſaltem ratione iniuſtæ adminiſtrationis, dirigens adminiſtrationem Regni non ad bonum publicum, & commune; ſed ad ſuum regentis priuatum commodum, grauando ſcilicet Regnum iniuſtis exactionibus, vel leges, ſibi commodas, & publico parùm vtiles condendo; ſicuti docent Plato *lib. ciuili, vel de Regno*, Ariſt. 3. *Polit. cap. 5. &* 10. 5. *Eth. cap. 6. &* 8. *Eth. cap.* 10. & cum Ariſt. communiter Philoſophi: ita enim docet S.Thom 2.2. *quaeſt. 42. art. 2. ad 3. & de regimin. Princip. lib. 1. cap. 6.* & cum S.Thom. communiter Scholaſtici; & habetur prætereà *in tex. notab. in authen. vt Iudices ſine quoquo ſuffragio, circa principium, col. ſecunda*: & tradunt paſſim Summiſtæ *in verbo Tyrannus*, Caiet. Syluester, Armilla, Tabiena, & alij Doctores. Vide Sotum *lib. 3. de iuſtit. §. 1. dub. 2. num. 22.* & Leſſium *de iuſt. & iur. lib. 1. cap. 9. dub 4. num. 9 & cap. 1. dub. 3. num. 13* vbi ſubdit, quòd Rex comparatur ad Communitatem, non vt pars ad totum, ſed vt pars ad partem: nam tota Reſpublica ſe habet ad Regem, ſicut particularis perſona ad cuſtodem, quem ſtipendio ad ſe tuendum, & cuſtodiendum conduxit, & ob hanc cauſam ei ex officio incumbit publici boni curatio: quapropter Rex dicitur boni communis cuſtos; & ſi Regni adminiſtrationem ad ſuum priuatum adminiſtrantis commodum flectit, meritò non Rex, ſed Tyrannus vocatur. Vide etiam ex Iuriſtis Luc. de Pen. *in l. quicunque, Cod. de omn. agr. deſert.* Iſer *in cap. 1. de prohibit. alien.* & Regentem de Ponte *in tract. de poteſt. Proreg. tit. 6. §. 5. num.* 10. *& tit. ſecundo, §. 4. numero ſeptimo*. vbi docet, quod Rex debet vtilitatem Regni vtilitati propriæ præferre; vt propterea in eodem loco citato *num. 19. & tit. 4. de regalib. impoſit. §. 8. num* 40. dicat. quòd licèt Regnum ſit Regi datum tamen Rex eſt Regno datus propter Regnum, vt ipſum ſcilicet gubernet, & regat: quapropter Rex dicitur pater, maritus tutor & adminiſtrator Populorum, quibus præeſt quidem, ſed ipſorum cauſa, & mali & improbi dicuntur illi Reges, qui in imperio non niſi imperium cogitant, id eſt, commodum proprium, cùm hoc poſtponere debeant bono communi, præſertim quia in bono communi continetur & proprium, cùm vires Regis inſidant in viribus Regni: & è contra deſtruere Regnum ſit & deſtruere Regem.

Confirmatur, quia cùm Rex aliunde poteſt ſuæ neceſſitati ſubuenire, non eſt re vera in neceſſitate publica, propter 8

quam solùm licitè imponi potest tributum, sicuti *in materia de tributis* docent communiter Doctores, quapropter docent illi in tantum iustum esse tributum, in quantum imponitur propter necessitatem, vel magnam Reipublicæ vtilitatem, cui alia ratione subueniri non possit. Vide, si placet, S Tho. *in Epist. ad Ducissam Brabantiæ* Gabr. D Anton. Syluest. & alios apud Megal. *cap.* 17. Less. *lib.* 2. *cap.* 33. *dub.* 4. *num.* 41. Azor. *part.* 3. *lib.* 5. *cap.* 23. Vasq. *in opusc. de restit. cap.* 6. §. 1. *dub.* 2. Suar. *lib.* 5. *de legibus, cap.* 15. Molf. *tom.* 2. *summa, cap.* 22. *num.* 38. *& num.* 61. Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 1. *cap.* 3. & ex Iuristis vide Bellugam *rubr.* 11. *num.* 6. cum Borello, & aliis Doctoribus, quos ipse refert, & sequitur. Vide etiam Rouit. *super pragm. in rubr. de vectigalibus, num.* 9. *& seqq.*

9 Confirmatur secundò exemplis Principum Gentilium, ex quibus in hac re discere possunt Principes Christiani: nam Marcus Antonius, ne gabellis, ærario ob bella exhausto, populum oneraret, auctionem vestium Imperatoriarum fecit, vendiditque pocula aurea, crystallina, myrrhina, & vasa Regia, vestem vxoriam, sericam, & auxatam, & gemmas; vt refert Iulius Capitolinus *in Marco Philosopho*, & Erythrius Præfectus vrbis sub Zenone, cùm neque Fiscum sufficere videret, neque onus imponeret maius; Fiscus autem esset profusione Zenonis exhaustus magistratu abiit cum dolore Ciuitatis, vt refert Suidas *in verbo Erythrius*, & Troianus Cæsar dixit Fiscum esse lienem: nam sicut liene crescente in corporibus nostris, artus reliqui tabescunt, ita turgente Principis Fisco, reliqua Ciuitatis membra marcescunt, & ægrotant: quare si quis Princeps velit corpus Reipublicæ validum esse, oportet Fiscum non habere tumentem: ita scribit Philippus Beroald. *in periphras. ad vitam August. Cæsaris* & Philostrat. *de vita Apoll. lib.* 5. *cap.* 13. de officio Regis Vespasianum admonens: *nec ea* (inquit) *æstimes, quæ ex collatione tributorum a gemitibus hominum proueniunt: atrum enim, sordidúmque putandum est aurum, quod ex lachrymis oritur; diuitiis autem optimè vteris super omnes Reges, si cum egenibus eas communicaueris.*

SECTIO II.

Proponuntur, & soluuntur Difficultates circa Dubitationis Resolutionem positam.

Obiicies: Summa, quam Rex extraheret parciùs viuendo, & aliis modis, quos *suprà* in Responsione numerabam, vel similibus, non est sufficiens publicæ necessitati, quam Rex nunc habet, ergo. 1

Respondeo in casu, quòd ita est, exigat Rex (si adsint vires Regni, & cætera requisita ad iustitiam tributi, vt *infrà* in suis locis dicetur) per tributum reliquam summam ad complementum publicæ necessitatis, quam Rex nunc habet ad subueniendum bono communi. 2

Dummodo tamen primò tributum ad prædictam publicam necessitatem excessum non habeat: nam quoad excessum foret illud iniustum, vtpote non propter necessitatem publicam impositum, vti *supra* probabam: & vti in simili dicitur *in cap. quia plerique de immunitate Ecclesiastica*, & docent Doctores mox *infrà* citandi. Dummodo tamen secundò tributum (propter eandem rationem, quam *suprà* afferebam) applicetur ad illam publicam necessitatem, cuius causa est impositum, vel ad similem; si illa 3
cesset,

cesset, & alia surgat, vt cum Caiet. *verb. vectigalia* docent etiam Doctores mox *infrà* citandi, & sumitur ex S. Thom. *lib.2. de regim. Princip. cap.* 12.

4 Neque contra hanc doctrinam obstat text. *in l.fin. Cod. de his, qui ex pub. collat. lib.*10. vbi habetur, quòd impositio facta ad certam causam, non debet conuerti in aliam: quapropter Isern. apud Regentem de Ponte *de potest. Proreg. tit.* 4. §. 2. vocat abusum impositiones pro vna causa impositas conuerti in aliam: nam, vt optimè notat Regens de Ponte loco *suprà* citato: hodie propter imminentes, & graues necessitates Regis omnia confunduntur: & propterea id ex causa necessaria fieri potest, etiam per Proregē; & allegat pro hoc text. *in l.vnica, C. de expens.* Lodor. *lib.*11. vbi Luc de Pen. & Andr. de Barul. post Io. de Plat. qui distinguit, & allegat Bart. *in l.legatū, ff. de administr. rerum ad ciuit. pertinent.*

5 Dummodo tamen tertiò tributum (propter eandem rationem, quam *suprà* adducebam) cesset, si necessitas omnis publica cessat. Ratio, quia cessante causa (vtique necessaria, & in suo genere adæquata) cessat effectus, *cap. cùm cessante de appellat.* quod ita ferè explicat Glossa citans varia iura *in cap. post translationem de renunciat. verb. cessante*, & notant Doctores *in l. cùm pater, ff. de leg* 2.

6 Porrò, si vno ex his tribus requisitis deficiente, tributum adhuc exigitur, sequitur, quòd non exigatur propter publicam necessitatem (propter quam solùm in casu posito exigi illud licitè posse probabam) atque adeo sequitur, quòd tributum sit iniustum, vel quoad totum, modo *suprà* explicato, & consequenter sequitur, quòd Rex quoad excessum, vel quoad totum, ad restitutionem teneatur; & si Rex non restituit, teneantur cæteri, qui quomodolibet, vel iubendo, vel mandando, vel consulendo, vel consentiendo, vel laudando, vel adiuuando, vel tandem non impediendo, si impedire possent, & ex officio tenerentur, tributi causa moralis fuerunt; sicut & qui tributum exigunt; atque ita docent Gabriel *in 4. dist.* 15. *quæst.* 1. *art.* 2 Syluest *verb. Gabella* 3. *quæst.* 2. Suar. *de legibus, cap.* 15. Molfes. 2. *tom. summæ, cap.* 22. *num.* 62. Angelus *verb. pedagium*, §.6. Medina *quæst.* 13. *Cod. de restit.* Less. *de iust. & iur. lib.* 2. *cap.* 33. *dub.* 6. Vasq. *in opusc. de rest. cap.* 6 §.1. *dub.* 2. Azor. *part.* 3. *instit. Moral. lib.* 5. *cap.* 23. Alphonsus Castro 1. *lib. de lege pœnali, cap.* 10. & Petrus Nauarr. *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 255. vbi subdit, quòd si cessante publica necessitate non cessat tributum, necessitas publica assumitur pro forma, re ipsa autem fraus est, & rapina, pauperúmque oppressio, quæ doctrina maximè locum habet in tributis nouis, quorum causa, an, & qualis fuerit, cognoscitur, vel facilè coniectari potest; sed de hac re in locis suis *infrà* diffusiùs dicetur, vbi ponam alios casus, in quibus licitè potest Rex de nouo imponere tributa, vel vetera augere.

Obiicies secundò: Summa, quam Rex 7
extraheret parciùs viuendo, & aliis modis, quos *suprà* in Responsione dicebam, non est præsentanea ad præsentaneam, & vrgentem necessitatem, quam modò Rex habet, vt subueniat hîc, & nunc bono communi, ergo.

Respondeo in casu, quod ita est, exi- 8
gat Rex (si adsint vires Regni, & cætera requisita ad iustitiam tributi, sicut *suprà* annuebam) per tributum pecuniæ summam commensuratam necessitati præsentaneæ, quam habet ad subueniendum bono communi: nam cùm periculum sit in mora, & res non patiatur dilationem, ita sanè exposcit bonum commune: quin imò si adeo vrget necessitas, & Rex aliunde non habet, potest licitè

Rex sumere ab vna Ciuitate; & deinde, vt ei compenset, ne superexcedenter ad alias Ciuitates restet grauata, diuidere onus per Regnum, sicuti dixit Cyn *in l. neminem, Cod. de sacros. Eccles.* & Regens de Ponte *de potest. Prorez. tit.* 4. *num.* 3. plus addit. Iser. & Regens de Ponte *loco citato, num.* 38. *& tit.* 5. *num.* 35 quod licitè potest Rex in casu posito assumere bona priuatorum, & restituere postea, quando poterit. Ratio, quia in hoc est fauor boni communis, cui cedere debet bonum priuatum, cùm hoc sit minus bonum, quàm commune; quin & includatur in communi: quapropter meritò adeo attendendum est bonum commune, vt nulla ratio habeatur bono priuato, quin & damno priuato; exigere tamen debet Rex summam illam in casu posito, ita vt seruet tres conditiones, quas *suprà* dicebam, propter rationem *ibi* allatam, & ita vt postea faciat Regno debitam restitutionem, quam facilè facere potest, si collecta pecunia in Fisco ipsius asseruetur: poterit enim tunc, vel tributa ordinaria minuere, vel extraordinaria, quæ futuro tempore propter aliquam occurrentem necessitatem exigi possent, omnino intermittere, & pecuniam antè collectam ad talem necessitatem applicare. Sin verò pecunia tributi nomine collecta, à Rege, vel Antecessoribus eius consumpta sit, tunc Rex restitutionem facere poterit, parciùs viuendo, & recurrendo ad alios modos, quos *suprà* in Responsione enumerabam; vel ad similes, si sic satiùs videbitur: nam tenetur Rex Rempublicam in casu posito, læsam, & damnificatam restituere in integrum, & in se ab illa transferre damnum, quod à principio ipse pati debebat: sicuti patet ex iis, quæ *suprà* in Responsione dicebantur, & videri potest Mol. *tract.* 2. *tom.* 3. *disp.* 667 S. Antonin *part.* 2. *tit.* 1. *cap.* 13. §. 2. & Layman. *loco suprà citato, num.* 8.



DVBITATIO QVARTA.

An si Rex aliunde potest necessitati suæ, & Regni subuenire, v.g. contractus (quos cum læsione graui, vt cum alagiis, vel alio modo, &c. contraxit) ad limites iustitiæ reducendo, Donatiuum, vel Tributum à Vassallis petere possit?

SECTIO I.

Proponitur Dubitationis Resolutio.

1 RESPONDEO negatiuè, præsertim si Regnum sit gabellis nimis grauatum; & Responsio negatiua patet ex dictis *in Dubitatione præcedenti.*

Confirmatur, quia bonum particulare, vti in eadem Dubitatione dicebam, postponi debet bono communi, quin imò, vt *ibidem* probabam, adeo attendi 2

di

di debet bonum commune, vt nulla ratio haberi debeat damni particularis; quia in bono communi includitur bonum particulare: quapropter bono communi cedere debet bonum particulare: atque ita docet And. de Barul. *in l. ex omnibus. Cod. de decur. lib.* 10 & Regens de Ponte *de potest. Proreg. tit.* 1. *num* 26. vbi subdit, quod ex causa valde vrgenti, si sic exigat hic, & nunc bonum commune, potest Princeps auferre bona priuatorum, ac etiam priuilegia iis concessa reuocare, & citat Baldum, Luc. de Penna, Bellugam, Alex. Decium, & alios multos, quod tamen intelligas in sensu, quo *supra praecedenti Dubitatione circa finem*, & dicam *infrà in Solutione difficultatum Dubitationis praesentis.*

3 Tota ergo difficultas est, an licitè possit Rex contractus (quos cum laesione graui, vt cum alagiis, vel alio modo, &c cum aliquibus contraxit) ad limites iustitiae reducere, vt suae, & Regni subueniat necessitati, & pars affirmatiua probatur primò, quia Rex in praedictis contractibus, vti suppono, laesus est notabiliter: ergo habere in iis potest beneficium restitutionis in integrum. Consequentia probatur, quia *ex l.* 4 *Cod quibus ex causis maiores*, &c. Respublica iure minorum gaudet, ideoque beneficium restitutionis in integrum habet: ergo & Rex, sicut & quilibet alius supremus Princeps tale beneficium etiam habet. Vltima ista Consequentia probatur primò, quia bona Principatus alienata ad Rempublicam pertinent. Secundò, quia Princeps est Reipublicae caput: atque ita *ex cit. lege quarta*, deducunt communiter Doctores, vt videre est apud Tholos. *lib.* 3. *de Repub. cap.* 8. Less. *loc. cit.* & Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 11. *n.* 5.

4 Secundò probatur, quia Rex in praedictis contractibus, etsi scienter laesione graui est laesus, laesus est tamen necessitate ductus, vt subueniret bono communi, ad quod praesentanea pecunia tunc indigebat: at quando est iusta, & rationabilis causa, vt laeso per restitutionem in integrum succurratur, conceditur beneficium restitutionis in integrum, quibuscunque etiam maioribus natu, vt patet *ex tit. ff. & Cod. ex quibus causis maiores* 25. *annis in integrum restituuntur*, & tradit Abb. *in cap ex literis, num.* 11. *de in integrum restit. & in cap. tum ex literis, num.* 12. *eodem tit.* ergo multò magis concedetur Regi, qui Pupilli, & Reipublicae priuilegium habet, vt *supra* dicebatur. Affert tamen Abbas *vbi suprà* discrimen inter restitutionem, quae fit minori natu, Reipublicae, (idem dicit de Ecclesia, & quocunque alio loco pio) & inter restitutionem, quae fit maiori natu, quòd ad illam sufficit interuenisse solùm laesionem grauem, eo quòd laeso propter aetatis imbecillitatem secundùm quandam aequitatem Iudicis officio succurritur, & Ecclesiae, ac Reipublicae succurritur propter publicum fauorem: ad restituendum autem Maiorem natu, praeter laesionem grauem, requiritur etiam iusta causa, ob quam Iudex praesertim supremus, aequum esse arbitretur succurrere iuxta *l.* 1. *ex quibus causis Maiores* &c v g. si quis grauiter laesus fuerit, vt subueniret bono communi, vt est etiam in casu nostro; vel per id tempus, quo causa Reipublicae aberat, vel cùm in vinculis per seruitutem, hostiúmve potestatem esset: aut si qua alia iusta, & rationabilis causa videbitur Iudici in integrum restituendi, spectata aequitatis ratione, v.g. si quis enormiter laesus sit propter ignorantiam iuris valdè obscuri, aut dubij, praesertim si is ex rudibus sit, vt si rusticus, aut mulier, &c qui ignorant iura, sicuti ex Maranta, qui alios alios citat, refert Molina *disp.* 572. §. *Minibus*, & Less. *lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 67.

5 Tertiò probatur, quia qui prædicto modo contraxerunt cum Rege, exorbitans lucrum fecerunt percipiendo fructus, etiam quoad sortis excessum, in quo notabiliter Rex læsus fuit, cuius excessus fructus spectare ad læsum, non autem ad eum, qui contraxit cum læso, ex communi docet Couar.*cit.cap.3.num.1.* vbi multos adducit:ergo ex hoc capite etiam iusta,& rationabilis causa extat, vt Rex notabiliter læsus restituatur in integrum, præsertim si quod recuperat, in beneficium Regni conuertit, & ob id Regno nouum grauamen euitat.

SECTIO II.

Proponuntur Aduertenda quædam contra Dubitationis Resolutionem positam.

1 ADuerte, quòd beneficium restitutionis in integrum primò habent Minores, id est, qui annos 25. ætatis non compleuerunt, *l.1. & toto titulo, ff. de minoribus.*

Secundò Ecclesiæ, vt constat *ex tit. decret. de in integrum restitut.extrà,& in 6.& cap.auditis, eodem tit.*

Tertiò loca pia iuxta *l.omnia, Cod.de sacros.Ecclesiis,* & notat Abbas *in cap.1. de restitut.in integrum.*

Quartò Respublicæ,*l.4.Cod.quibus ex causis Maiores 25. annis in integrum restituuntur.*

Quintò Vniuersitates studiosorum, cùm in eis non pauci Minores 25. annis reperiantur, sicut notauit Abbas *in cap.1.de restitut.in integrum,* & videri potest Molina *tom.2. disp.574.* & Less. *lib.2.de iust.cap.17.dub.9.*

Sextò Vicecommunitatem habentes, vti docet Gaill. *lib.2.obseruat.62.arg.l.1.§.si heres iussus,§.vicis,ff.de legat.1.*

Secundò aduerte, quòd vt detur beneficiũ restitutionis in integrum, requiritur, saltem in foro externo intercessisse læsionẽ magnam, atque ita habetur *in l.scio, ff. de in integrum restit. & cap.penult. de reb.Ecclesiæ alienandis, vel non, iunct. gloss. verb.enorme,* & docet Abbas *in cap.1. num.2. de in integrum restitut.* vnde dici consueuit, quod minima non curat Prætor, vide Couar. *1.resol.cap.3.num.11* & Regentem de Ponte *tit.4.§.5.num.15.& 16.* vbi subdit, quòd ad hoc, vt detur restitutio in integrum in foro externo, requiritur, quòd intercesserit læsio magna, quæ fuerit in sexta parte, idque ex communi sententia Doctorum. 2

Tertiò aduerte, quòd quamuis, vt detur remedium ordinariũ *leg.2.C.de rescind.vend.* requiratur quòd læsio intercesserit magna vltra dimidium, tamen,vt detur remedium extraordinarium restitutionis in integrum(quod pinguiùs prouidet) sufficit quòd læsio intercesserit magna *infra* dimidium, vt *suprà* dicebatur: atque ita ex communi docet Regens de Ponte *loco suprà citato. num.23.* quin imò in foro interno sufficit multò minor Ratio, quia etsi in simili casu daretur etiam restitutio in integrum, adhuc non læderetur æqualitas, atque adeo adhuc non læderetur iustitia commutatiua, quæ per se æqualitatem tantùm attendit, vti docent communiter Doctores in materia de restitutione. 3

Quartò aduerte, quòd vt detur beneficium restitutionis in integrum, sufficit, si læsio fuerit magna; qualis *suprà* dicebatur; siue intercesserit illa in contractibus,locationibus,vel alterius generis: & ratio est, quia vbique militat eadem ratio; atque ita docent communiter Doctores, vt videre est aqud Gomezium *tom.2.cap.14* Lessium *lib.2.cap.17.dub.9.num.69.* & Regentem de Ponte *lo-* 4

co

eo supra citato, num. 58.

5 Sextò aduerte, quòd cùm hodie quadriennij spatium concedatur ad petendam restitutionem ex quacunque causa, iuxta *l. vlt. Cod. de temporibus in integrum restitut.* quadriennium in restitutione Minorum inchoatur ab exacto 25. ætatis anno, & sic durat vsque ad expletum annum 29. *l. vlt. citat. Cod. de tempor. in integr. restitut.* in restitutione verò Republic. (atque adeo, & Principis, vtpote Reipublicæ capitis, vel quia bona principatus alienata spectant ad Rempublicam, vti *suprà* dicebatur: idémque dicendum de restitutione Ecclesiæ, aut cuiuscunque alterius loci pij) incipit à tempore factæ læsionis, *cap. 1. de restit. in integrum in 6.* Ita tamen quòd si iusta causa subest, vt etiam post elapsum quadriennij spatium Reipublicæ, &c. restitutio in integrum concedatur, vtique & post illud elapsum tempus etiam concedetur, sicuti notauit Gloss. *in cap. 1. hoc tit. in 6.* & Abbas *cap. tum ex literis, num. 10. & seqq. eod.* & Molina *tom. 2. disp. 574.* inter alias autem iustas, quas *supra* dicebam, causas, illa est, (quæ sola sufficit) si læsio Reipubl. &c. magna fuerit secundùm viri prudentis arbitrium teste Gloss. & Abbas *in cap. 1. de in integrum restitut. num. 2.* Couar. *1. resol cap. 3. num. 11.* & Less. *cap. 17. num. 66.* Itaque ob iustam causam (si scilicet grauiter læsa fuerit Respublica, &c.) etiam post quadriennium numeratum à tempore læsionis, beneficium restitutionis in integrum Reipublic. &c. competere potest: & ratio est, quia fauor publicus (quæ causa est, vt in integrũ restitituatur Communitas, sicut & Ecclesia) sẽper manet, quare alia ratio est de Minoribus, qui solùm ob ætatis imbecillitatem restituuntur; ideoque postquam Maiores facti sunt, non ampliùs eis subuenitur, quàm intra quadriennium; nisi vel militiam interim exerceant, vel Reipubl. causa absentes sint, vel eiusdem Reipublicæ causa, alio modo damnum acceperint, vel alio legitimo impedimento, vt *supra* explicabam, detenti videantur, ob quod Prætor, etiam natu Maioribus subueniendum esse, causa cognita, decernere potest, & debet, iuxta *tit. ff. & Cod. ex quibus causis Maiores 25. annis in integrum restituuntur*, & tradit Abbas *in cit. cap. ex literis de in integrum restitut. & in cit. cap. tum ex literis eod. tit.* quæ, si non omnia, saltem aliqua, in Rege etiam locum habent, præsertim si quod Rex recuperat (reducendo scilicet contractus ad benigniores terminos intra limites iustitiæ) in beneficium commune conuerti & præterea sic nouam gabellam, alioquin imponendam, Regno deuitat.

SECTIO III.

Proponitur contra Dubitationis Resolutionem positam prima Difficultas, eiusque prima Solutio.

OBiicies primò: Rex, vel quilibet 1 alius supremus Princeps, tenetur stare contractui: ergo &c. Antecedens probatur, quia licèt Princeps supremus quodammodo non subdatur vni positiuo, (quia, vt dicit Iser. *in cap. 1. de Vassallis, decrep. ætat.* & Regens de Ponte *tit. 10. de donat. & expensis Vniuers. num. 24.* est is supra ius positiuum. quapropter potest illud tollere cum omnibus eius effectibus: subditur tamen iuri gentium, & iuri naturali: atque ita docet Innoc. *in cap. nouit de iud.* vbi dicit quod concessio facta à Principe, si transierit in contractum, est firma & irreuocabilis; & sequitur Ant. de Butr. *in cap. cùm M. de*

M.de constit. Ludouic. Roman. in consil. 252.*& in consil.*351 *num.* 22. Idem docet Syluest.*verb.Princeps*. vbi ait, quòd licet Princeps habeat plenitudinem potestatis, adhuc obligatur contractibus. Ratio, quia Deus subiecit quidem ei leges, sed non contractus, ex quibus est obligatus, dicitque opinionem hanc esse communem; idem docet Molin.*tom.* 3 *disp.*667. vbi ait, quòd si Rex non seruat pactum, seu contractum, tenetur in conscientia restituere tributum vel quidquid aliud accepit à Vassallis Idem docet Bald. *de vsu feud. in rubr. de natura feud* vbi dicit, quòd si Princeps inuestiuit aliquem de Baronia, vel Castro, non potest eum priuare sine causa, nec ipse, nec ipsius successores. Ratio, quia tam Princeps, quàm eius successores tenentur stare contractui: idémque repetit *in consil.*326. *vol.*1. & sequuntur Doctores *in l.*1 *ff.de constitut. Princip.*& Matth. de Afflict.*in constitut. Regni ea, quæ ad decus, num.*2. Idem docet Iason *in consil.*10.*vol.* 3 vbi tradit, quòd contractus Principis obligat ipsum, & successorem: additque, quòd hæc sit communis opinio. Idem docet Philipp. *in consil.* 70. *in hac consult. lit.D vol.*2. vbi ait. quòd contractus facti ab habente potestatem legis condendæ, habentúrque pro lege, & citat *l. Cæsar, ff.de public.& vectig. & l.penult.Cod. de donat.inter virum, & vxorem.* Idem tradit Belluga *in specul. Princip.rubr.*1 *num.* 12. vbi dicit, & eius successores ligantur contractibus iuxta *cap. primum de probat.* & citat multa alia iura, & Doctores, idémque repetit *in rubr.* 46.*n.*4. vbi ait, quòd Princeps contractus vult firmos esse, & non rescindi, etiam si sint facti cum Principe, vel Fisco, iuxta *textum notabilem, in l.ratas, Cod. de rescindenda vendit.* & rationem reddit, quia Princeps contractibus, etiam cum subdito initis, iure gentium obligatur. Idem tandem tradunt alij Doctores quos multos refert, & sequitur Borrellus *in addition ad rubr.*1.*Belluge, lit.N.*

2 Respondent aliqui *in l. digna vox, Cod. de legibus* negando Antecedens, scilicet quòd Princeps supremus teneatur stare contractui. & rationem reddunt; quia is habet plenitudinem potestatis; sed hæc istorum Doctorum responsio sic simpliciter prolata est falsa: vt patet ex rationibus, & authoritatibus *suprà* adductis; sicut & falsum est eorundem fundamentum; cùm ad summum supremus Princeps supra ius positiuum (non autem supra ius gentium, & naturale, seu diuinum) plenitudinem potestatis habeat, vt *suprà* dicebatur: quare cum distinctione potius ad argumentum sic

3 Respondetur primò: Rex, vel quilibet alius supremus Princeps, tenetur stare contractui: distinguo, si contractus sit onerosus, concedo; si contractus sit gratuitus, vel sit priuilegium ex mera liberalitate concessum, nego: nam tunc, præsertim ex causa, reuocare Princeps supremus illum potest: atque ita concludit Socin *in Conc.* 87.*visis num.*13 *vol.*3. allegans Baldum *in l. nupta, Cod. de Senat.* & huc spectat illa quæstio sæpe sæpius in Regno agitata: *An scilicet Ciuitas, vel Castrum factum de Demanio Regis possit iterum contra voluntatem subditorum infeudari per Regem*: nam per prædictam Soccini distinctionem solui optimè potest prædicta quæstio, de qua vide Abbatem *in consil.* 3. *volum.*2. Andr. de Isern.*in Reg.constit.dignum, & in cap.* 1. *§.similiter, num.* 27. *de cupit. qui cur. vend.* Socc *in cons.*4.*volum.*3 Luc. de Pen. *in l.*1. *C. de cupit. ciu. cens.lib.*10. Guido Papa *in decis. Gratianop.* 239. *& singul.* Curt. Iuniorem *in cons.* 174. Gulielm. Pernum *in tract. de Principe, numero* 22. Aymon. Crau. *in cons.*241.& antea *in. consil.*54. Matth. de Afflict. *in prælud. constit.*

stit. Regni, quæst. 24. & in cap. 2. § si quis fecerit, quo tempore miles in feudis, & in §. præterea, vbi Sigismundus Loffredus *eodem titulo*, & Rodericum *allegat. 9.*

SECTIO IV.

Proponitur eiusdem primæ difficultatis positæ secunda Solutio.

1 RESpondetur secundò, & multò magis ad rem nostram, distinguendo etiam Antecedens argumenti: Rex, vel quilibet alius supremus Princeps, tenetur stare contractui, distinguo; si causam rationabilem recedendi à contractu Princeps non habeat. concedo, si habeat, (quia sic scilicet exigit bonum commune) nego, *arg. l. qui fundo, Cod. de omni agr. desert. lib. 11.* atque ita docet Bald. *in l. fin. in princip. ff. de Senator. in l. fin. in princip. ff. de pœnis, & in l. penult. Cod. de donat. inter virum & vxorem*, Imol. & Anton. *in cap. cum M. Ferrariens. de constit. Ludouic. Rom. in consil. 352. n. 22.* Alexand. *in consil. 101. visis instrumentis, colum. 5. volum. 1.* Soc. *in consil. 58. super proposita, columñ. 1. in fin. vol. 3.* & Tiraq. *in tract. de pœnis in præfat. num. 41.*

2 Itaque cum causa rationabili (si sic exigit bonum commune) licitè potest supremus Princeps facere contra contractus, atque ideo, & contra priuilegia, etiam remuneratoria, ab ipso concessa, & sic per modum contractus se habentia: atque adeo licitè potest etiam facere contra ius cuiuscumque particularis loci, vel personæ, & multò magis licitè etiam potest facere contra leges, vnde sit

SECTIO V.

Proponitur ex Solutione secunda primæ difficultatis posita Corollarium primum.

EX dictis licitè potest Princeps reuocare priuilegia ab ipso concessa. Bald. *in l. qui se patris, Cod. vnde liberi*, Luc. de Pen. *in l. fin. Cod. de locat. præd. ciuil. lib. 11.* & Belluga *specul. Princip. rubr. 26. §. Princeps.* Vnde quamuis Neapolitanis concessum sit priuilegium (vt apparet ex *cap. 6. in lib. capitulorum, fol. 62.*) ne ipsis fiat confiscatio bonorum, nisi pro delictis criminis læsæ maiestatis diuinæ, vel humanæ, hoc tamen non obstante in dies sæpe sæpius mandata iis fiunt ex diuersis causis; pœnæque exiguntur, & signanter pœnæ mandatorum spretorum; nec non & in dies in præiudicium prædicti priuilegij multæ pragmaticæ, decreta, & banna fiunt, in quibus pœnæ pecuniariæ imponuntur, & exiguntur. Ratio, quia non tenetur Princeps (concurrente bono publico) priuilegia, vel leges sequi; sed omnes pœnæ in tali casu sunt ei arbitrariæ; sicuti rectè notauit Bald. Aret. & Salic. *in l. fin. Cod. vbi sen. vel clar. ff.* idque ob publicum bonum; in quo casu publica vtilitas præfertur priuatæ, cùm priuata includatur in publica, vti *suprà* dicebatur.

SECTIO VI

Probatur Corollarium secundum.

LIcitè etiam potest Princeps (si sic etiam exigit bonum commune) cogere Vassallos, vt frumenta, aliáque bona

na, quæ habent, vendant iusto pretio, quòd prudentium virorum arbitrio taxetur;& multoties etiam pretio viliori pro necessaria sustentatione Ciuitatis, Regni, vel militiæ,&c. de quo *in l. 1. Cod. de metal. lib.*10. qui est vnus de casibus, quo quis inuitus vendat: atque ita docent etiam Bart. *in l.1.§. cura carnis, ff. de offic. Præfect. Vrb.* Lucas de Pen. *in l. vnica in fin. vt nem. lic. in empt. spec. se excus. & in l. 1. Cod. ex quibus mun. lic. se excus.* Couar. *var. resol. lib.* 3. *cap.* 14. Afflict. *in proœm. constitut. Regn. quæst.* 3. vbi multas affert decisiones Præsid. de Franch. *in decis.* 9. & Io. Thom. de Minad. *in repet. constit. in aliqubus, in verb. Comitum, & Baronum, num.* 59. Atque hinc ortum traxit praxis, quòd tempore penuriæ per Proreges taxantur, qui frumentum, vel quid simile ad vitam hominis necessarium habent, vt vendant illud taxato quodam pretio, de qua re vide; si placet, Flor. *in l. si quid, ff. de vsufr.*

SECTIO VII.

Proponitur COROLLARIVM III.

1 LIcitè etiam potest Princeps(si is propter bellum iustum, quod gerit, frumento aliisve ad suum, & militum victum spectantibus indigeat) cogere Vassalos, vt illud emant, & ex diuersis locis, etiam longinquis (si opus fuerit) illud asportent in beneficium ipsiusmet Principis, & militiæ Principis, sicut & Ciuitas (si victualium penuriam patiatur, & commoditatem ea emendi non habet) licitè etiam potest cogere Ciues, vt vnusquisque iuxta vires, seu facultates suas, victualia emat,& ex diuersis locis etiam longinquis (si opus fuerit) illa exportet,& postea in beneficium Ciuitatis vendat; vel saltem, vt pecuniam ei mutuet, ad hoc vt ipsa Ciuitas, saltem emere victualia possit:ne tam ipsi, quàm alij Ciues fame consumantur: atque ita docent Io. de Plat Andr. de Barul Rebuf. Luc de Pen. aliique Doctores communiter *in l. 1. Cod. quibus mun. vel præstat. nem. lic. se excus.* vbi est casus: idémque tradit Iacob. *in tit. de homag. num.* 35. vbi, quod ob publicas necessitates possit Ciuitas cogere Ciues ad id, quòd *suprà* dicebam, adducit auctoritatem Angeli, & quamplurium Doctorum aliorum; quódque idem propter easdem publicas necessitates possit facere Princeps in ordine ad suos Vassallos, docent etiam communiter Doctores, sicuti videre est apud Moder addit ad Andr. *in tit. quæ sint reg. in verb. & extraordinaria collatio, vers. manus suas ad iniquitatem, in fin.* vbi nota cum Luc de Pen. quòd id, quod *supra* dixi, cum moderamine, seu cum proportione geometrica faciendum sit; nempe quòd ad id præstandum non eligantur saltem diuites: ita vt hi tantùm, aliis immunitate gaudentibus, obstringantur ad tale onus; sed quòd omnes, vel ad victualia emenda, vel ad victualia asportanda, vel ad pecuniam ad hunc finem mutuandam, æqualiter per æs,& liberam, seu secundùm vires, & facultates singulorum seruata proportione quadam geometrica, Ciues cogantur; quia (vt rectè dixit Io. de Plat post And. de Barul apud Regentem de Ponte *de potest. Proreg. tit. 2. num.* 9. ita est idoneus pauper ad modicum, sicut diues ad multum; & sic ad prædictum onus tenentur omnes, & singuli Ciues, siue pauperes, siue diuites illi sint; geometricè tamen, vti dicebam, pauperes scilicet, vt pauperes, diuites autem, vt diuites. 2

Quòd autem fieri possint impositiones, imò & possint taxari proportionaliter geometricè Ciues omnes ad pecu-

niam

niam mutuandam, ad emptionem victualium pro necessaria sustentatione militum, est casus *in l. vnica, Cod. vt nem. lic. emp. se excus. lib.* 11. vbi Luc de Pen. dicit textum habere locum secundùm communem Doctorum opinionem, tum in ordine ad sustentationem populorum tempore penuriæ; subdítque, quòd ita temporibus suis in praxi positum sit. Idem sentit gloss. *ibidem*, dum exponit *ly necessitate*, scilicet *belli, & famis*, vbi Bart. primò notat, quòd tam diuites, quàm pauperes, ad id tenentur tempore penuriæ, licèt diuitibus id necessarium non sit: & ratio (inquit ipse) quia id spectat ad publicam vtilitatem, cùm Ciuitas sine pauperibus perfecta non sit.

3 Secundò notat, quòd (ad hoc, vt Ciuitas minus damni patiatur) proportionaliter geometricè compelli etiam possunt Ciues ad emendum frumentum, vel quid aliud simile, qnod Ciuitas habet ad vendendum, in casu, quo corrumpi illud incipiat, vel in casu aliquo simili: nec quisquam ab hoc excusatur, licèt ei necessarium non sit. Ratio, quia sic etiam exposcit bonum commune, quod pariter facere posse Fiscum de suo frumento, dicit idem Bart quem sequuntur Afflict. *in cap. post natale ante num.* 8. *vers. & scias, de pac. ten.* & alij Doctores, quinimò propter eandem causam (vt scilicet Ciuitas, vel Fiscus minus damni patiatur) posse misceri frumentum vetus (licèt corruptum) cum nouo; vel posse vetus (licèt corruptum) distribui proportionaliter per Ciues, dixit idem Bart. cum gloss. *in leg.* 1. *C. de cond. in publ. horr. libr.* 10.

SECTIO VIII.

Proponitur COROLLARIVM IV.

LIcitè etiam potest Princeps (si sic necessitas vrgeat: atque adeo sic exigat bonum commune) compellere Vassallos (sicut & Ciuitas compellere Ciues) vt iusto pretio animalia, naues, vel similia, quæ habent, locent, causa asportandi frumentum, vel alia necessaria ad bonum commune, de qua re vide, si placet, Bald *in l. iubemus nullam, Cod. de sacros. Eccles.* & Regentem de Ponte *tit.* 4. *de regalib. imposition.* §. 2. *num.* 51. vbi subdit, quòd hinc fieri consuerunt ordinationes, quòd iusto pretio dentur alimenta mulis, & vecturis, & quòd pretia moderentur, & taxentur, & hoc sumptum esse dicit ex text. *in l. animalia, Cod. de curs. publ. lib.* 12.

SECTIO IX.

Proponitur COROLLARIVM V.

LIcitè etiam potest Princeps compellere Vniuersitates Regni, vt, beneficium commune ipsius Regni, proportione quadam geometrica attenta, exhibeant homines pro militia, pro remigando, pro fodiendo, cùm exercitus per mare, vel per terram ad bellum transmittitur, pro persequendo, & extirpando latrones, & pro similibus rebus aliis ad publicam vtilitatem ejusdem Regni pertinentibus, sicuti docent Lucas de Pen. & Capic. quos refert, & sequitur Regens de Ponte *titulo* 4. *de regal. imposition. num.* 48. *& seqq.* Atque hinc ortum duxit praxis, vt ad carceres pro delictis grauibus damnati, 1

C 2 trans-

transmittantur (donec eorum causæ expediuntur, ad regias Triremes, vt ibi inseruiant in beneficium Regni, quæ praxis, vt omittam caput publicæ vtilitatis, quia sic quidem exigit suadente necessitate bonum commune, in defensionem Regni, est ex aliis capitibus etiam non irrationabilis. Primò, quia vel digni postea tali pœna tales homines reperiuntur, & sic nullam, quod ad Triremes transmissi fuerint, iniuriam acceperunt; vel digni non reperiuntur, & nec etiam per hoc idem iniuriam patiuntur; quia interim debitam, & iustam mercedem, sicuti & alij, qui voluntarie ad remigandum se locant, habuerunt; quamuis pro carcere, qui sanè ipsis debitus erat, Triremę successerit. Secundò, quia cùm tales delinquentes sint homines facinorosi, & viles, non dissonum omninò à ratione videtur, quòd in Triremibus inseruiant Regi, à quo ipsis alimenta præstantur. Tertiò, quia cum per regias constitutiones, capitula Regni, & Pragmaticas, Barones possint, vt videre est apud Regentem de Ponte *loc. suprà cit. num.* 52. Vassallos sibi assumere pro seruitiis sibi necessariis, non est, cur hoc idem non concedatur Regi, qui est omnium Dominus iuxta ius, constitutiones, & capitula eiusdem Regni, vt apud eumdem Regentem *in eodem loco cit.* legere est.

2 Hinc ortum duxerunt banna, per quæ inutiles, & vagabundi homines, qui modum viuendi non habent, & ex alio capite nec aliis inseruire, nec laborare aliquo modo curant, ad triremes regias mittantur, quod fundatur tum *in text. leg.* 1. *Cod. de mend. valid. lib.* 11. tum in præsumptione indubitata, quod in futurum facinora, furta, & similia habeant perpetrare, cùm nullum prorsus modum viuendi teneant, & laborare omni modo recusent; quapropter rationabilia sunt prædicta banna, cùm tendant in publicam vtilitatem, & in securitatem Vniuersitatum, & Regni.

Vt autem licitè possit Princeps, sicuti *suprà* dicebam, per vim ex Vniuersitatibus assumere sibi Vassallos pro militia, pro remigando; pro fodiendo, cùm exercitus ad bellum trasmittitur; pro persequendo, & extirpando latrones, & pro similibus aliis rebus ad beneficium commune spectantibus Requiritur primò, quòd iis iustum stipendium præstetur; de qua re vide Regentem de Ponte *loc. cit. num.* 48. Secundò, quòd non sint bubulci, & similes homines agriculturæ vacantes, vt rectè Rispia *de potest. tit. de remed. praseru num* 217. & sequitur Regens de Ponte *tit.* 4. *cit. de regalib. imposition. num.* 50. alioquin enim Principis prouisio potiùs in damnum, quàm in beneficium commune tenderet; cùm omitteretur per hoc agricultura, quæ adeò est vitæ humanæ, atque bono publico necessaria; quapropter in beneficium talium hominum, (ad hoc vt culturæ, & messi vacare commodè possint) expediri per Proreges guidatica solent, ne culturæ, & messis tempore pro debitis ciuilibus ab aliquo inquietentur; de quo *in l.* 1. vbi Andr. de Barul. & *in l. coloni, la* 2 *Cod. de Agricol. lib.* 10. & Regens de Ponte *tit.* 10. *de insigniis & armis num.* 12. Tertiò, quod de proprio, & redditibus Regni nó valeat hìc, & nunc Princeps necessitati instanti prouidere; nam si valet, in conscientia non potest Princeps ad ea quæ suprà dicebantur, vassallos compellere; cùm commodum proprium postponere debeat bono communi, vt *suprà* dicebatur; quare si compelleret, ad compensanda damna illis obstrictus foret; & hinc Andr. *in prelud. feud.* 2. *quæst. num.* 34. & *in tit. quæ sint regalia, ante num.* 15. *vers. hæc vectigalia,* quem sequitur Regens de Ponte *loc. suprà cit. num.* 63. dixit, quod pro

pro his quæ suprà dicebantur, & similibus, non possit licitè Princeps impositiones facere de nouo; quia sicuti de iure spectat ad Principem subditis administrare iustitiam, ita & de iure spectat ad eumdem subditos ab incursu hostium & latronum custodire; cùm propterea perciplat redditus Regni, vt doanas, &c veluti stipendia ad hunc finem instituta; & quamuis Afflict. *in constit. Reg. incip.* super incisionibus authoritate quorumdam Doctorum, quos pro se *ibi* adducit, dicat, quòd impositiones, quæ fiunt in Regno pro persecutione delinquentium, & similibus rebus ad bonum commune pertinentibus, procedant ratione statutorum & consuetudinum particularium eiusdẽ Regni; id tamen mihi non probatur, nisi in casu, quod Regni redditus non sufficiant; nam non Regnum propter Regem, sed potiùs Rex debet esse propter Regnum, vti *suprà* dicebatur, & diffusiùs *in dubitatione tertia praecedenti* demonstrabam.

SECTIO X.

Proponitur COROLLARIVM VI.

Licitè etiam potest Princeps, si scilicet sic exigit bonum commune, constringere vassallos ad refectionem pontium & viarum, vt per Isern. *in constitut. Regni incip. si damna clandestina*, iuxta reg. text. *in l. ad instructionem, Cod. de sacros. Eccles.* & iuxta text. *in l. fin. Cod. de immunit. nem. conced. lib.* 10. Item constringere licitè potest eosdem ad refectionem murorum ciuitatis, iuxta text. *in l fin Cod. quib. mun. vel praest. eod. lib.* Item ad constructionem Turrium, illarúmque custodiam in locis maritimis pro defensione à piratis, cæterísque catholicæ fidei inimicis; licitè etiam potest ædificia prohibere, priuatorum sola occupare, quin Domos eorumdem diruere, pro viis ampliandis ad ornatum Ciuitatis, vel pro nouo porticu faciendo, vel similibus, &c. pro quibus imponere etiam licitè potest collectas; & eos, qui inde commodum percipiunt; taxare, vt iis, qui damnum patiuntur, satisfiat proportionaliter; de quo *in l. ædificia, C. de oper. publ.* & late per Auend. *de exeq. mand. part.* 1. *cap.* 19. *num.* 39. quapropter id indies videtur in praxi, vt videre est apud Regentem Lanarium *consil.* 4. & apud Regentem de Ponte *tit.* 4. *cit. num.* 66. & *tit.* 10. *de insigniis, & armis num.* 11.

SECTIO XI.

Proponitur COROLLARIVM VII

Licitè etiam potest Princeps (cùm sic exigit bonum commune, ad hoc ne Regnum restet inops, & spoliatum) sub certis pœnis constringere Vassallos, vt aurum, argentum, frumentum, vinum, equos, lignamina ad vsum belli deseruientia, & similia alia, quæ habent de Regno non extrahant sine licentia ipsius; ad quod comprobandum præter dispositiones de iure communi, vt *l. Cod. quæ res export. non deb. in l vnica, Cod. de litt. & itin cust. lib.* 12. & *in l.* 2. *Cod. de com. & mercat.* adsunt (vt legere est apud Regentem de Ponte *tit. in princ pio*) nonnulla Regni Capitula, & Pragmaticæ, quibus etiam prohibetur, ne pretium perceptum ex mercibus immissis in Regnum (quamuis non prohibeatur extrahi merces ex prædicto pretio emptas) de Regno extrahatur, quidquid in contrarium esse appareat quædam Regiæ Cameræ consultatio, quæ postea tractu temporis (re meliùs considerata) fuit

reuocata, vt apud eundem Regentem *loco suprà cit. num.* 4. videre est.

SECTIO XII.

Proponitur COROLLARII VIII. *Prima Ampliatio.*

HOc autem, quod modò *in præcedenti sectione* 11. dixi, nempe quòd licitè possit Princeps sub certis pœnis à Regno extractiones quarundam rerum impedire (si sic exigit Regni bonum cómmune) adeo verum est, vt quamuis sæpe sæpius per Regem, & Proreges concedantur tractæ, seu extractiones frumenti, vini, & similium, quæ extrahi à Regno per Regias pragmaticas (vt *suprà* dicebam) prohibentur: semper hæ concessiones intelligantur cum insita conditione, si scilicet Regnum iis rebus opus non habeat; idque propter eamdem rationem; quia sic exigit bonum commune Regni; quare Proreges, hac conditione non seruata, tractas concedendo perperam agerent, cùm inde sequi consuerint multa incommoda, penuriæ, ruinæ, & conturbationes totius Regni, in quo prudentes Ministri Regis summopere aduertere, & inuigilare tenentur, sicuti rectè notauit Regens de Ponte *vbi suprà, num.* 5. quare videant Proreges, ne propter amicitiam, vel sanguinis coniunctionem concedant tractas à Rege aliquibus largitas cum periculo damni, & penuriæ communis totius Regni: nam in omnibus tractarum concessionibus à Rege cuicumque largitis semper (vti *suprà* dicebam) subintelligitur conditio illa: *si scilicet Regnum iis rebus opus non habeat, & in se munitum remaneat*, idque propter rationes dictas.

SECTIO XIII.

Proponitur COROLLARII VII. *Secunda Ampliatio.*

SEcundò, quod *in eadem sectione* 11. dixi, adeò verum est, vt si Rex, vel eius Ministri, ad hoc vt consulant Regno, vel Ciuitati, impediant frumenti, vel aliorum victualium extractionem ad Romanam Curiam, non incidant in excommunicationem, Bullæ Cœnæ can. 8. latam contrà inuadentes, vel impedientes eos, qui victualia, vel alia ad vsum Romanæ Curiæ necessaria Romam vehunt; sicut neque, si pestis tempore prohibeant, ne quis reuersurus, Romam eat, incidunt in excommunicationem bullarem latam cótra impedientes eos, qui Romam eunt. ita Caiet. *vers. excommunicatio, cap.* 19. Nauarr. *in summa cap.* 27. *num.* 64 Graffi. *num.* 110. & Scortia *epitome* 166. *theorema*. 417. Sicut etiam neque in excommunicationem incidit paterfamilias, si vetet filium Romam deferre victualia, vel similia, ob periculum latronum, vel meretricum; ratio, quia in his, & similibus casibus is, qui impedit, vtitur iure suo; & impedimentum est iustum, & legitimum sine peccato, cum in prædictis canonibus prohibeatur solùm iniusta inuasio, & iniustum impedimentum, cum peccato mortali, quod excommunicatio necessariò supponit. Vide præter Caiet. Nauar. Graff. Scortiam *locis suprà cit.* Bald. *in l.* 1. *Cod. de his, quæ pœn. nom.* Gloss. *cap.* 1. *v. inferatis de statu* Monach. Sayrum *lib.* 3. *capit.* 12. *numer.* 4. Alterium *lib.* 5. *dist.* 9. *capit.* 4. Suar. Regentem de Ponte *vbi supra, num.* 8. qui, quod non contrahatur excommunicatio in casibus prædictis, docet ex eo, quia prima, charitas (vt inquit ipse) incipit à se ipso.

Vide

Vide Megalium *in 3. p. cap. 7. quaest. 1. num. 4. & 5.* vbi subdit, quod neque excommunicationem bullarem incurrit is, qui ob periculum saltem probabile, vel dubium, penuriae futurae prohibet extractionem praedictarum rerum ad Curiam Romanam. Vide Sousam *in explicat. Bullae Coenae c. 9. disp. 53. conclus. 1. num. 3.* qui idem ibi docet cum multis aliis Doctoribus; quamuis Genuensis *in pract. cap. Eccles. tricennario 21. quaest. 618. num. 2.* praedictam Doctorum opinionem moderandam meritò putet; si scilicet Summus Pontifex caput Reipublicae Christianae indigeret Romae cum suis Ministris; & ratio huius moderationis esse potest; quia caput, praesertim tale (qualis est Pontifex) caeteris membris omnino preferri debet. Vide etiam Vgolinum, quem citat, & sequitur Duardus *in Bulla Coena lib. 2. can. 8. quaest. 4. num. 2.* qui subdunt, quod, si Neapoli v g. adesset magna penuria frumenti, & ex vi ventorum Nauis frumenti onusta, Romam tendens, huc accederet, Prorex, vel eius Ministri illam simul cum frumento retinendo non incurrerent excommunicationem Bullae Coenae; & ad hoc probandum adducunt textum *in L. Praeses Cod. de seruit. & aqua, & in cap. discipulos dist. 5.* & ratio esse potest illa; quia qui aliena accipit famis necessitate compulsus, excusatur à culpa; atque adeo qui ex supradicta causa, victualia deferentes ad Romanam Curiam impedit, excommunicationis vinculo non alligatur; Nam, vt *suprà*, dicebam, & habetur *in cap. nullus 11. quaest. 3.* vbi lethalis culpa non contrahitur, ibi excommunicatio locum non habet; cum poena culpam excedere, aequum non sit: & quamuis Sousa *loc. suprà cit.* dicat opinionem hanc esse veram cum limitatione, si scilicet in Curia Romana non esset rerum, quae illuc portari impediuntur, indigentia; aliter enim impedientem non excusat à censura; cum ad impediendam delationem mercium, quae aliunde ad aliquem locum asportantur, ius nullus hominum habeat; haec tamen, Sousae limitatio sic absolutè prolata mihi non probatur; quia, vt ait Glossa *in cap. discipulos dist. 5.* in necessitate omnia sunt communia per tex. *in c. sicut dist. 47.* praesertim cibaria *ex l. 2. §. in eadem Naui in fin. ff ad leg. Rhodia de iac.* & ratio est, quia maximè rerum omnium ad vitam sustentandam sunt necessaria; admittenda tamen est dicta Sousae limitatio in casu, quod Summus Pontifex cum suis Ministris Romae indigeret, vt cum Genuensi *suprà* dicebatur.

SECTIO XIV.

Proponitur CORROLLARII VII. *Tertia Ampliatio.*

Tertiò, quòd *in eadem sectione 11.* dixi, nempe quòd licitè possit Princeps sub certis poenis à Regno extractionem quarumdam rerum impedire, si sic exigit bonum commune, adeo verum est, vt si quis ex rebus prohibitis extrahat à Regno quantitatem aliquam, quamuis damnum graue ex tali facto Ciuitati, vel Regno non proueniat, peccet tamen adhuc ille mortaliter, atque ita docent Sanch. *in summa tom. 1. lib. cap. 4. num. 8.* & alij; ratio est, quia in tali casu non debet spectari, quale damnum sequatur vno contrauenienté, sed quale, si multi contrauenient, & sic communiter fiat. Secundò quia alioquin finis legis frustraretur, cum nemo vt plurimum de supradictis rebus tantam quantitatem extrahat, vt ex tali facto magnum damnum Ciuitati, vel Regno sequi soleat, Castrus Palaus tamen non improbabiliter sentit oppositum, *tom. 1. tract. 2. disput. 2. punct. 7. num. 6.*

num. 6. vbi ait, quòd in prædicto casu non peccetur mortaliter, nisi quando ex rerum prohibitarum exportatione, Regnum, vel Ciuitas damnum graue patere-tur. Et si ab ipso petas, ex quanta mercium exportatione damnum graue Communitas Regni sentire censeatur, Respondet (regulariter loquendo) centum aureos circiter, vel merces huius valoris, vel arma decem militum esse grauem materiam, ex qua Regnum pati damnum graue moraliter censetur; secus autem si minor sit valoris quantitas, nisi fortè Regnum oppressum esset ab hostibus, vel ab aliqua alia simili calamitate.

SECTIO XV.

Proponitur COROLLARII VII. *Quarta Ampliatio.*

QVartò, quòd *in eadem sectione* 11. dixi, scilicet quod licitè possit Princeps sub certis pœnis à Regno extractionem quarumdam rerum impedire (si sic exigit bonum commune) adeò verum est, vt tali prohibitioni, (sicut, & aliis sæcularium Principum legibus,) subdantur. etiam Ecclesiastici, secundum vim directiuam tamen, & indirectè, non autem directè: & multò minus secundum vim coactiuam, coercitiuam, vel punitiuam, seu quoad personas, seu etiam quo ad bona ipsorum

SECTIO XVI.

Proponitur quartæ Ampliationis quoad primam partem probatio.

1 RAtio dicti in sectione præcedenti quo ad primam partem illa est; quia neque de iure diuino, neque humano eximuntur Ecclesiastici à legibus ciuilibus; quatenus hæ cum libertate Ecclesiastica, non pugnant; id est quatenus neque cum Sacris Canonibus, neque cum Clericorum statu repugnantiam habent, sed solùm ad Reipublicæ bonam gubernationem, ac quietem pertinent; cuius modi sunt leges, quibus taxatur pretium rerum; prohibetur aliquod genus armorum, præscribitur modus ædificandi, testandi, contrahendi, &c. atque ita sumitur *ex cap.* 1. *cap. quoniam, cap. de capitulis, dist.* 10. *cap. cum ad verum, dist.* 96. *& cap.* 1. *de noui operis nuntiat.* & ratio vlterius est, quia Ecclesiastici, in communi vitæ Societate viuentes, sunt etiam ciues, & membra Reipublicæ; ergo naturali ratione æquum est, quod & ipsi etiam præstent, quæ ad communem Reipublicæ gubernationem necessaria sunt: *turpis enim omnis pars est, suo vniuerso non congruens*, ait S. August. 3. *confess. cap.* 8. Confirmatur, quia qui sentit commodum, debet sentire, & incommodum, iuxta *reg.* 55 *in* 6. Sed Ecclesiastici communibus Reipublicæ commodis, & priuilegiis fruuntur, ergo par est, quod ipsi etiam communem cum aliis obligationem suscipiant, quæ ipsorum statui, libertati, ac Canonicis priuilegiis non repugnat; & ideo si prohibita extrahi, à Regno extrahant (in notabili saltem quantitate, vti *suprà* dicebatur) peccant mortaliter, sicuti peccant & laici. Item peccant mortaliter, si vendant frumentum verbi gratia; vltra pretium à Principe taxatum, nec non & ad restitutionem tenentur; quia contra iustitiam peccant; idémque dicendum de aliis similibus casibus, atque ita (quidquid in contrarium dixerit M. Antonius Genuensis *in praxi cap.* 74. *per tot.* & dicere etiam videatur Nauarr. *lib.* 1. *concil.* 3. *de constit. num.* 4. §. *tertio, edit.* 2.) docent

docent communiter Canonistæ *in cap. Ecclesia de constit. & cap. 1. de noui operis nunciatione*; legistæ *in l. cunctos populos Cod. de summ. Trinit.* Theologi, & Summistæ *in verb. lex*, Angelus *num. 5.* Syl. *quæst. 15. san. 11.* Victoria *relect. 1. de potest Eccles. quæst. vlt. prop. 4.* Barth. Medina *1. 2. quæst. 96. art. 5. dub. vlt.* Nauarr. *cap. 23. num.* 88. Bellarm. *lib. 1. de clericis, cap.* 28. Vasq 12. *disput. 176. cap. 4.* Suar. *lib. 3. de leg. cap. 34. & lib. 4. defens. fidei cap. 16.* Ioan. Salas *disp. 14. sect. 8.* Sotus *de iust. lib. 1. quæst. 6. art. 7.* Molina *tom. 2. tract. 2. disput. 31. num. 15.* Salonius *tom. 2. in. 2. 2. quæst. 77. art. 1. controuers. 10.* Ledesma *tom. 2. tract. 8. cap. 32. diffic. 4.* & alij, quos refert, & sequitur Salgado *de protect. Regia tom. 1. part. 1. cap. 1. num. 64. pral. 2.* Ceuallos *tract. de cognit. per viam violentiæ in prolog. num. 30.* & Peirinus *de priuileg. Minimorum tom. 1. constit. Iulij 11. §. 33. num. 151.*

2 Hinc etiam Ecclesiastici tenentur obedire legibus Principis sæcularis taxantibus pretia censuum, vt in specie notauit Auendagno *tract. de censibus* hisp. *cap. 32. num. 10.* Lassarte *de decima vendit cap. 10. num. 3.* Mexia *in prag. taxæ panis concl. 5. num. 39.* Salas *de empt. & vendit. dub. 9. num. 2.* & alij Doctores.

3 Vbi Aduerte, primo, quod Ecclesiastici subduntur, seu obligantur Principum sæcularium ciuilibus legibus, dummodo eæ communes sint, id est ad totam communitatem ferantur, boni publici causa: Nam Ecclesia non recipit, sed reprobat eas sæcularium Principum leges, quæ de Ecclesiasticis bonis, aut personis speciatim decernunt, præcipiendo, vel vetando, quamuis Ecclesiæ fauorem aut patrocinium continere videantur, sicuti habetur expresse *in cap. 1. dict. 96. & c. Ecclesia de constit.* & ratio est, quia eiusmodi legibus prætenditur directa laicorum Principum iurisdictio super Ecclesiasticos, si quidem leges ferre iurisdictionis actus est, talis autem potestatis vsurpatio immunitati Ecclesiasticæ repugnat, ergo &c. Qua propter per similes leges maius Ecclesiæ præiudicium infertur, quàm commodum afferatur; sicuti recte notauit Angelus *ver. lex num. 5.* Suar. *cit. cap. 34. num. 13. & cit. cap. 16. num. 7.* & traditur clare *in cit. cap. Ecclesia.*

Hinc colligit Abb. *in cit. cap. Ecclesia num. 10. & in cap. præsentia, num. 28. de probat.* quod leges imperatoriæ (quales extant v. g. *in tit. Cod. de Sacrosanctis Ecclesiis, & auth. eod. tit.* nisi canonico iure sint receptæ, & approbatæ) nullius roboris sint tanquam profectæ ab eo, qui non habet potestatem.

Secundò colligit idem Abb. *in cit. cap. Ecclesia, num. 21.* quòd dicta doctrina locum habeat in bonis Ecclesiasticorum, etiam patrimonialibus, seu propriis, idque clare probatur sic: non potest lex ciuilis aliquid disponere de bonis Ecclesiasticorum, nisi obligando illos ad huiusmodi legis obseruationem; quia bona adhærent personæ, ideóque lex disponens circa bona obseruari necessariò debet à personis; sed lex ciuilis non potest speciatim obligare personas Ecclesiasticorum: ergo nec de illorum bonis speciatim aliquid disponere Vel sic: lex non fertur sine iurisdictione, nemo autem habet iurisdictionem, seu potestatem disponendi de bonis alicuius, nisi etiam super personam iurisdictionem habeat; quare cùm laicus superior non habeat iurisdictionem in personas Ecclesiasticas, sequitur, quòd neque iurisdictionem, seu facultatem de illorum bonis disponendi habere possit. Vide Suar. *in cit. cap. 16. num. 12.* & Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 13. num. 3.* 4

Limitari tamen hæc doctrina debet 5
primò,

primò, nisi bona seu Ecclesiæ, seu Ecclesiasticorum proprio merè reali onere Principi sæculari obstricta fuerint, antequam ad Ecclesiasticos transirent, sicuti meritò dixit Abb. *in cit. cap. Ecclesia, num.23.* nam res transit cum onere suo, *cap. ex literis, de pignoribus.* Item nisi cum tali pacto, vel conditione Ecclesiæ, vel Ecclesiasticis personis illa data sint, vt tamen sæcularium iurisdictioni vel exactioni alicui subdantur, *arg. cap. verum, de condit. appositis.*

6 Secundò limitari debet, si dispositio ciuilis de bonis, vel etiam personis Ecclesiasticorum non sit præceptiua, sed solùm permissiua, & priuilegiatiua, vt si v.g. statuto caueatur, *quòd Clerici primogeniti ad feuda, maioratus, &c. sint admittendi*, valebit statutum, teste eodem Abb. *vbi suprà, num. 16.* cuius rei ratio illa est, quia dare priuilegium non est signum superioritatis; cùm etiam non subdito priuilegium dari possit.

7 Aduerte secundò, quòd Ecclesiastici generatim subduntur legibus Principum sæcularium, in quorum scilicet Regnis, vel Prouinciis vitam degunt: nam licèt summorum Pontificum *suprà* citati Canones solùm dicant, quòd legibus Romanorum Imperatorum Ecclesiastici subdantur; tamen eædem rationes cogunt nos dicere, quòd etiam aliorum Regnorum leges communes, ac iustæ ab Ecclesiasticis obseruandæ sint, & hoc consuetudo, scientibus, & approbantibus Ecclesiæ Prælatis, iamdiu introducta videtur confirmare.

SECTIO XVII.

Proponitur quartæ Ampliationis quoad secundam partem probatio.

Ratio dicti *in sectione 15.* quoad secundam partem (quòd scilicet Ecclesiastici sæcularium Principum legibus indirectè subdantur) illa est, quia dictamen naturale dictat, quòd Ecclesiastici leges sæculares sequantur, ad hoc vt conformitatem, seu congruitatem seruent cum personis sæcularibus eiusdem Communitatis, veluti membra eiusdem corporis, vti *suprà* cum S. August. 3. *confess. cap.8.* dicebam: atque ita contra Sotum, Victoriam, Medinam, & alios tenentes oppositum, quos citat, & sequitur Salas *de legibus, disp. 14. sect.8. num.94. & 104.* probabiliùs docent Vasq. *in 1. 2. tom.2. disp.176. cap.4.* Tannerius *p.1. lib.5. cap. 12. quæst.3. & p.2. lib.9. cap.7. quæst.8 9. & 15.* Pesantius *tract. de immunit. Ecclesiast. disp.4.* & alij.

SECTIO XVIII.

Proponitur quartæ Ampliationis quoad tertiam partem Probatio.

Ratio dicti in sectione decimaquinta quoad tertiam partem, quod scilicet Ecclesiastici sæcularium Principum legibus non directè subdantur, illa est, 1
quia nemo tenetur directè legibus eius, qui in ipsum non habet potestatem, & iurisdictionem, sicut docet S. Thom. *in p. 2. quæst.96. art.5.* & constat *ex l. fin. ff. de iurisdict. omnium iudicum*; sed Principes sæculares non habent iurisdictionem in personas Ecclesiasticas, sicuti decernit Innocentius III. *in cap. Ecclesia sanctæ Mariæ, de constit.* & *in cap. placuit 16. quæst.7.* & *in cap. sæculares, de foro compet. in 6.* ergo, &c. Quare probabilius dicitur, quòd Ecclesiastici ciuilibus Principum sæcularium legibus non obligentur directè, id est, præcisè ex vi ipsarum legum, aut potestatis legislatricis ciuilis, (cùm

(cùm ab ista omni iure illi exempti sint, iuxta Lateran. *Concil. sub Leone X. sess. 9. in Bulla, quæ incipit superne dispositionis*; vbi dicitur: cum à iure tam diuino, quàm humano laicis nulla potestas super Ecclesiasticis personis attributa sit; & Innoc. III. *in cit. cap. Ecclesia de constitut.* vbi habetur, quod laicis super Ecclesiasticis personis, & Ecclesiis nulla sit attributa facultas imperandi) sed quòd obligentur solùm indirectè; quia scilicet id naturalis æquitas, (vti *supra* dicebam,) postulare videtur; cùm alioquin communis pax inter ciues difficilè obseruari posset, quæ ratio mouit summos Pontifices, aliosque Ecclesiæ Prælatos, vt eiusmodi iustas Principum leges approbarent, & Ecclesiasticis omnibus obseruandas præciperent; imò etiam vellent secundùm eas in foro Ecclesiastico iudicari, vbi canones deficerent; sicuti constat *ex cap. innotuit de arbitris, & cap. 1. de noui operis nunciatione*, vbi dicitur: *sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita & sacrorum statuta canonum Principum constitutionibus adiuuantur.* vbi id etiam Gloss. *annotat verb. adiuuantur.* atque ita contra Sotum, Victoriam, Medinam, & Salas *loco supra citato.* præter Vasq. Azorium, Tannerum, & Pesantium vbi suprà docent Suarius *lib. 3. de legib. cap. 34. num. 12. & lib. 4. defens. fidei, cap. 16. num. 14.* Bellarmin *in Apologia contra Regem Angliæ*, Vigianius *in tract. de immunit. Eccles. disput. 2. conclus. 5.* Villalobos, *tom. 1. tract. 2. dub. 31.* Portel. *verb. lex.* Filliucius *tom. 2. tract. 35 cap. 4. num. 94.* Faustus *in speculo confess. disp. 6. quæst. 44.* & Barbosa *in collect. lib. 1. decret. tit. 2. c. Eccl. S. Mariæ de constit. num. 4.*

2 Aduerte, quod etiam in opinione Doctorum affirmantium, quòd Ecclesiastici directè legibus Principum sæcularium subdantur, secundùm vim scilicet directiuam; non sequitur (etiam per ipsos) quod iisdem legibus Principum sæcularium Ecclesiastici subdantur secundùm vim etiam coactiuam, & punitiuam; id est, quòd possit potestas laica propter transgressionem legum ciuilium Ecclesiasticas personas punire; sed dicendum quod querela delata ad proprium Ecclesiasticum Iudicem, ab eo Ecclesiasticæ personæ contra ciuilem legem delinquentes pœna condigna affici debent; siue eadem, quæ ciuili lege in laicos constituta est, siue potiùs (vt mox dicam) alia arbitraria mitiore, sicuti rectè docent Couarr. *in pract. quæstion. cap. 33.* Rodriq. *tom. 1. regul. 99. quæst. 66. art. 2. reg. 8. & 9.* Vasq. *cit. disp. 176. c. 4* Suar. *cit. cap. 34. num. 18. & cit. cap. 16. num. 20.* & Salas *vbi suprà n. 104. in fin.*

Aduerte secundò, quod Iudex Ecclesiasticus, vti mox dicebam, non debet, (licet possit) Clericis leges ciuiles violantibus eamdem infligere pœnam, quæ laicis statuta est; vt præcipuè apud Vasq. *vbi supra*. & apud Salas *loc. cit. sect. 10. num. 112.* legere est; & ratio est, quia decet vt cum Ecclesiasticis mitius agatur, ob conseruationem status ipsorum; atque ita in vsu seruari videmus etiam in pœnis statutis pro iuris naturalis violatione. 3

Aduerte tertiò, quod leges ciuiles quæ infirmant contractum, testamentum, &c. Item quæ reddunt personas inhabiles ad contrahendum, testandum, &c. in pœnam commissi criminis ab ipsis, vel maioribus earum non comprehendunt Ecclesiasticos, sicut in communi notauit Nauarr. *consil. 43. de constit. num. 5. edit. 2* & Suarez *cit. cap. 16. num. 21* & ratio est manifesta; quia talis lex est pœnalis, & vim coactiuam continet, quæ, vti dicebam, & iterum mox *infrà* dicam, ad personas Ecclesiasticas se extendere non potest. Alia verò ratio est, si bona fuerint commissa, 4

ſeu realiter aliquo modo obligata fiſco ob crimen, antequam perſona Eccleſiaſtica fieret, ſicut *infra* dicam. Porrò leges infirmantes contractum, teſtamentum, & ſimilia, quæ pœnales non ſunt, ſed certam formam, ſiue ſolemnitatem contrahendi, teſtandi, &c. præſcribunt, vt aliter actus irritus ſit, comprehendunt etiam Eccleſiaſticos, ex generalis iuris canonici conſenſu, &, approbatione; niſi in illo ſpeciatim aliquid contrarium ſtatutum eſſe reperiatur, ſicut rectè notauit Suarez *cit. cap. 16. num. 24.*

SECTIO XIX.

Proponitur quartæ Ampliationis quoad quartam partem, probatio.

1 RAtio dicti in ſectione 15. quoad quartam partem, quod ſcilicet Eccleſiaſtici ſæcularium Principum legibus, quoad vim coactiuam, ſeu punitiuam, non ſubdantur quoad perſonas, illa eſt; quia laica poteſtas, vt patet ex dictis, non habet in Eccleſiaſticos iuriſdictionem; ergo multò minus coërcitiuam ſeu punitiuam, cùm hæc quammaximè pugnet cum ſtatu Eccleſiaſticorum. Secundò, quia valdè indecens eſt, vt ſtatu inferior iudicet, & puniat ſuperiorem; ſed ſacerdotes, aliique Clerici digniore & altiore ſtatu ſunt quàm laici, *cap. duo ſunt, dict. quæſt. 6.* ergo indecens eſt, atque in contumeliam ordinis clericalis cedit, ſi à laicis iudicentur, condemnentur, vel puniantur, &c. quam rationem affert Leo Primus *epiſt. 96. ad Epiſcop. & Presbyt. Thraciæ*, & Gregorius VII. *lib. 7. & lib. 8. epiſt. 21.* relatus *in cap. 9. d. 96.* & & Concilium Matiſconenſe *2. cap. 9.*

2 Porrò, quod Eccleſiaſtici, quoad perſonas, habeant pleniſſimum fori priuilegium, vt coram Iudice ſæculari conueniri, iudicari, aut puniri nullo modo poſſint, conſtat ex multis decretis Conciliorum & Pontificum, quæ congerit Gratianus *cauſa 11. quæſt. 1.* Item conſtat ex Concilio Matiſconenſi *2. cap. 10. & ex lib. 2. decretal. tit. de iudiciis, c. at ſi clerici, cap. clerici, cap. qualiter & quando, cap. cùm non ab homine*, & *ex tit. de foro compet. cap. 2. cap. ſi diligenti, cap. ſignificaſti*, &c. Eamdémque exemptionem Imperatores Chriſtiani agnouerunt, & decreuerunt: Conſtantinus I. apud Ruffinum *lib. 2. hiſtor. cap. 2.* vbi habetur: *Deus vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi, vos verò non poteſtis ab hominibus iudicari*: quod dictum Conſtantini etiam Gregorius Papa refert *in epiſt. ad Mauritium Imperatorem, & lib. 16. Cod. Theodoſiani, lib. 7. de Epiſcopis & Clericis*; decreuit idem Conſtantinus, *vt Clerici minimè ad Curias reuocentur, ſed immunitate pleniſſima potiantur.* Idem poſtea decreuit Conſtantinus Imperator *l. b. 12. & ſequent. eod. tit.* eámque immunitatem Clericorum à Iuliano Apoſtata impiè violatam, integrè reuocarunt Theodoſius, & Valentinianus Imperatores, ſicuti videre eſt *eod. tit. Codicis Theodoſiani, lib. 45. 46. 47.* vbi manifeſtò indicant, immunitatem Eccleſiaſticorum adeò omni iure diuino & humano firmatam eſſe, vt ſine tyrannide & ſacrilegio à Principe laico violari minimè poſſit.

Sed poſtea Iuſtinianus Imperator eccleſiaſticam immunitatem non parum minuere incœpit, *Nouel. 83. collat. 6. tit. 12.* vbi decernit, quòd Clerici, ſaltem in ciuilibus criminibus, vt furto homicidio, &c. coram ſæculari Iudice conueniri poſſint; & ſi reos illos eſſe, appareat, prius ab Epiſcopo ſpolientur ſacerdotali 3

dotali dignitate, & ita laico Iudici subdantur; quòd propter temporum illorum iniuriam, postea etiam Matisconense Concilium 1. *can.* 7. permisit. Verum, & hæ, & aliæ multæ leges, quas Iustinianus Imperator, limites suæ potestatis excedens, de Ecclesiasticis causis, ac personis condidit (vt videre est, præsertim *in Cod. de Episcopis Clericis*) nullius roboris, & momenti sunt; ipsáque constitutio illa, vt in ciuili crimine clerici ad sæcularem Iudicẽ trahantur, correcta fuit ab Imperatore Friderico II. *in auth.* Vbi sic ait: *Statuimus, vt nullus Ecclesiasticam personam in criminali quæstione, vel ciuili trahere ad iudicium sæculare præsumat contra constitutiones imperiales, & canonicas sanctiones, quod si actor fecerit, iure suo cadat, iudicatum non teneat, & Iudex ex tunc potestate iudicandi priuetur*; consentit *c. at si Clerici*, & *cap. cum non ab homine de iudiciis.*

4 Nonnulli tamen Doctores excipiunt casum necessitatis: quòd enim (inquiunt ipsi) per leges non est licitum, necessitas quandoque licitum facit, *cap.* 4. *extra de reg. iuris.* Sed hìc exactè considerandum est, quod necessitas publici, vel priuati incommodi auertendi, nequaquam tribuat Magistratui laico iurisdictionem in Ecclesiasticas personas: sed solùm tribuit ius defensionis, quam naturale dictamen cuilibet permittit; quapropter opus est, vt aliqua Ecclesiasticæ personæ violentia antecesserit, vel saltem periculum proximum insit violentiæ, quàm necesse sit laicos per se ipsos repellere, cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ.

SVBSECTIO I.

Proponitur SVBCOROLLARIVM I.

1 EX dictis *in sectione* 19. Sequitur primò, (idque contra nonnullos Iuristas, vt Guliel. de Benedictis *in cap. Raynutius ver. & vxorem decis.* 2. *num.* 31. Igneum *in leg. necessarios*, §. *non alias, num.* 603. *ff. ad Syllanum* Cassaneum *in consuet. Burgund. rubr.* 1. §. 5. *num.* 61. & Olibanum de iure fisci *cap.* 13. *num.* 31. qui citat Couarr. & alios, adducitque pro se *cap. filiis, vel nepotibus* 16 *quæst.* 7.) quòd ob defectum iustitiæ, vel ob negligentiam Iudicis Ecclesiastici, non possint Clerici ad sæculare Tribunal trahi, sicuti significatur *in cit. cap. qualiter*, & quando iuncta, gloss. *in verb. prohibemus*; vbi id etiam docet Abb. *num* 7. Pesantius *tract. imunit. Eccles. disput.* 16. Azor. *par.* 1. *lib.* 5. *cap.* 4. *quæst.* 2. Tamburinus *de iure Abbatum tom.* 1. *disput.* 15. *quæst.* 19. *num.* 22. Bonacina *de legib. disput.* 10. *quæst.* 2. *punct.* 1. §. 1. *num.* 12. Laymam *lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 4. *num.* 4. Auguianus *de legib. tom.* 1. *lib.* 2. *contr.* 17. *num.* 85. *& sequent.* eámque esse communem Canonistarum opinionem, testatur Martha *casu* 146. *num.* 8. & rationes affert Abbas *loco citato*, quarum prima illa est, quia naturalis ratio dictat, quòd maior minoris, non autem quod minor suppleat negligentiam, vel defectum maioris. Sed Ecclesiasticus Magistratus maior est sæculari (sicut spiritualia maiora, seu potiora sunt temporalibus, *cap. denique cap. duo sunt, dist.* 96.) ergo Iudex sæcularis non habet supplere negligentiam Iudicis Ecclesiastici, sed potius vice versa Iudex Ecclesiasticus habet supplere defectum Iudicis sæcularis: atque ita habetur *in cap. ex transmissa, cap. licèt* 1. *cap. ex tenore de foro compet.* Secunda, ratio est, quia sæcularis non est capax iurisdictionis exercendæ in Ecclesiasticas personas, præter quam ex commissione Prælatorum Ecclesiæ, quia commissione seclusa non potest sæcularis aliqua consuetudinis diuturnitate defendi, vt *infrà* dicetur: & ratio est clara, quia qui incapax est possi-

dendi, incapax, & est præscribendi. *arg. cap. causam, quæ de præscrit.* & videri potest Azor. *tom. 1. lib. 5. cap. 12. quæst. 1. §. sed dubitari*, cum ad præscribendum præter alia necessario requiratur possessio. Dicendum est igitur, quod etiamsi Prælati fuerint negligentes in puniendis Clericis, & in huiusmodi causis cognoscendis, adhuc non permittitur Iudicibus laicis de caussis ad Ecclesiam spectantibus iudicare; quia (vt dicebatur) Clerici sunt exempti à laica potestate; & *in cap. qualiter, & quando de iudiciis, capit. si quis Clericum, cap. placuit, cap. Christianus, cap. licèt ex suscepto, & cap. Clericum, 11. quæst. 1.* prohibetur, ne defectu iustitiæ Clerici trahantur ad iudicium sæculare. Quin è contra si detur negligentia Iudicis sæcularis, potest Ecclesiasticus procedere contra laicos in casibus, in quibus aliàs non posset: Ecclesia enim potest quoslibet de excessu notorio iudicare, quando Iudex sæcularis est negligens. imò poterit Iudex Ecclesiasticus censuris illum compellere, vt suo munere fungatur: nam ad commune bonum, & ad pacem fidelium spectat, vt ad Iudicem Ecclesiasticum recursus haberi possit, saltem eo titulo, vt peccata publica corrigantur, sicuti ex communi docent Doctores quos citat, & sequitur Barbosa *in collectan. tom. 1. lib. 2. titul. 2. cap. 10. num. 2.* Vide *infrà* subsectionem 13.

6 Neque obstat *cap. filiis, 16. quæst. 7.* vbi habetur, quod, si Episcopus, vel Metropolitanus res Ecclesiæ malè administret, (idémque dic, si iustitiam negligat, vel facere renuat) Regis auribus intimandum sit, idem *cap. correctum est per cap. qualiter, & quando de iudiciis*, vel intelligitur, non vt Rex iudicet, (sicuti male intellexit gloss. *ibidem ver. Regi*) sed vt admoneat, & instet apud Ecclesiæ Prælatos, & vt adiuuet, tanquam supremus Ecclesiarum (quæ in suo Regno sunt) Patronus, seu aduocatus, ait Abbas *cit. num. 7. in fine*, quare arg. *cit. cap. filiis*, si Princeps, vel eius Ministri faciant literas hortatorias ad Ecclesiæ Prælatos, vt ab aliqua praua determinatione desistant (vti in Regno Neapolis fieri consueuit) non agunt contra libertatem Ecclesiasticam: nec consequenter incidunt in censuras Bullæ Cœnæ: atque ita in terminis huius casus docet etiam Coriolanus *in Bulla Cœnæ, excom. 16.* vbi sic ait: *hortatoriæ literæ hîc non comprehenduntur*: est autem hortatoria litera: amicabilis, vt si Episcopus aliquid contra laicum impertinenter faciens, ab officialibus sæcularibus moneatur, vt desistat: idem quoque docet Megal. *in 3. part. lib. 3. cap. 19. num. 6.* & ratio huius rei, est, quia verba hortatòria solùm consilium important, & necessitatem non inducunt; quod si in his literis Princeps, vel eius Ministri precatoriis verbis etiam vterentur, & non tantum hortatoriis, res redderetur plena scrupulis, quia preces Principum (vt dici consueuit) mandato æquiparantur: ergo, &c.

Verùm si Clerici (vti *suprà* dicebam) suis criminibus sæculari Reipublicæ molestiam, & periculum ingerant, & ex alio capite remedium, neque ab Episcopo, neque à summo Pontifice impetrari, aut expectari potest; quia vel aures dare nolunt, (quamuis hoc in persona summi Pontificis vix, ac ne vix quidem moraliter contingere vnquam potest) vel quia periculum est in mora, & sic ad ipsos recurri tempus non permittit, cùm res dilationem non patiatur, in huiusmodi speciali casu habet locum ius necessariæ defensionis, secundùm quam fieri potest id, quòd recta ratio præscribit, sicuti rectè dixit Azor. *tom. 1. lib. 5. cap. 14. quæst. 2.* Suar. *lib. 4. defens. cap. 34. num. 6. & 9.* & ex Victoria, & Soto dixit Fernandez 7

part.

part. 2. cap. 6. §.1. num. 4. & Molina *de iust. & iur. tom. 1. tract. 2. disput. 31. num. 10.* vbi sic ait: *Obseruant Victoria, & Sotus si Clericorum libertas in manifestam cederet sæcularis Reipublicæ perniciem (clericis impunè vacantibus in laicorum cædes) summique Pontifices admoniti adhibere nollent remedium, posse quidem Principes sæculares suis subditis consulere, nihil immunitate & priuilegio Clericorum impediente.* Ratio est, quia ciuilis Respublica est sibi ipsi sufficiens; quocirca quemadmodum propria auctoritate potest se ipsam defendere, & conseruare indemnem à quacunque alia Republica sæculari, sic etiam potest ab Ecclesiasticis, ita Molina. Idem etiam docent Gulielmus Benedictus *in cap. Rainutius, verb. vxorem, num. 454.* Aufrerius *de potestate sæculari super Eccles. personas, regul. 2.* Nauar. *in cap. cùm contingat de rescript. remed. 1. vers. 1.* Simancas *Instit. cap. 42. num. 32.* Sed hi casus (vt aduertit Salas *de legibus quæst. 94. tract. 14. disp. 14. sect. 9. num. 111.* Metaphysici sunt, & vix moraliter vnquam possunt contingere. Ratio, quia Clerici, & Episcopi non habent tantam potestatem in Rempublicam: Metaphysicus etiam est casus, quem ponit Victoria *in relatione de potest. Papæ*, vbi ait, quòd si Papa faceret aliqua mandata in destructionem Ecclesiæ, possit Princeps sæcularis, facto, vel vi resistere illis, & impedire executionem talium mandatorum; ita ille, qui sanè modum aliqua ex parte videtur excessisse, sicuti rectè notauit Azor. *part. 1. lib. 5. cap. 14. quæst. 5.*

SVBSECTIO II.

Proponitur COROLLARIVM II.

1 SEquitur secundò, quòd spectato iure communi, & seclusis specialibus priuilegiis, non possit probari praxis, quam refert, ac defendere conatur Couar. *in pract. qq. cap. 35. num. 3. §. ceterùm in hac Regia* (quem sequuntur Auila *de cens. part. 2. cap. 7. disp. 2. dub. 5.* Zanardus *par. 3. cap. 31.* Morla *tit. 2. quæst. 14. num. 4.* Duenna *lib. 1. cap. 9. num 14.* Rodriq *de annuis reddit. lib. 1. cap. 17. num. 6.* Suar. de Paz *tom. 2. part. 1. cap. 6 quæst. 2. num. 34.* Parladorius *lib. 3. diff 9 §. 4 num. 24.* Simancas *inst. Cathol. vit. 45. num. 35.* Guttierez *lib. 1. quæst. 20 num. 1.* Garsiaz *de nobil. gloss. 1. num. 25.* Mexia *in leg. Regia Toleti in 2. fundam. part. 2. num 47.* Valascus *consil. 100.* Fuscus *de visit. lib. 2. cap. 23. num. 5.* & alij mox *infrà* citandi) quòd scilicet si quis seu laicus, seu Ecclesiasticus, vi, aut censuris à Iudice Ecclesiastico opprimatur, querelam deferre possit ad Tribunal Regium: & tunc Ministro Regio competat acta omnia, & processum causæ Ecclesiasticæ ad se aduocare, & examinare: atque si iniustitiam commissam is compererit, Ecclesiasticum Iudicem ad actorum rescissionem compellere: non potest (inquam) praxis ista probari; quia acta, & processum iudicij ad se aduocare, examinare, & postea Iudicem ad eorundem rescissionem compellere, non competit, nisi Magistratui superiori comparatione inferioris, sibique subordinati, sed Ecclesiasticus Magistratus non est subordinatus Magistratui sæculari: neque hic vllam iurisdictionem aduersus Ecclesiasticos exercere potest: (nisi solùm ex delegatione) ergo nisi speciale priuilegium, seu commissio à sede Apostolica habeatur, non potest praxis ista licitè exerceri, id est, sine vsurpatione alienæ iurisdictionis, & violatione immunitatis Ecclesiasticæ, quare necesse est, quòd qui per iniuriam, aut vim à Iudice Ecclesiastico pati arbitratur, querelam deferat ad eius superiorem, videlicet ad Metropolitanum, vel

vel summum Pontificem, quòd si in extraordinario casu (vti *suprà* dicebam) id fieri non possit, tunc oppressus naturali iure se ipsum defendere, & alios quoscunque, etiam laicos, ad sui defensionem aduocare potest, modò tamen iniuria manifesta sit, & nihil fiat per modum vsurpatæ iurisdictionis, sed solùm per modum iustæ, ac necessariæ defensionis.

2 Confirmatur, quia sacri Canones neque ipsis Ecclesiasticis Iudicibus permittunt contra subditos suos aduocare subsidium brachij sæcularis, nisi cùm ordinarium iuris remedium deficit, sicuti colligitur *ex cap. si quis Episcopus, & seq. 23. quæst. 8. cap. 1. de officio ordinarij, verb. cùm opus est, & Clem. quia contingit, iunct. gloss. verb. remediis, de Religiosis domibus*: ergo multò minus licebit aliis sæculares in subsidium vocare contra Magistratum Ecclesiasticum, præterquam in casu necessitatis extraordinario, cùm nullum aliud remedium suppetit, vti *suprà* dicebatur: puto igitur, quòd tunc solùm quis, cui violentia infertur, possit adire Iudicem laicum: quando ad talem vim reprimendam Iudex Ecclesiasticus non adest, vel si adest, non vult illam reprimere, alioquin non potest Iudicem laicum adire: & ratio vlteriùs est, quia Clericus coram Episcopo, & Episcopus coram Archiepiscopo conueniri debet, *cap. sacro, de sent. excomm. & cap. ad reprimendum, de offic. ordinar.* & Archiepiscopus conueniri debet coram Primate, *cap. antiqua de priuilegiis*, & Primas coram Romano Pontifice, vel coram eius Legato ad eam Prouinciam misso: ergo oppressus à Prælato inferiori ad superiorem, & non ad Tribunal laicale recurrere debet, præsertim quia Canones prohibent ab Ecclesiasticis Iudicibus ad laicos appellari, vt habetur *in citat. cap. qualiter, & quando de iudiciis, & cap. si quis Clericum, & cap. Clericum 11. quæst. 1.*

Confirmatur secundò quia ad veritatem sententiæ aduersariorum opus esset claram adesse violentiam, quòd tamen non contingit in casu nostro: non enim Iudices sæculares sciunt violentiam inferre Prælatum subdito litiganti, negando v.g. appellationem, terminos approbatorios, &c. quousque processum examinant, & acta cognoscunt; ergo prius vsurpant cognitionem causæ spiritualis, quàm ipsis de violentia constet; & sic non titulo defensionis procedere possunt. 3

Confirmatur tertiò, quia qui titulo defensionis procedit, facto ipso violentiam repellit, non veritatis indagatione: quia defensio non est iurisdictionis actus in subditum, sed executio iuris à natura concessi cuilibet homini, vt alterum defendat; at Iudices laici causas ad se aduocando, non facto violentiam repellunt, (si aliqua inest) ergo illis non licet hoc modo clericum defendere. 4

Confirmatur quartò, quia non est concessum Ecclesiasticis Iudicibus laicum querelantem de suo Iudice ad Iudicium suum vocare, vt *suprà* dicebatur, & ratio vlteriùs est, quia nemini datum est alienam iurisdictionem vsurpare, & in alienis causis se miscere; ergo multò minus id concessum erit laicis Iudicibus consequentia probatur, quia minorem potestatem habent laici Iudices ad corrigendos defectus Iudicum Ecclesiarum, quam è contra. 5

Confirmatur quintò; quia isti appellantes, quos oppressos vocant aduersarij, vel sua possessione spoliantur, vel in possessione sua turbantur: primo casu ordinarium habent remedium intra annum, vt ante omnem contentionem restituantur, *c. 1. de restitut. spoliat. possessorium*, quoque remedium ordinarium competit, *§. retinendæ, §. interdicto, Instit. de* 6

de interdict. ergo cum, ſiue vno, ſiue altero modo appellantes turbentur, remedia habeant ordinaria, iniquè conceditur eis remedium extraordinarium, quale eſt, de quo loquimur, contra *l in cauſa ff. de minor.* ibi, non debet ei tribui extraordinarium.

7 Confirmatur ſextò, quia cum pro facto Prælati, & Iudicis Eccleſiaſtici ſit aliqua opinio inter Doctores probabilis, licitè poteſt illam ſequi Prælatus Eccleſiaſticus, & ſic nullam vim, aut iniuriam facit ſubdito, ſi illam ſequatur; ergo non poterit iſte recurrere, tanquam vi oppreſſus, ad Iudicem ſæcularem, nec in tali caſu poterit eſſe defenſio, ſed erit manifeſta iniuria, & offenſio, ſi repellatur ab illa opinione ſequenda Iudex Eccleſiaſticus; & hoc, quod modo dixi, procedit, etiam ſi opinio pro ſubdito ſit probabilior: nam, *vt infrà*, dicetur, non improbabiliter poteſt Iudex ferre ſententiam ſecundùm opinionem probabilem, relicta probabiliori; cum ſic, adhuc probabiliter, & non temerè, ſed cum fundamento operetur, atque adeò in ſyndicatu (cum non delinquat) non poterit de facto iſto puniri vide Sancium *in ſelectis diſp.* 44 *num.* 72.

8 Confirmatur ſeptimò, quia in Regno Valentiæ Conſiliarij Regij, vt patet ex Maderiaga *in tract. de ſenatu cap.* 39. §. 2. noluerunt admittere cognitionem per viam violentiæ, ergo &c.

9 Ex his ſequitur contra Humadam *l.* 3. *gloſſ.* 4. *tit.* 13. *per.* 2. Azeuedum *lib.* 1. *recop. tit.* 6. *l.* 2. Pereitam *de man. Reg. cap.* 22. & alios, quod admittendæ non ſint in cauſis Eccleſiaſticis chartæ, ſeu appellationes tuitiuæ, de quibus in quadam ordinatione Regni Luſitaniæ apud Pereiram *in loc. ſuprà cit.* ſic habetur: *Iubemus, quod quando aliqua profertur ſententia à Iudice Eccleſiaſtico contra clericum, vel contra laicum, qui ſit ſuæ Iuriſdictionis, ſi ipſe clericus, vel laicus appellauerit ad Romanam Curiam in eo caſu, in quo appellare poſſunt, & antequam tempus appellationis finiatur, implorauerit chartam, ne pendente appellatione contra ipſum procedatur, & ne capiatur, vel ab illo pœna exigantur, excommunicato impoſita; volumus, vt eorum cuilibet dictæ chartæ tuitiuæ concedantur, quando per ſcripturam publicam doceant, quod appellarunt, & ſuas appellationes proſequuntur, quamuis nullatenus receptæ ſint; ita enim ab Antiquo fieri conſueuit, vt tales chartæ tuitiuæ per ſenatores Palatij expedirentur.* ita ibi. ſequitur inquam, quod admittẽdæ non ſint in cauſis Eccleſiaſticis chartæ, ſeu appellationes tuitiuæ, quia hæ ex dictis ſunt contra immunitatem Eccleſiaſticam.

Confirmatur, quia in caſu, in quo conceduntur dictæ Appellationes, poteſt clericus vel laicus oppreſſus, vt patet etiam ex dictis, recurrere pro remedio obtinendo ad ſuperiorem Iudicem Eccleſiaſticum competentem, vt Canones iubent, & non ad Iudices ſæculares incompetentes, quod Canones prohibent. 10

Confirmatur ſecundò, quia id etiam prohibere videtur Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap.* 3. *de reform.* in his verbis, *nefas autem ſit ſæculari cuilibet Magiſtratui prohibere Eccleſiaſtico Iudici, ne quem excommunicet; aut mandare, vt latam excommunicationem reuocet, ſub prætextu, quod contenta in præſenti Decreto non ſint obſeruata, cum non ad ſæculares, ſed ad Eccleſiaſticos hæc cognitio pertineat.* 11

SVBSECTIO III.

Proponuntur, & ſoluuntur difficultates in oppoſitum.

OBjicies, ſupradicta vera eſſe, quando Iudices laici procederent iudicialiter, 1

cialiter, at secus, si procedunt, vt est in casu nostro, extraiudicialiter, ac per modum nudæ defensionis, & protectionis oppressorum, prout ex officio competit Regibus, *cap Reg.* 23. *quæst.* 5. & colligitur ex *cap. filijs*, *vel nepotibus*, *ibid. q.* 7.

2 Respondetur, quod vna via prohibetur, altera permitti non debere, saltem dum similis in vtraque via ratio reperitur, *ex reg. cum quid de reg. iur. in* 6. Vnde cum recursus ad sæcularia Tribunalia per aduersarios ipsos prohibeatur via iurisdictionis ordinariæ, prohiberi etiam debet via extraordinariæ cognitionis, & defensionis: nam similis ratio in vtraque via reperitur; Porrò, quod dicunt aduersarij, in tali cognitione nullum actum iurisdictionis exerceri, verum illud non est, quia quod Princeps facit prætextu violentiæ, facit ex proprio officio, vt ipsi fatentur, & quæ pertinent ad officium Principis, sunt actus iurisdictionis in hæc enim distinguitur officium Principis ab officio personæ priuatæ, ergo &c. deinde iurisdictio dicitur à Iure dicendo, *l.* 1. *§. damus ff. de suspectis tut.* sed Iudices, ad quos fit recursus, ius dicunt: nam vident acta, & processus, ferúntque sententiam, vt fatetur Ceuallos *infrà. gloss.* 6. *§.* 1. & postquam cognouerunt appellantem non habuisse iustam appellandi Causam, condemnant eum in expensis, & damnis alteri illatis, cogúntque etiam Iudicem Ecclesiasticum ad acceptandam appellationem, imò & condemnant in expensis, vt fatetur idem etiam Ceuallos *in gloss.* 8. *num.* 11. Gutierrez 99. *pract. lib.* 2. *q.* 29. & Sesse *de inhibit. cap.* 8 §. 3. Sed istos iurisdictionis actus esse manifestum est, de qua re vide Suar. contra Reg. Ang. *lib.* 4. *c.* 34. *n.* 34. ergo, *&c.*

3 Ad *cap. Reg.* patebit *infrà*, & vlterius Respondetur, illud procedere quo ad laicos subditos: nam falsum est, Principem cognoscendo causas Ecclesiarum per viam violentiæ, facere id, ad quod per dictum caput tenetur, ex officio: ex officio enim tenetur solùm suscipere, & cognoscere causas subditorum, non verò extraneorum, quales sunt Ecclesiastici, qui non sunt subditi Principi laico, sed Ecclesiastico, *c. Ecclesia, de constit.* Vnde potius faciendo sic, facit contra proprium officium: Principis enim est suum vnicuique tribuere, at dum in causas Ecclesiasticas se ingerit, Ecclesiasticā iurisdictionem vsurpat, & Ecclesiæ libertatem vialat; ergò facit contrà proprium officium. *Ad cap. filiis, vel nepotibus* Respondebitur *infra.*

Secundò obiicies, iure naturæ, & diuino, licitum est vim vi repellere, & innocentem tueri, *l. vt vim, ff. de iust. & iur.* ergo si Iudex Ecclesiasticus vim inferat potest Iudex laicus innocētem ad se confugientē tueri, eiúsq; appellationē admittere. 4

Respondetur cum gloss. *in leg. cit.* distinguendo; licitum est vim vi repellere, quando vis infertur à priuato, côncedo; quando vis infertur ab eo, cui subditi sumus, nego; vt patet ex *leg. iniuriarum, ff. de iniur. & leg. qui restituere, ff. de rei vendic.* quare si Iudex non supremus inferat vim, seruato iuris ordine appelletur ad superiorem, quod si Iudex supremus iniquè vexet, nullum superest remedium, nisi vt æquo, & patienti animo sufferatur, sicuti & faciunt laici à Iudicibus suis oppressi. 5

Confirmatur, quia in tali casu, si laicus de suo Iudice laico conqueratur, quod ipsi ille vim inferat, negando v. g. appellationem, vel quid simile, non fert patienter Iudex laicus, vt Ecclesiasticus se intromittat, & authoritatem suam interponat, acta causæ v. g. postulando ad examinandum, vel iudicandum, an Iudex laicus vim intulerit, nec ne; nec sæculares Iudices vocabunt actionem illam in Iudice Ecclesiastico defensionem naturalem, sed suæ iurisdictionis vsurpatio 6

pationem; ergo idem dicendum de ipsis in ordine ad Iudices Ecclesiasticos; quin imò multò magis; quia maiorem potestatem habet Iudex Ecclesiasticus suprà laicum, quàm è contra. Prælatus enim Ecclesiasticus potest iudicare de peccatis omnium suarum ouium, *cap. nouit, de iudiciis, capit. ex tenore de for. compet. cap. si quis de potent.* 24. *quæst.* 3. & munus defendendi innocentes magis spectat ad Prælatos Ecclesiasticos, quàm ad Principes sæculares, vt rectè dixit gloss. *in dist. cap. Reg.* & collig. ex multis decretis, 87. *dist.*

7 Respondetur secundò, licitum est, vi vim repellere; si adsit duplex conditio. Prima, vt constet de vi illata: nam si dubium sit, præsumendum est in fauorem superioris Ecclesiastici. Ratio, quia in facto, præsertim superioris, non præsumitur delictum: tum quia Iudex laicus, dum ipsi certò non constat de vi illata, exponit se periculo inferendi iniuriam superiori Ecclesiastico, & priuandi illum iure suo, quòd habet in suos subditos: hæc autem conditio ferè semper abest; quia dum in causis Ecclesiasticis Iudex laicus appellationem admittit certò ipsi non constat de vi à Iudice Ecclesiastico illata, vt ex ipsomet facto manifestè apparet, quandoquidem appellationem admittit, & se interponit ad examinandum, an vis illata fuerit, necne. Ergo, &c.

8 Secunda conditio est, vt seruetur moderamen inculpatæ tutelæ, quod non seruatur quando laicus aut Ecclesiasticus ad Iudices laicos recurrit, & appellationem interponit; quia non seruatur moderamen inculpatæ tutelæ, quoties inuasus habet aliam viam euadendi sine maiori, vel æquali damno, quam vim inferendo, vt patet in materia de homicidio patrato, ad necessariam sui defensionem, sed in casu nostro inuasus habet aliam viam euadendi, sine maiori, vel æquali damno, potest enim recurrere ad Iudicem Ecclesiasticum, & in defectu vnius recurrere ad alium, iuxta dispositionem canonum, & iuxta vsum & praxim fori sæcularis; Ergo, &c. Adde, quod tunc licitum est vi vim repellere, quando id fieri potest sine maiori damno communi, sed in casu nostro, etiamsi appellans molestias, expensas, &c. pateretur, recurrendo tamen ad Iudices laicos, maius damnum inferret commune, nam Ecclesiastica iurisdictio violatur; & in iudiciis sequitur perturbatio. Ergo non est licitum ei ad illos recurrere; atque adeò nec est licitum illis recursum recipere, sicuti non est licitum innocenti aggressorem occidere, si inde Reipubl. incommodum magnum sequatur.

Tertiò obiicies, hanc praxim sustinendam esse. Primò ex consuetudine immemorabili, quæ licèt non possit tollere omnem exemptionem Ecclesiasticam, potest tamen illam tollere in casu aliquo particulari, vt est de tollenda vi. Secundò, quia est consuetudo coniuncta cum priuilegij fama, quæ vaga, & incerta sufficit. Tertiò, quia talis consuetudo est mixta laicorum, & Ecclesiarum, vt de simili docere videtur Surdus *consil.* 2. *volum.* 1. Tiraquell. *de vtraque retract. lignag.* §. 1. *gloss.* 8. *num.* 173. Maynard. *de priuileg. Eccles. part.* 2 *art.* 22. *numero* 88. Collegium Bononiense *in respons. pro libert. Eccles. num.* 28. qui propterea defendunt quamdam in quibusdam locis consuetudinem, vt scilicet Monasteria non succedant; de qua consuetudine testatur Peregrin. *in tract. var. lib.* 6. *numero* 77. Guillelm. de Benedictis *in cap. Raynutius, num.* 225. *de testam.* Boërius *dec s.* 754. *num.* 8. Rebuffus *consil.* 173. *num.* 11. *&* 12. & hoc etiam seruari Ferrariæ, testatur Riminaldus *consil.* 85. *numero* 38. 9

10 Quartò, quia Papa hanc praxim scit, & tolerat, & sic tacitè in illam consentit.

11 Respondetur ad primum, consuetudinem immemorabilem, etiam in casu particulari, non valere contra libertatem Ecclesiasticam, vt dicetur *infrà dub. 27.* & patet *ex cap. clericis, de iudiciis, & aliis iuribus*, vbi Pontifices apertè damnant consuetudinem particularem, in casu etiam particulari, tendentem contra immunitatem Ecclesiasticam.

12 Ad secundum respondetur cum Suar. contra Regem Angl. *lib. 4. cap. 34. num. 17.* illam doctrinam non esse veram, sed tunc solùm admittendam, quando cum consuetudine immemorabili coniungeretur constans fama; & traditio æquè antiqua, & immemorabilis, quod præcesserit priuilegium; & quando præterea traditio prædicta integrè probaretur, quod in casu nostro non contingit; quinimo Ceuallos mordicùs tenet non adesse, neque adfuisse vnquam tale priuilegium. Vide *Dubit. 27. cit.*

13 Ad tertium respondetur cum Suar. contra Regem Angliæ, *lib. 4. cap. 39. numero 19.* & Valboa *in cap. 1. de foro compet. num. 6.* & aliis, tunc consuetudinem Ecclesiasticorum & laicorum mixtam Ecclesiasticos obligare, quando prædicta consuetudo mixta non præiudicat Sacris Canonibus, vel ab illis non fuerit reprobata, quæ omnia adsunt in casu nostro. Vide *eamdem dubit. XXVII. citatam.*

14 Ad quartum Respondetur, quod tolerantia Pontificis in casu nostro non sit approbatiua, sed tantum permissiua, ad vitandum scilicet maiora mala, & incommoda. Vide *Dubit. XXVII. citatam*, *Rotam in antiquis* 10. *de consuetud.* Surd. *consil.* 301. Chokier. *in vind. libert. Eccles. part. 2. capit. 3. numer.* 8. & alios, quos ibi citabam; quin addo, quod tantum abest, quòd Pontifex in tali casu implicitè consentiat, vt potius singulis quibuscumque annis in Bulla Cœnæ reclamet. Vide *Bullam Cœnæ, & Bullam Vrbani VIII. super reseruatione Iurium Sedis Apostolicæ, & c. à quibuscumque præiudicialibus*, quæ incipit *Romanus Pontifex.*

Ex his contra Doctores suprà citatos 15
tenent nostram sententiam Suar. contra Regem Angliæ *lib. 4. cap. 34. num. 30.* Azor. *par. 1. lib. 5. cap. 12. & 14.* Reginaldus *tom. 1. lib. 9. cap. 22. num. 341.* Alterius *de censuris tom. 1. disput. 15. lib. 5. capit. 3.* Baldellus *tom. 1. libr. 5. disput. 40. numer. 13.* Filliucius *tom. 1. tract. 16. cap. 8. & 10.* Sayrus *de censur. lib. 3. cap. 18. num. 6.* Ioan. de Maderiaga *tract. de senatu cap. 39.* Coriolan. *in Bull. Cœnæ excommun. 14.* Layman *lib. 4 tract. 9. capit. 4. numer. 4.* Duard. *in Bulla Cœnæ lib. 2. can. 14. quæst. 9.* Palaus *tom. 2. disputat. vnic. punct. 12. vnic. 5.* Bonacina *de legib. disput. 10. quæst. 2. punct. 1. paragrap. 1. numer. 10.* Barbos. *de iure Eccles. lib. 1. cap. 39. §. 2. num. 185. & in collect. lib. 1. decret. tit. 2. cap. Ecclesia S. Mariæ de constitut. num. 1.* Malderus *in part. 2. quæst. 96. art. 4.* vbi rectè addit, quòd in casu, quod qui vim patitur, licitè adit Iudicem laicum (quia scilicet ad vim reprimendam non adest Iudex Ecclesiasticus, vel si adest, non vult hic illam reprimere) possit licitè (nempe per modum facti, non autem iurisdictionis) Iudex laicus inspicere acta ad finem, vt ipsi constet de iniuria facta in negando appellationem; & ratio esse potest, quia qui potest defendere, potest etiam omnia illa, sine quibus defensio fieri non potest; præsertim quia inspectio actorum per se non est actus iurisdictionis: nam arbitrantes etiam possunt inspicere acta. tenet etiam nostram Sententiam Portel. *in addit. ad dubia Regular. in fin. operis verb.*

verb. appellare, num. 3. vbi sic ait: *Religiosus, si per appellationem vel per aliam viam intra ordinem, potest vitare vim sibi iniustè illatam, incurret censuras, si ad iudices saculares recurrat. Si verò non sit locus appellationi, vel illa non recipiatur; & superior, ad quem posset recurrere, longè distat, ita ut non possit illum adire, instante grauamine; tunc credo, posse Religiosum, vel Clericum recurrere ad Principem sacularem, non quasi appellet ad Iudicem competentem, sed solum, vt ipsi succurrat in illo grauamine iniusto, tollendo vim sibi factam, modo, quo licitè potest, suadendo scilicet Pralato, vt vel abstineat à vi iniusta, vel det locum appellationi, vel Iudices nouos assignet, & sic Religiosus recurrens ad Principem sacularem cum pradictis circumstantiis nullam censuram Bulla Cœna, vel alterius Bulla incurret.* ita Portel. quem sequitur, Sousa *in Bulla Cœna cap.* 15. *disput.* 78. *num.* 2. *& seqq.* vbi probat, quod non possint licitè Iudices laici vim auferre, nisi prius Ecclesiastici Iudices superiores eius, qui vim infert, requisiti succurrere nolint: quando tamen omni medio ordinario promisso, non est alia via repellendi vim à Iudice Ecclesiastico factam, vel quando periculum est in mora, licitum erit tunc (scilicet per modum facti, non autem iurisdictionis) Iudici sæculari, causam Ecclesiasticam ad se aduocare, & vim illatam auferre: tenent etiam nostram sententiam quamplures alij Doctores, quos causa breuitatis omitto.

16 Ex his etiam apparet, non rectè dici ab aliquibus Iuristis; quòd etiam tunc, (quando adire potest is, qui se grauatum putat à Iudice Ecclesiastico, alium iudicem Ecclesiasticum superiorem) possit nihilominus authoritatem suam interponere Iudex sæcularis, quasi in casu isto detur locus præuentioni: nam (vt *suprà* dicebatur) tunc solùm propter vim iniustè illatam licitè recurri potest ad Iudicem sæcularem, quando periculum est in mora, & Iudex Ecclesiasticus longè abesset; vel si adest, vim reprimere non curat.

Apparet secundò, multo minus rectè dici ab aliquibus aliis Iuristis; quòd simpliciter in omni casu violentiæ, licitè possit is (qui se grauatum sentit à Iudice Ecclesiastico) recurrere ad Iudicem sæcularem, vt ipsi succurrat in violentia, & grauamine, quod patitur à Iudice Ecclesiastico; atque adeò quod simpliciter in omni casu violentiæ, possint licitè Ministri Regij cognoscere causas Ecclesiasticas per vim violentiæ; Iuristæ autem qui hoc docent, sunt Salgad. *in tract. de protect. Regia tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 1. *& seqq.* Pereira *tract. de manu regia part.* 1. *cap.* 4. *& quæst.* 7. Segura *in director. Iudic. Eccles. par.* 2. *cap.* 13. *num* 51. *&* 53. Calistus *in tract. de lege regia* §. 20. *num.* 83. Auendagnus *in cap. pratorum part.* 1. *cap.* 1. *num.* 13. Azeuedus *tom.* 1. *leg.* 2. *tit.* 6. *Recopilat.* Sesé *de inhibit. iustit.* Arag. *cap.* 8. §. 3. *& part.* 2. *decis. epist. ad Regem*, Cenedus *in qq. Canonicis, quæst.* 45. *per totam*, Bobadilla *in Polit. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 18. *num* 139 Io. de Heuia in curia Philippica *part.* 1. §. 5. *num.* 34. Graff. *de effect. Cleric. eff.* 1. *num.* 300 Castello Sotomaior *tom.* 7. *de tertiis, cap.* 41. *num.* 180. & Ceuallos *in tract. super hac materia edicto*, & præcipuè *in gloss.* 6. *num.* 57. vbi dicit, quod id non fundetur in priuilegio Pontificis, neque in eius tolerantia sed in iure Regis, cuius officium proprium est vim iniuste illatam reprimere, & quod Rex, eiusque Ministri vim repellentes, non id efficiant per viam Iurisdictionis, sed per viam iustæ defensionis; quia vim vi repellere licet de iure naturæ; quodque sic habeat praxis, & vsus quotidianus, quam praxim, & vsum non au- 17

dent improbare nonnulli Theologi, vt Rodriquez *in summa tom.* 1. *cap.* 155. *num* 8. Llamas *part.* 1. *cap.* 7. §. 19. Henriquez *libr.* 3. *capit.* 16. *num.* 4. *in gloss. lit. A. & libr.* 14 *capit.* 12. *num.* 6. Ioan. Valerus *in differentiis vtriusque fori, verb. peccatum, differ.* 3. *num.* 2. Ioan. de la Crux *part.* 1. *precept.* 8. *quaest.* 3. *art.* 1. *dub.* 3. *concil.* 3. *& de statu Relig. lib.* 1. *cap.* 6. *art.* 2. *dub.* 2. *concl.* 1. *&* Anguian. *tract. de legib. tom.* 1. *lib.* 2. *controu.* 17. *numero.* 95. & pro hac sententia firmanda.

18 Adducunt primò *c. Regum* 23. *quaest.* 5. vbi habetur quod Regum sit per vim oppressos à manibus violentorum, & calumniantium liberare, ac iniurias repellere.

19 Sed ad hoc *cap. Regum* 23. facilè patet Responsio ex dictis. Adde, quod tunc competit Regibus per vim oppressos à manibus calumniantium liberare, & tunc licet vim vi repellere de Iure naturæ, quando vis est clara, & manifesta: nam si sit dubia, semper pro superiore præsumendum est; quapropter in casu nostro iniustam vim infert Prælato Ecclesiastico potestas laica, priuando illum iure suo, quod habet in casu dubio; quod autem in casu nostro vis dubia sit, patet ex ipso facto: nam potestas laica examinat, an vis facta sit, necne; & consequenter non præsupponit certam, & euidentem vim. Vide Bonac. *in Bulla cœna tom.* 3. *disp.* 1. *quaest.* 15. *punct.* 4. § 4.

20 Adducunt secundò, *cit. textum in cap. filijs vel nepotibus* 16. *quaest.* 7. per quem textum nonnulli Iuristæ, vt Olibanus *de iure fisci cap.* 13. *num.* 31. gloss & alij, perperam putant, quod negligentia Episcopi, vel alterius Ecclesiastici Prælati suppleri possit per Iudicem sæcularem; sed ad hunc text.

21 Respondetur primò, quod intelligendus sit in casibus, in quibus Iurispatronatus collatio, atque institutio ex priuilegio summi Pontificis spectat ad Regem & secundum istum intellectum (qui consequentius illi literæ aptari posse videtur) primo adeundus est Episcopus; secundò in subsidium adeundus est Rex; extra hunc casum puto, quòd nullo modo adeundus sit Rex, cùm non liceat apponere manus in messem alienam, & sub prætextu boni finis, turbare iurisdictionem Ecclesiasticam, & sic incidere in censuras; atque ita docent Martha *de iurisdict. par.* 4. *centur.* 2. *casu* 43. *numero* 4. & Duard. *in Bulla Cœna lib.* 4. *conf.* 14. *quaest.* 8. *num.* 8. qui adducit duas alias interpretationes; nempè quod ex vigore prædicti textus, tunc recurrendum sit ad Regem pro reparatione Ecclesiæ iurispatronatus, cum per Ecclesiasticum Iudicem ipsius Rector cogi non potest, vt *in cap. petimus* 11. *quaest.* 1. *& cap. non licuit dist.* 17. vel cum deest Iudex Ecclesiasticus, ne scilicet tunc propter distantiam ab Vrbe Roma, Ecclesia interim ruat pendente prouisione facienda per Romanum Pontificem.

Respondetur secundò, cum Abbate, vt supra, supradictum textum non esse intelligendum; quòd in defectu Iudicis Ecclesiastici Princeps sæcularis possit causas Ecclesiasticas ad se aduocare, sed quod hic moueat superiorem Ecclesiasticum de neglecta, aut iniquè administrata iustitia vel quod faciat instantiam superiori pro illius correctione; atque ita docent Christophorus de Anguiano *in tract. de legib. tom.* 1. *lib.* 2. *contr.* 17. *num.* 93. Pesantius *tract. de immunit. Ecclesiast. disp.* 2. *num.* 1. Alterius *de censuris tom.* 1. *disp.* 16. *lib.* 5. *cap.* 2. qui citat Butrium Abbatem, Immolam, & alios Doctores mox *infrà* citandos. 22

Respondetur tertiò, cum Suar. contra Regem Angliæ *lib.* 4. *cap.* 38. solum ibi dici, quod Patronus Ecclesiæ, si viderit 23

bona

bona Ecclesiæ ab inferioribus clericis defraudari, moneat Episcopum; si videat defraudari ab Episcopo, moneat Metropolitanum; si à Metropolitano, Regijs auribus intimet, non quasi, vt Rex iurisdictione vtatur in Metropolitanum, sed vt authoritate sua illum moneat; vel si id satis non est, implorato Pontifice, eius authoritate illum cohibeat. Interim facto, & potentia impediat, ne Ecclesia in bonis suis damnum patiatur.

24 Respondetur quartò, quod prædictus textus fuerit sublatus, & abrogatus ab Innocentio III. *in cap. qualiter, & quando de Iudicijs*, atque ita docent Coriolan. *in Bull. Cœnæ excom.* 14. *fol.* 926. Fillucius *tom.* 1. *tract.* 16. *cap.* 10. *num.* 263. Salas *de legibus quæst.* 96. *tract.* 14. *disp.* 14. Pesantius *de immun. Eccl. disp.* 16. Azorius *part.* 1. *lib.* 5 *cap.* 14 *q.* 2. *ad finem*, Duardus *in Bull. Cœnæ li.* 2. *can.* 14 *quæst.* 8. *num.* 8. Iacobus Sahagun. de Villa sante *in cap. decernimus de iudicijs, num.* 159 Bonacina *de legibus, disp.* 10 *quæst.* 2 *punct.* 1. §. 1. *num.* 12 Glossa, Ioannes Andreas, Abbas, & alij penes ipsos, & per dictum *c. qualiter, & quando* dicendum est etiam cum Duardo, correctum, & sublatum esse *cap. si quis cum clerico, &* §. *si quis autem pecuniaria*.

SVBSECTIO IV.

Proponitur petitio, eiusque Resolutio.

1 PEtes, an aliquis Princeps de facto habeat à Pontifice priuilegium, vis arcendæ in causis? Affirmant, tale priuilegium habere Regem nostrum Hispaniarum Bannez 2. 2. *quæst.* 67. *art.* 1. Clarus *lib.* 5. §. *vltimo quæst.* 36. *num.* 26. Menoch. *de retinenda possessione remed.* 3. *num.* 354. Bellarmin. *in tract. de summo Pontific. cap.* 35. Suar. *de immun. lib.* 4. *cap.* 34. *num.* 43. & alij; quamuis Ceuallos *in cit. tract. de cognit. per viam violentiæ*, gloss. 6. asserat Regem Hispaniarum illud non habere, sed vim dictam arcere ex iure regali; & sic dũ praxim Tribunalis de la Fuerza defendere, & à peccato, & censura excusare conatur, excusationis causam aufert, cum neget, Regem Hispaniarum, vel ipsius ministros, ac magistratus id efficere ex priuilegio, vel ex consuetudine fundata in priuilegio; quapropter cum supradictis Doctoribus contra Ceuallos dicendum potius est, Regem Hispaniarum adeò Iustum, & pium à summo Pontifice tale priuilegium habere, quod quicumque Principes à summo Pontifice habent, ab excommunicatione Bullæ Cœnæ excusantur, aduocando ad sua Tribunalia causas spirituales; modò priuilegij formam seruent; & modò priuilegium reuocatum non sit; de qua re vide *infrà dubit. XXVII. per totam, & Bullam Vrbani VIII. super præseruatione Iurium sedis Apostolicæ, & inferiorum Ecclesiarum, ac personarumque Ecclesiasticarum, à quibuscumque præiudicialibus*, quæ incipit. *Romanus Pontifex*.

Et quod de priuilegio vis arcendæ in causis dixi, idem etiam dico de priuilegio conferendi Episcopatus, & alia beneficia, necnon & de priuilegio cognoscendi quascumque alias causas spirituales. 2

Vt igitur Reges tribunal de la Fuerza habere, Episcopatus, & beneficia conferre, vel alias causas spirituales similes cognoscere possint, requiritur priuilegium à Papa concessum; nec sufficit vlla consuetudo, aut præscriptio, etiamsi esset immemorabilis, cum perpetua tolerantia Pontificis: nam cùm versemur in his, quæ non sunt quæsibilia sine Principis concessione, tolerantia non suffragatur; hæc enim est tantum simplex conticen- 3

tia,

tia, seu patientia, quæ nunquam inducit dispensationem in his quæ sunt contra iuris dispositionem, vt est text. *in cap. cùm iam dudum, de prebendis.* & *ibi* gloss. ea siquidem conticentia intercedit ad euitanda tantum scandala, quæ sequi possent in procurando auferri huiusmodi abusus, vt tradunt Doctores *in cap. 2. de prabendis*, quandoquidem crimen publicum dissimulare dupliciter contingit, vno modo ipsum actum criminis non prohibendo, cùm prohiberi possit, & sic Ecclesia non sustinet, nec dissimulat, imò prohibet in canonibus *suprà* citatis; altero transgressorem talis prohibitionis non puniendo, & sic Ecclesia dissimulat propter difficultatem correctionis: multa enim tolerantur; quæ si in iudicium deducerentur, exigente iustitia non tolerarentur, vt dixit textus *suprà* allegatus *in cap. iam dudum, de prebend.* vide Rotam *in vna Aquinensis Monasterij die 26. Ianuarij* 1601. coram Illustrissimo Seraphino. vide etiam Turrecrematam *in canon. singula, num.* 8. *distinct.* 89. Zabarellam *consil.* 57. *num.* 2. Riccium *in praxi, tom.* 4. *resolut.* 137. & Doctores, quos citat & sequitur Silua *de beneficiis part.* 2. *quæst.* 23. *num.* 16. Vide etiam Tuschum *tom.* 4. *conclus.* 452 *num.* 28. vbi docet, quod quamuis ex priuilegio concedi possit laico per Papam collatio beneficiorum, & similia, non tamen potest id consuetudine, aut præscriptione acquiri, quia laici sunt incapaces iurisdictionis Ecclesiasticæ; quam Tuschi opinionem Probus *in addit. ad Ioannem Monachum capit.* 2. *praben. num.* 7. & 8. *in* 6. asserit esse communem; & ratio huius opinionis est, quia vt consuetudo excuset, & valeat, debet esse legitima, & præscripta, consuetudo autem præscribi non potest, quoties subiectum est incapax illius rei, quæ per consuetudinem induci prætenditur, vt notat Panormit. & Felinus *in cap. causam de præscript.* & *in capit.* 4. *de consuetud.* Decianus *in tract. crimin. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 14. & alij communiter; cum ergo laici sint incapaces Iurisdictionis spiritualis, & Ecclesiasticæ, *ex capit. causam de præscript.* & *cap. solita de maior. & obedient.* sequitur, ipsos non posse hanc iurisdictionem per consuetudinem acquirere; Ex quibus apparet, non posse prætextu consuetudinis Iudices laicos se tueri, & excusare; & ideò subdit Tuschus *vbi suprà num.* 44. quod omnes similes casus, qui sunt, prout attestantur Doctores, ex consuetudine alicuius Regni, vel Prouinciæ, sunt contra ius commune; & sic super eis non potest fieri fundamentum, nisi quia sic de facto seruatur. Vnde talis consuetudo, vel præscriptio, etiam immemorabilis, non valet.

Dices immemorabilis consuetudo est 4
sufficiens indicium, quòd ex legitimo priuilegio inchoata fuerit; quia præsumitur honesta: nam cum non possit probari mala, præsumitur bona, ergo &c. ita multi Iuristæ, quos sequitur Pereira *de manu Regia part.* 2. *cap.* 60. *numer.* 18. Et ratio vlterius est, quia quidquid per priuilegium, aut dispensationem Principis obtineri potest, id etiam per consuetudinem temporis immemorabilis introduci posse videtur; quia tanti temporis possessio, vel consuetudo facit præsumptionem tituli, seu priuilegij, sicuti colligunt Doctores ex *cap.* 1. *de præscript. in* 6. ergo si simus in casu, seu facto aliquo, quod neque iuri naturali, neque diuino repugnet, quo minus saltem per summi Pontificis consensum, ac priuilegium cohonestari possit, verb. grat. vt laici iurisdictionem aliquam in Ecclesiasticos exerceant, vel iis, aliquam collectam imponant,

imponant; vel clericales decimas possideant; vel in eadem Ecclesia duæ dignitates simul cum canonica obtineantur, & consequitur in eiusmodi casibus consuetudinem immemorabilem introduci posse.

5 Respondetur, regulam illam: *acquisibilia priuilegio, sunt etiam acquisibilia consuetudine, aut præscriptione*, limitandam esse, nisi lex consuetudinem, tanquam abusum, vel corruptelam improbet, sicuti ex communi notauit Felin. *in cap. accedentes, num.* 15. *de præscript.* ibidem Abb. *numero* 3. *& in cap. quanto de consuetud. num.* 2. *& in cap. vlt. eod. num.* 15. Rochus *sect.* 4. *num.* 33. Crauett. *de antiq. tempor. part.* 4. §. *materia ista, num.* 94. Canisius *tract. de diuinis, c.* 13. *num.* 3. Mascard. *conclus.* 1371. *num.* 32 & colligitur clarè *ex cit. cap.* 1. *de consuetud. in* 6. nam præscriptio locum habere non potest, si Ius faciat hominem incapacem possessionis, & consequenter præscriptionis, vt videre est in Iure decimarum, quod cum ex propria institutione sua Ecclesiasticum sit, in laicum cadere non potest; nisi ex speciali, & legitima Ecclesiastici Prælati concessione, aut priuilegio, *cap. prohibemus, cap. dudum de decimis, cap. causam quæ, de præscript. cap. decimas lib.* 16. *quæst.* 7. ergo nisi aliquis cum præscriptione talis tituli possideat, nunquam potest præscribere; quia incapax possidendi, est etiam incapax præscribendi, sicuti docent gloss. Abb. Felin. & alij communiter *in cit. cap. causam vnde*, & gloss. recepta *in cap.* 1. *de prescript. in* 6. *ver. non extat* Abbas *in cap. peruenit, num.* 3. *de censib.* Couarru. *reg. possessor, part.* 2 §. 3. *num.* 8. dixerunt, quod, tamen si is, qui possessionem temporis immemorabilis ostendere potest, non teneatur titulum allegare, cum ob temporis diuturnitatem id sæpè difficile sit, atque ipsa tanti temporis continuata possessio ius tribuat, id tamen intelligendum sit tantum, si capacitas sit in possidente. Quæ ratio similiter locum habet, quotiescumque Iura aliquam consuetudinem, tanquam irrationabilem, damnant: nam hoc ipso reddunt eam inefficacem ad præscriptionem inducendam: quandoquidem consuetudo, per quam præscriptio rationabilis esse debet, *capit. vlt. de consuetud.*

Excipe primò, nisi talis consuetudo 6 scientia, & libera patientia, seu permissione Principis adiuuetur; sicuti notauit Rocchus *loc. cit.* & Abb. *in cit. cap. accedentes, num.* 3.

Excipe secundò, nisi talis consuetudo 7 præsumpto aliquo titulo iuuetur, v. g. constante fama priuilegij concessi, quod temporis diuturnitate amissum sit: nam fama dat iustam causam credendi, vt ait Abb. *cap. de quarta num.* 10 *de præscript.* tunc enim præscribens non fundatur in mera possessione, aut consuetudine, sed in titulo, ex quo capax fiat possessionis, consuetudinis, ac denique præscriptionis cum bona fide, sicuti rectè notauit Grauet. *loc. cit.* & Mascardus *conclus.* 1371. *num.* 32. vbi ait; quod data incapacitate præscribentis, solus cursus temporis nil potest operari, vt reddat capacem eum, qui incapax est; quare tunc opus est, vt allegetur titulus priuilegij, aut exemptionis & ad probationem talis tituli sufficiet probare lapsum temporis, cuius initij memoria non extet; si nimirum Testes adsint, qui dicunt, semper fuisse constantem famam, tale ius alicui competere ex speciali concessione feudi, vel Apostolici priuilegij, eaque ratione, & præscriptione Iuris aliquem possedisse à tempore, cuius initij etiam ex auditu, seu relatione maiorum, nulla

nulla sit memoria.ita etiam docet Felinus *in cit.cap.causam*, Sylu. *verb. decima, quæst.* 10. *dict.* 2. Suar. *de relig.tom.* 1. *tract.* 2. *lib.* 1. *de decimis*, *c.* 27. Peregrin. *de Iure fisci*, *lib.* 4. *tit.* 8. Gabrielius *lib.* 5. *de præscript. conclus.* 1. *num.* 18.

8 Respondetur itaque ad argumentum solam, & nudam consuetudinem, etiam immemorabilem non sufficere ad probandum priuilegium in tali materia, quia illa regula non procedit in consuetudine reprobata per legem, & ratio vlterius est, quia priuilegium hoc est valdè odiosum, & difficilè, & tardò conceditur, quapropter nisi legitimè probetur, non præsumitur, solus ergo vsus, quantumvis antiquus, non probat sufficienter ius, seu priuilegium in tali materia.

9 Confirmatur, quia alioquin omnes immemorabiles consuetudines contra libertatem Ecclesiasticam, quas communiter improbant Doctores, admittendæ essent, quia probarent priuilegium, quod per omnes est absurdum; ergò dicendum, quod vltrà immemorabilem vsum, requiratur constans fama priuilegij, ad hoc vt tales consuetudines excusent à mortali, & censuris. Vide præter Doctores *supra* citatos Aufrerium *tract. de potestat. secul. in Ecclesiast. conclus.* 4. *fallent.* 12. & 13. Bursatum *lib.* 2. *consil.* 44. *num.* 12. & Suar. contra Regem Angl. *libr.* 4. *cap.* 32. & 34. *num.* 47. & alios mox *infrà* citandos.

10 Dico igitur breuiter, quod consuetudo, quamuis immemorabilis, si sola sit, & nullo titulo, seu priuilegio summi Pontificis adiuuetur, non potest Ecclesiasticæ exemptioni quidquam derogare; atque ita docent Doctores *in cap. clerici*, vbi Abb. *num.* 5. & 6. *de Iudiciis*, Bald. *in rubr. Auth. cassa, Cod. de sacros. Ecclesiis*, gloss. *in capit. vltim. de consuet.* Abb. *ibidem num.* 5. Lupus *de libert. Ecclesiastic. part.* 1. *quæst.* 6. Martha *de iurisdict. part.* 4. *cas.* 63. & 64. M. Anton. Gabrielius *lib.* 5. *de præscript. conclus.* 1. *num.* 9. Azor. *tom.* 1. *lib.* 5. *capit.* 13. *quæst.* 8. Tannerr. *lib.* 2. *defens. Ecclesiast. libertatis*, *cap.* 16. & alij, quos *suprà* citabam; quamuis huic communi doctrinæ ex parte contradicunt Couar. *in quæstion. cap.* 31. *num.* 5. & Clarus *lib.* 5. *sentent.* §. *practica criminali*, *quæst.* 36. *num.* 3. vbi docent quod, licèt Ecclesiastica immunitas in vniuersum tolli non possit per consuetudinem, potest tamen in parte tolli, vt scilicet in certis causis Potestas laica exerceat iurisdictionem, quæ alioquin ad Ecclesiasticos proprie spectat.

Sed probatur dictum nostrum; quia 11
si consuetudo Ecclesiasticæ immunitati derogare potest, vel id est per modum reuocationis, interueniente scientia, ac patientia, & sic tacito consensu summi Pontificis, vel id est per modum legitimæ præscriptionis, quæ etiam ignorante Principe, aduersus legem fieri potest; non primum, quia satis constat S.Pontificem huiusmodi consuetudinibus non præbere tacitum consensum approbatiuum; quin potius eas quotannis in Bulla Cœnæ reprobare, & damnare; quamuis interdum toleret; quia ob periculum maioris mali efficacius resistere, & prohibere non potest; non secundum quia consuetudo, quæ vt irrationabilis damnata est, non potest via præscriptionis legem abrogare, (sicut constat *ex cap. vlt. de consuet.* & supra dicebatur) consuetudo autem aduersus Ecclesiasticam libertatem, tanquam irrationabilis, passim in Iure damnatur, vt videre est *auth. cassa, Cod. de sacros. Ecclesiis, cap.* 1. *cap.*

cap. ad nostram, cap. inter de consuet. cap. cum terra de elect. cap. clerici de iudic. cap. noueris de sent. excom. ergo &c. vnde gloss. *in cit. cap. Clerici*, & *in cit. cap. vlt.* & ibid. Abb. pro regula tradunt quod consuetudo irrationabilis est, quæ contra neruum Ecclesiasticæ disciplinæ, vel Ecclesiæ libertatem tendit.

12 Confirmatur quia vbi est incapacitas ex parte præscribentis, non potest procedere præscriptio, sed laici sunt incapaces iurisdictionis super Ecclesiasticas personas, sicut & aliorum Iurium spiritualium, v. g. iuris decimarum, Ecclesiastici beneficij, & similium: ergo non possunt eam via præscriptionis comparare.

13 Confirmatur secundò, quia omnis legitima præscriptio legis adminiculo niti debet, cùm sit beneficium à iure inuentum, & impertitum, sed præscriptio contra Ecclesiæ libertatem à nulla lege adminiculum habere potest: non enim à lege ciuili, cum hæc limites suæ potestatis excedere non possit; neque à canonica, cùm sacri canones, eorumque author Papa, semper resistant, ergo, &c.

14 At quoniam Papa per speciale Priuilegium, ob iustam causam, datum alicui principi seculari, ex parte aliqua derogare potest Ecclesiasticæ exemptioni, vt proinde ex vi talis priuilegij capaces sint laici iurisdictionis in personas Ecclesiasticas, secundum limites concessionis; quapropter si titulus priuilegij exhiberi non potest, si tamen constans semper fama, ac traditio fuerit de accepto priuilegio, ideóque laici iurisdictionem aliquam in Ecclesiasticos exerceant, fundantes se non in mera consuetudine, quippè quæ Iuribus reprobata est, sed in titulo rationabiliter, ac bona fide præscripto, tunc præscriptioni locus esse potest per tempus, cuius memoria non existat, sicuti suprà dicebatur, & præter alios docet Suarez *cit. cap. 34. num. 17.*

Hanc tamen immemorabilem, & legitimè præscriptam consuetudinem Papa tollere, & reuocare potest. Ratio, quia cum præscriptio contra Ecclesiasticam libertatem, vt legitima sit, fundari debeat in gratia, & priuilegio, necessariò sequitur, quod si Papa tale priuilegium reuocare potest, poterit etiam reuocare præscriptionem, quæ ex præsumptione priuilegij vim capit, sicuti rectè notauit Suarez *num. 18.* 15

Confirmatur, quia exemptionem Ecclesiarum conseruare, eandemque diminutam redintegrare, spectat ad clauem supremæ potestatis spiritualis à Christo Domino in Petrum, eiúsque successores collatæ, at contra hanc supremam potestatem in spiritualibus non potest vnquam fieri præscriptio, sicuti rectè tradit Innocent. *in cap. 2. de postulat. Prælat.* in quo conuenire Doctores omnes testatur Crauetta *de antiq. tempor. tom. 2. tract. iur. fol. 170.* ergo, &c. 16

Non obstat, quod super ea re inter Ecclesiæ Prælatos, & Principem laicum concordata facta sint, & à summo Pontifice confirmata: nam adhuc ex graui causa ad bonum publicum spectante, reuocari poterunt: Ratio, quia vel concordia ideò tantùm facta est, vt intelligatur quousque priuilegia à Papa gratuitò concessa se extendere debeant, & tunc clarum est, quod concordia in gratuitis priuilegiis fundata, ex causa reuocari possit; vel concordia transiit in pactum onerosum, atque reciprocum, & tunc quoque ob causam grauissimam ad bonum Ecclesiæ spectantem, Papa reuocare potest, vt rectè in *loco suprà cit.* Suar. notauit, & patet ex doctrina ge- 17

nerali de priuilegiis, quæ licèt à Principe ob merita, vel cum imposito onere alicui concessa fuerint, tamen ex plenitudine potestatis reuocari possunt, ob publicam grauissimam causam, cùm talis casus in ipsamet concessione, aut concordia semper exceptus subintelligatur, dummodo tamen parti priuilegiatæ compensatio damni fiat, si damnum ex tali reuocatione patiatur; sicuti docet Suar. *cit. cap.* 34. *num.* 24. *& lib.* 8. *de legib. cap.* 37 *num.* 5.

18 Confirmatur, quia cùm exemptio in maximum bonum Ecclesiæ, & quidem diuino iure, vt multi tenent, introducta sit, non potest Papa sine iusta causa eidem aliquatenus renunciare; alioquin irrita erit renunciatio, & consequenter reuocari debebit; quinimo si ab initio causa subsistente, iusta fuit renunciatio, siue iurisdictionis per laicos exercendæ concessio ob temporum, ac rerum mutationem iniqua fieri potest, si scilicet in contemptum Ecclesiastici status, ac detrimentum Ecclesiæ cedere incipiat: in quo casu etiam ad Papam spectabit illam reuocare, quamuis interdum rationabiliter toleret, vt maiora damna vitentur.

19 Porrò, an reuocata sit de facto per Bullam Cœnæ consuetudo in priuilegio fundata trahendi causas Ecclesiasticas ad laica tribunalia. Affirmant aliqui, quos sequitur Bonacina *in Bulla Cœna disput.* 1. *quæst.* 15. *punct.* 4. §. 3. *num.* 1 ex eo, quia consuetudo immemorabilis, vel nititur priuilegio, vel non; si primum, nullum ius confert, vt patet *ex suprà dictis*. Si secundum, neque etiam suffragatur, quia consuetudo, licèt immemorabilis, in priuilegio fundata, non plus operatur, quàm ipsum priuilegium, cum vires accipiat à priuilegio, *leg. hoc iure, ff. de aqua quotid. & cap. super quibusdam, §. praeterea de verb. signific.* ergo cum priuilegium per Bullam Cœnæ sit sublatum, sublata etiam erit per Bullam eamdem consuetudo fundata in priuilegio; & sic Iudices laici causas Ecclesiasticas ad suum Tribunal trahentes, vel illarum executionem impedientes, à peccato, & censura bullari non excusantur, titulo immemorabilis consuetudinis, etiam in priuilegio fundatæ: negant autem alij, quos sequitur Filliucius *tom.* 1. *tract.* 16. *cap.* 10. *numer.* 28. ex eo, quia cum reuocatio priuilegiorum in dicta Bulla sit generalissima, per huiusmodi reuocationem non intelliguntur reuocata priuilegia specialiter concessa; quia lex posterior vniuersalis non derogat priuilegio anteriori speciali, si re vera illud concessum fuerit à Pontifice alicui Principi sæculari; sed de hac re vide, quæ dicentur *Dub. XXVII.* & quæ dicuntur, *in cit. Bulla Vrbani VIII.* super præseruatione Iurium Sedis Apostolicæ, & inferiorum Ecclesiarum, personarúmque Ecclesiasticarum, à quibuscumque præiudicialibus, quæ incipit: *Romanus Pontifex.*

SVBECTIO V.

Proponitur SVBCOROLLAR. III.

Sequitur tertiò, quod probabiliter defendi possit, quod docet Abb. *in cap. cum non ab homine, num.* 12. *de iudicijs, &c. vt fama de sentent. excomm.* Gomez *var. tom.* 3. *cap.* 4. *num.* 3. Bellettus *in disquis. cler. part.* 1. *tit.* 3. §. 11. qui pro hac sententia citat Felinum, Decium, Ioannem Andream, Baldum, Clarum, & alios; & quod docet Nauar. *in mand. cap.* 27. 1

*cap.27.num.*82.*& lib.5.consil.27.de sent.excomm. edit.* 2. Sylu. *verf. excommunicatio*, 6.*num.*14. Peregrinus *de immun.Eccl.cap.*16.*num.*37. Auendagnus *de exequent. Mand. part.*1.*cap.*22.*numer.*2. Olibanus *de iure fisci cap.*14 *num* 140.Borellus *de praest. Regis Cathol. cap.* 71.*num.*185.Duardus *in Bulla Coena lib.* 2.*can.*19.*q.*7.*num* 2.Cenedo *in quaestionibus can. q.* 4. *num.* 14.Ortiz. *in summ. cap.*4.*num.*9.Pereira *in tract. de Manu regia cap.* 10.*num.* 6.Salgad. *de protect. Regia tom.*2.*part*12.*cap.*4.*num* 13. Bonacin.*de legib.disp.*10.*quaest.* 2.*punct.*1.§.1. *num.* 22.Coriolanus *in Bulla Coena excommun.*19.Graffius *in decis. part.* 1.*lib.* 4.*cap.*18.*num.*152. Homobonus *de examin.Eccles.part.*2.*tract.*11.*cap.*4.*quaest.*4. *suppos.*3 Piasetius *in prax.Episc. part.* 2. *cap.*4.*art.*3.*num.*13.Castrus Palaus *tom.* 2.*tract.*12.*disp.vnica punct.*6.*num.* 4 Sa verb.Clericus, *num.*5.Molin. *tom.*3.*disp.* 56.*num.*2.Auila *de censuris part.*2.*cap.*5. *disp.*3.*dub.*13.*casu* 13 nempè,quod Clericus in flagranti crimine deprehensus, vel suspectus de proposito perpetrandi crimen (vt quia noctu armatus incedit, vel &c.) possit capi à Ministro Iudicis saecularis, vt Ecclesiastico suo iudici tradatur: hoc, inquam, defendi potest contra Hostiensem, & alios, quos refert & sequitur Martha *de iuris.part.* 4. *cent.* 1.*casu* 42. *num.* 11. & contra Megalium *in* 3. *part.lib.* 3.*cap.* 11.*num.*7. contra Sousam *in Bull. Coena cap.* 16.*disput.* 82. *num.*8. & alios modò (vt notauit Campanili *in diuers. Iur. rubr.*4.*num.* 26. & Barbosa *in suis collectan.tom.*2. *lib.* 5. *tit.* 39.*cap.*35.*num.*5. *in fine*) hae conditiones adsint: Prima, quod sit crimen perniciosum Reipubl.cuiusmodi est furtum rapina, homicidium, &c.secunda,quod non leuis suspicio, sed valde probabilis praesumptio sit, quod clericus tale facinus meditetur:tertia,quod incumbat necessitas illum capiendi (si enim Clericus, oblato idoneo fideiussore, promittat se sistere ordinario suo) capi, & in incarcerari non debet: quarta quod Minister modum non excedat; v.g. indecorè clericum ducendo, vel pugnis afficiendo, cum ire hic paratus sit: sic enim is excommunicationis poenam non euaderet, vti habetur *in cit.cap.vt famae*, & notauit gloss. *in cap.si clericos, verb.excedatur, de sentent.excommun.in 6.*quibus iuribus tamen requiritur; quod, si oporteat laicos Clericum capere, & ad iudicium trahere violenter; id fiat de mandato Praelatorum, saltem tacito, vti rectè Suar. notauit *cap.*34.*num.* 15. nam tunc non tam ipsi laici, quàm Ecclesiastici Praelati, quorum authoritati laici nituntur, contra Clericum procedere cẽsentur.Alioquin valde difficile erit intra terminos necessariae defensionis consistere,& iurisdictionem in Clericos propria authoritate nõ vsurpare,quod laicis prohibitũ esse,*supra* dicebã Quare quod Couar *lib.*2.*resol.c.*20. *prope finem,& in pract.qq.c.*33.*in fin.*Iul.Clar.*in pract.crim. q.*36. *n.*26.*& q.*82.*stat.*6.*n.* 1. Azeuedus *tom.*1.*lib.*1.*tit.*3 *leg.* 9.*n.*3.Borell. *de praestat.Reg.chat.cap.*71. *num.* 45. Duennas *reg.* 15. Plaza *de delictis lib.*1.*cap.*8.*num.* 9.Gomez *in leg.* 45.*Taur.num.*48.Cenedo *in collect.iur.can.part.*1.*collect.*37.*numero* 17.Morla *in empor. iur. part.*1.*tit.*1. *quaest.*16.*num.*17.Bobadill.*in Polit.tom.*1. *lib.*2.*cap.*18.*num.*17 Mexia *in prag. taxa panis consil.*5.*num.*58.Io. de Heuia in curia Philippica *part.*3.§.3.*num.* 9. & Ceuallos *tract. de cognit. per viam violentiae part.*2.*quaest.*54.*num.*17. & ex Theologis Bannes *in* 2. 2. *q.* 67. *art.*1.*dub.*2. *conclus.*5.Lorca *in* 1. 2.*tom.*2.*tract.de legib.disp.*25.*membr.*4.Vasq.*in* 1.2. *tom.* 2. *disp.*167. *cap.* 4. *num.* 31. Rodriquez *in*

summa tom.2.cap.237.num. 13. Io. de la Crux: *in part.1 precept.8.quast.3.art.1. dub.1.concl.* 3. Coriolanus *in Bull. Cœna excommun.*20. Graffius *in decis. part.* 1. *lib.4.cap.18.num.* 158. Ortiz. *in summa cap.4.num.9.& cap.7.num* 1. ac tandem Nauar. *consil.cit.27.numero* 1. aiunt, nempe quod in Gallia, & Hispania consuetudo sit, vt clerici arma gestantes per legem ciuilem prohibita, à sęculari Iudice vel Ministro, iis priuentur, sine obligatione restituendi, id aliter defendi non potest, nisi vt fiat cum consensu Prælatorum, saltem implicito, aut summi Pontificis concessione: nam licet Clerici talibus legibus ciuilibus, ob publicam ciuitatis quietem latis, obligentur quo ad vim directiuam, non tamen quo ad vim coactiuam, obligantur, ita vt à sæculari Magistratu puniri possint.

2 Neque dicas cum Lorca, & Vasq. *locis suprà citatis*, quod Ministri laici auferendo arma clericis non inducant pœnam legis, sed efficiant, quod lex seruetur, & impediant transgressionem legis: nam vt rectè obseruat Salas *de legibus, quast.* 96. *tract.* 14. *disput.* 14. *sect.* 9. *num.* 106. non spectat ad Iudices sæculares propria authoritate efficere, vt leges ciuiles à Clericis obseruentur; cùm nullam in eos iurisdictionem, præsertim coactiuam, habeant, vti *supra* dicebam; sed ad id cogendi sunt per Iudices Ecclesiasticos, quare etsi arma Clerico eripere sine eius percussione, &c. (sicut ad obuiandum delictum eumdem capere, & ducere ad Episcopum) pertineat ad necessariam defensionem, quæ proinde sæculari Magistratui aduersus Clericum iure conceditur, armorum tamen spoliatio, & amissio violentiam continet, & rationem pœnæ, vel saltem rationem coactiuæ iurisdictionis habet, quam sæcularis Iudex propria authoritate, & sine vlla expressa, vel saltem tacita commissione Prælatorum in Clericos exercere minimè potest; quapropter in tali casu Magistratus ciuilis arma Clericis erepta eisdem vel restituere, vel ad Ecclesiasticum eorum Magistratum transmittere tenetur; atque ita docent Suar. *libr.* 4. *defens. cap.* 34. *num.* 14. & alij Doctores, quos citat, & sequitur Barbosa *in collect. tom.* 1. *lib.3. tit.1. cap.2. num.6. & tom.* 2. *lib.* 5. *tit.* 39. *cap.* 25. *num.4.* quibus addo Madium *tract. de sacris ordinib. cap.* 14. *num.* 21. Bonacinam *de legib. disput.* 10. *quast.* 2. *punct.* 1. §. 1. *num.*2. Duardum *in Bull. Cœna lib.* 2. *can.* 12. *quast.* 11. *num.* 91. Bellettum *in disquis. Cler. part.* 1. *tit.* 2. §. 2. *num.*38. Martham *de iur. part.* 4. *cent.* 1. *cas.* 7. *num.* 20. Megalium *in 3. part. lib.3. cap.* 11. *num.* 2. Genuensem *in praxi, cap.* 74. *num.* 6. Riccium *part.* 3. *decis.* 299. *per totam*, vbi quærit, an Clericus ferens arma, possit resistere cum armis Ministro Laico, volenti ipsum capere, & respondet, quod sic; ac tandem addo Vasq. 1. 2. *disput.* 167. *cap.* 4. *num.* 31. qui eandem doctrinam tradit, sed limitationem adiungit, nisi armorum vsus, tanquam Reipublicæ perniciosus, ita prohibitus sit, vt neque domi retinere huiusmodi arma concessum sit: talem enim legem (inquit ipse) Magistratus ciuilis ob bonum publicum, etiam contra Clericos, iustè defendere poterit, & si alij melius limitationem istam non admittant ex eo, quia & talium armorum spoliatio, & priuatio vim coactiuam continent, & rationem pœnæ habent, quam sæcularis Magistratus propria auctoritate sine vlla expressa, aut tacita Prælati concessione, in Clericos exercere non potest, vti *suprà* dicebatur. Vide Suar. *in defens. fidei lib.* 4. *quast.* 34. *num.* 14. At quidquid sit de hac limitatione, an sit vera.

vera, reiiciendos saltem omnino puto ex suprà dictis Ledesmam *in summa tom. 2. tract. 8. cap. 9. concl. 33.* Villalobos *tom. 3. tract. 10. difficult. 16. num. 2.* Salsedum *in addit. ad Diaz cap. 68.* Morlam *in empor. iur. part. 1. tit. 1. quest. 16. num. 16.* & *seqq.* Cenedo *in collect. iur. part. 1. collect. 37. num. 19.* asserentes, quod clericus prohibitam venationem, vel piscationem exercens, possit spoliari à Iudice sæculari, vel eius Ministro, auibus, canibus, vel aliis venationis instrumentis, &c. vide Doctores *suprà cit.* ac etiam Auguianum *tractat. de legib. lib. 2. controuers. 15. num. 31.* vbi rectè asserit, quòd nullo pacto sustineri possit sententia eorum, qui docent, quod arma, aues, canes, vel alia venationis instrumenta prohibita, quæ à Clericis auferuntur, possint per sæcularem Iudicem capientibus adiudicari.

SVBSECTIO VI.

Proponitur SVBCOROLL. IV.

1 SEquitur quartò, quod defendi similiter etiam possit doctrina eiusdem Abbatis *in cit. Cod. cum non ab Homine, num. 10. & citat. cap. vt fama*, Nauarr. *cap. 17. num. 81. & 85.* Syl. & Sà *locis suprà citato*: Nempe quod Clericus debitor, si fugiat, vel fugam meditetur, possit non tantùm à Iudice sæculari, sed etiam à creditore priuato capi, ac detineri ad hoc, vt Iudici suo sistatur, & compellatur ad solutionem, dummodò debitum sit alicuius considerationis, quod à Clerico debitore, si aufugere permittatur, recuperari deinde difficilè possit: nam in hoc casu Clericus perindè se habet, ac si pecuniam alienam fugiens auferret; talem autem capi, & reduci posse, perspicuum est: quia contra vim iniustam se defendere, cuilibet naturali iure permittitur, idemque dicendum, si Clericus graui iniuriâ laicum affecit, ob quam ille à Magistratu suo Ecclesiastico incarcerandus, atque ad satisfactionem compellendus foret; poterit enim in hoc casu ad breue tempus, verbi gratia per viginti horas, non autem plus, vt contra Garsiam de Hispan. *nobilit. gloss. 9. num. 39.* & Villadieg. *in polit. cas. 5. num. 60.* dixit Megalius *in 3. part. lib. 3. cap. 11. art. 7.* Bellet. *in disquis. Cler. part. 1. tit. 3. § 11. num. 2.* Naldus *ver. Bulla Cœna num. 58.* Guallin. *de defens. reorum tom. 1. lib. 1. defens. 1. cap. 2. num. 5.* & Osorius *lib. 4. §. 3.* & tradidit gloss. *in l. capite*, & *ibi* Bart. *de adulteriis*, Panormit. *in cap. cum non ab homine num. 11. de iudiciis*, & hanc esse communem opinionem testatur Farinac. *quest. 8. num. 118.* à laico detineri, vel potius quamdiu tantum necessarium erit ad iustitiam obtinendam, nempe donec interim testes aduocentur, vel Iudici Ecclesiastico indicetur ad fugam delinquentis impediendam, sicuti docent Molina *tract. 3. disput. 56. num. 2.* & Campanili *in diuers. iur. rub. 4. num. 27.* Carolus de Grassis *de effect. Cleric. effect. 1. num. 557.* Scaccia *de Iudic. cau. tom. 1. libr. 1. cap. 39. num. 14.* & Palaus *tom. 2. disput. vn. punct. 6. num. 14.* qui non admittentes spatium viginti horarum asserunt, quod statim recto tramite Clericus ad Iudicem Ecclesiasticum deducendus sit. idem docet Barbosa *in suu collect. tom. 1. lib. 3. tit. 1. cap. 2. num. 7. & tom. 2. lib. 5. tit. 39. cap. 35. n. 5.* vbi ait, quod Iudex laicus in excommunicationem incurrat, si, cum possit statim, non tradit Clericum Iudici suo Ecclesiastico.

SVBSE

SVBSECTIO VII.

Proponitur SVBCOROLLAR. V.

1 SEquitur quintò, quod defendi minimè possit doctrina, quam tradit Bobadilla *in polit. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 66. Callistus Ramirez. *in tract. de lege Regia*, §. 27. *num.* 12. & Ioan. de Heuia *in curia Philipica part.* 1. §. 5. *num.* 35. Pereira *de manu Regia*, *capit.* 12. *num.* 12. Franciscus Pradilla *part.* 2. *cap.* 8. *numer.* 4 Marius Giurba *consil. crimin.* 48. *num.* 16. Antonius de Ballis *tract. var. lib.* 5. *pragm.* 1. *titul.* 10. *num.* 4. Fuscus *de visitatione lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 25. Humada *in leg.* 65. *tit.* 5. *part.* 1. *in gloss.* 8. Ceuallos *in tract. de cognit. per viam violentia gloss.* 6. *numer.* 65. Azeuedus *tom.* 2. *lib.* 4. *titulo* 1. *leg.* 4. *num.* 12. Cenedo *in quaestion. Canonicis*, *quaest.* 45. *num.* 24. Salgad. *de protect. Reg. tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 2. *à num.* 273. *usque ad num.* 280. Sotomaior *de Tertiis tom.* 7. *cap.* 41. *num.* 190. Cutellius *ad leg. Feder. capit.* 22. *not.* 25. *numer.* 5. & alij Iuristæ apud ipsos in locis *suprà* citatis; nempè quod Episcopi, & quicumque alij Ecclesiastici, tamquam inobedientes mandatis Principum iustis, vel ex quibuscumque aliis delictis, licitè possint è Regno ab ipsis Principibus expelli. Ratio, cur hæc doctrina defendi minimè possit, illa est, quia licèt verum sit, vti tradunt supradicti Iuristæ, quod scilicet debeant Ecclesiastici obedire mandatis Principum iustis, & leges eorum seruare, quoniam partes Reipublicæ sunt, ad id tamen, vti *suprà* dicebam, non tenentur secundum vim coactiuam, seu coërcitiuam, sed solum secundùm vim directiuam, ergo si iis non obediant, non possunt licitè Principes illos punire, & sic à Regno suo expellere; atque ita præter Molinam *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 3 *conclus.* 6. Vasq. *in part.* 2. *tom.* 2. *disp.* 167. *cap.* 4. Becanum *in summa Theolog. part.* 2. *tract.* 3. *cap.* 1. *sect.* 11. *n.* 11. & præter Doctores, quos citat, & sequitur Bonacina *in tract. de legibus disput.* 1. *quaestion.* 1. *punct.* 6. *num.* 29. & alios communiter Theologos, docet ex Iuristis Valenzuola *in defens. monitor. Pauli V. part.* 4. *num.* 101.

Neque dicas cum Olibano *de iure fisci cap.* 9 *num.* 28. Bobadilla, Ceuallos, Cenedo, & aliis Iuristis vbi *suprà*, hoc esse verum, si Principes à Regno Ecclesiasticos expellant per viam iurisdictionis contentiosæ, & Iudicialis; quia sic in ordine ad illos Ius, & superioritatem iudicialem sibi assumunt; At secus, si expellant per viam iurisdictionis œconomicæ, & politicæ: quia tunc, cum in ordine ad eosdem Ius, & superioritatem iudicialem sibi non assumant, licitè possunt illos à Regno expellere, ad eum modum, quo licitè potest Paterfamilias à domo expellere Clericum famulum, si hic inobediens, vel domum ipsius perturbans sit. 2

Nam Respondetur, quod talis distinctio, & tale exemplum ad rem minimè sit, & ratio est, quia famulus Clericus ab ipsomet Patrefamilias constituitur ad seruiendum Domui suæ; quare hic licitè potest ad placitum suum expellere illum, non solùm inobedientem, & domum ipsius perturbantem, sed etiam obedientem, & pacificum, neque ei vllam iniuriam infert, cùm famulus clericus ius nullum habeat commorandi in domo illius. At Clerici, Prælati, & Episcopi constituuntur à Papa in Regno ad seruitium & regimen Ecclesiarum, & ideo 3

& ideo si quando ij delinquunt, non possunt licitè illos à Regno Principes expellere; quia habent ius commorandi in eorum regno, non solùm vt ciues, sed etiam vt personæ ad seruitium & regimen Ecclesiarum, constitutæ à Papa, ad quem spectat de omni iure illos, si quando deliquerint, punire, & castigare; quare rectè dixit Bellettus *in disquis. cleric. tit. de fauore clericorum personali*, §. 5. *num*. 3. *part*. 1. quod non possit Princeps Clericum, si quam Ecclesiam in ipsius dominio à Papa obtinuit licitè expellere, nisi de licentia eiusdem Papæ; & hæc doctrina determinata iam est in Bulla Cœnæ *can*. 11. quapropter Principes expellentes Episcopos à diœcesibus, terris, vel dominiis suis, &c. necnon mandantes, ratum habentes, & auxilium, consilium, aut fauorem præstantes incurrunt in excommunicationem vndecimam supradictæ Bullæ, vt communiter obseruant Theologi, præsertim Henriquez *lib*. 14. *cap*. 12. *num*. 6. & *in glossa littera V*, Suar. *de censuris*, *disput*. 21. *sect*. 2. *num*. 70. Filliucius *tom*. 1. *tract*. 16. *cap*. 9. *num*. 247. Reginaldus *tom*. 1. *lib*. 9. *cap*. 20. *num*. 313. Scottia *in Bull. Pont. Epitom*. 266. *Theor*. 420. Alterius *de censuris*, *tomo* 1. *disput*. 12. *lib*. 5. *cap*. 4. § *quod verum est*. Saytus *de censuris*, *lib*. 3. *cap*. 15. *num*. 8. Bellettus in disquis. *cler*. *part*. 1. *tit*. 3. §. 2. *num*. 26. Coriolanus *in Bullam Cœnæ excommunic*. 11. Gambacurta *tract. de cas. reser. capit*. 11. *numer*. 4. Megalius *in part. lib*. 3. *cap*. 11. *num*. 4. *quæst*. 1. Duardus *in Bullam Cœnæ lib*. 2. *can*. 11. *quæst*. 9. Sousa *in Bullam Cœnæ cap*. 12. *in notat. ad text. num*. 3. & *disput*. 67. & ante hos Nauarr. *in manuali cap*. 27. *num*. 67. quem sequitur ex Iuristis Martha *de iuris part*. 2. *cap*. 34. *num*. 24. quidquid in contrarium dicant Pereira *de manu regia cap*. 12. *num*. 12. & Salzedus *in Addition. ad practic. crimin*. Diaz. *cap*. 102. adeò vt ex ipsis Iuristis talem sententiam consulere non audeat Ioseph Sesse *de inhibition. cap*. 8. §. 3. *num*. 103. & 104. & periculosam illam vocet Ioann. de Heuia *in Curia Philippica part*. 3. §. 3. *num*. 30.

4 Confirmatur, quia Ecclesiastici de iure diuino habent, vt liberè possint vbicumque habitare, & Ecclesiastica officia exercere, iuxta illud *Marc*. 16. *euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ*; & præterea vsus Ecclesiæ habet, vt Ecclesiastici, cum sola licentia, & literis commendatitiis suorum superiorum liberè vbicumque incedant, & inhabitent, & ad diuina celebranda, & sacramenta ministranda admittantur, iuxta decretum Trid. *sess*. 23. *cap*. 16. *de reform* quare sicut non potest maritus, tanquam Paterfamilias, expellere de Domo vxorem inobedientem, & perniciosam, ex eo quod illa ex matrimoniali vinculo habet ius cohabitandi vna cum marito, ita nec potest Rex, tamquam Paterfamilias expellere de Regno Ecclesiasticos inobedientes, & perniciosos, cum de iure diuino habeant, vt liberè possint vbicumque habitare.

5 Quapropter meritò in Bulla Cœnæ excommunicantur (vt *suprà* dicebam) omnes quomodolibet mulctantes personas Ecclesiasticas, nec non executores, & subsecutores talis banni; & sic ex quacumque causa hoc illi faciant, excommunicatione hac ligantur; recurrendum est igitur à Regibus, & eorum Ministris ad proprios Iudices Ecclesiasticos, vt ab his, qui in eos iurisdictionem exercere possunt, Ecclesiastici in exilium eiiciantur; non quidem simpliciter, sed

causa cognita, quia aliàs iniustitiam committerent, condemnando pœna exilij reum non auditum de qua re vide *decisionem Friderici Imp. in tit. 1. §. si clericus, de pace tenenda in vsib. feud.* vbi determinat, coram suo Episcopo conueniendum, & adducendum esse Clericum violatorem pacis, & ab eodem puniendum: imò non excusarem ab hac censura Prælatos, qui ad instantiam Principum sæcularium oretenus, & causa non cognita, præciperent alicui Ecclesiastico, aut illum cogerent, vt è finibus suæ Diœcesis discederet, ex eo, qua talis est Principis voluntas, & mens: nam cum huiusmodi præceptum, seu preces fiant ad instantiam Principis sæcularis, sunt illi quodam modo executores; maximè quia tunc non faciunt id, vt Episcopi, sed vt priuati; atque ita tenet expresse Martha *de iurisd. part. 4. centur. 2. cas. 140. num. 8.*

6 Neque instes cum Mirauete *in informat. pro iurisdictione Regia art. 22. fol. 69.* & alijs Iuristis (quibus consentire videtur Rodriq. *in addition. ad Bullam Cruc § 9. num. 84.*) quod non tenentur Principes impunè relinquere in Regnis suis Episcopos, vel alios Ecclesiasticos, si seditiosos, & pacem, ac Rempublicam perturbantes illos viderint; cum id tendat in damnum boni communis, cui Principes ex officio prouidere tenentur.

7 Nam respondetur, quod in huiusmodi casibus Episcopi, ac cæteri Ecclesiastici à Papa, & ab eius Iudicibus (id iustè poscentibus Principibus ad bonum commune) reprimi, & puniri possunt; quin, & ab ipsismet Principibus à Regno expelli, de licentia tamen Pontificis; quod si Pontifex consuli non posset, & ex alio capite tanta esset necessitas, quod clarè, & euidenter periculum esset in mora, tunc (vt rectè docuit Molina *tom. 1. tract. 2. disp. 31. conclus. 4.* Salas *de legibus tract. 14. disp. 14. sect. 9. num. 111.* Vgolinus *in Bulla Cœnæ cap. 11. part. 2. vers. aut eos §. 1. numer. 3. in fine,* & Tannerus in *2. 2. disp. 4. quæst. 4. dub. 1. num. 30.*) liceret Principi sæculari aduersus Clericos, & Episcopos per modum iustæ defensionis facere id, quod recta ratio ad impediendum damnum Reipublicæ imminens, opus esse dictauerit; At secus si res ita sese non haberet; & ratio est, quia quando periculum non est in mora, non habet locum modus iustæ defensionis; nam ad iustam defensionem conditio necessaria est, vt fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, sed quando Princeps potest à Papa, vel Prælato Ecclesiastico defensionem petere, inculpatè se defendit, ergo, &c. Vide, si placet, Suar. contra Regem Angliæ *lib 4. cap. 34.* & quæ dicentur *infra dubit. 23.*

Ex dictis sequitur etiam, quod non possint Reges expellere Episcopum ab Episcopatu, si simoniacè is electus sit; quia tam respectu causæ, quæ est spiritualis; quàm respectu personæ, quæ Ecclesiastica est, illius cognitio spectat ad Papam, atque ita in terminis talis casus docet ex communi Megalius *in 3. part. lib. 3 cap. 11. num. 18.* contra Bobadillam *in polit. tom. 1. lib. 2. cap. 18. numero 65.* 8

SVBSECTIO VIII.

Proponitur SVBCOROLLAR. VI.

SEquitur sextò, quod defendi non possit, quod docent nonnulli Iuristæ, inter quos Villadieg. *in polit. cap. 5. num. 90.* & ex Theologis Ortiz. 1

in

in summa cap.4.num. 9. Valerus *in differentiis vtriusque fori ver. Clericus diff. 3. num. 3.* & Ioannes Salas *in tract. de empt. & vendit. dub. 9. num. 2. nempe,* quod licitè possit Princeps, & eius Ministri cogere Ecclesiasticos, vt frumentum, & alia ad victum necessaria iusto pretio vendant tempore penuriæ absque eo, quod recurratur ad eorum Iudicem Ecclesiasticum, non (inquam) doctrina ista defendi potest; quia Ecclesiastici (vti dicebam) non subduntur Principibus laicis secundum vim coactiuam, seu coërcitiuam; sed ad summum secundum vim directiuam, quare in tali casu recurrendum omninò puto ad eorum Iudicem Ecclesiasticum, per quem illi ad id compellantur; atque ita docent Caballus *cent. 1. cas. 9. num. 10.* Anton. de Ripol. *var. resol. capit. 11. de empt. & vendit. numer. 91.* Molfesius *in summa tom. 2. tract. 12. cap. 5. num. 85.* Bellett. *in disquis. cler. part. 1. tit. 5. § 2. num. 9.* Madius *tract. de sacris ordinibus cap. 14. num. 38.* & Duardus *in Bull. Cœna lib. 2. can. 15. quæst. 17. numer. 45.* & alij communiter; & colligitur clarè *ex cap. non minus, & cap. aduersus de immunit. Eccles. cap. quamquam de censibus in 6.* & *ex Bulla Cœna can. 12.*

2 Excipe casum (vti similiter *suprà* dicebam) si maximè, famis necessitas vrgeret, & ex alio capite superior Ecclesiasticus requisitus exordesceret impiè, non prouidendo; vel si superior Ecclesiasticus adiri non posset, & interim periculum magnum esset in mora; nam in huiusmodi casibus vltrò concedo, quod Iudex laicus licitè posset frumentum Clericorum sequestrare, & illud ab horreis illorum extrahere, & iusto pretio vendere, non quidem per viam Iurisdictionis, quam in Ecclesiasticos minimè habet, sed per viam iustæ defensionis, ad vitandum scilicet periculum, quod ex tanta fame immineret communitati; At secus dicendum, si res ita se non haberet, & tantum periculum non instaret: nam tunc ad Iudicem eorum Ecclesiasticum, qui eos ad id compellat, non autem ad Iudicem sæcularem, qui iurisdictionis in Ecclesiasticos, capax non est, recurrendum omnino puto.

Non obstat, quod adsit necessitas, 3 seu vtilitas publica; nam hæc operari non potest, vt Iudici sæculari, qui incapax est, tribuatur in Ecclesiasticos iurisdictio; præsertim cum per suos competentes Iudices Ecclesiasticos illi compelli possint.

Non obstat secundò, quòd in hoc 4 Ecclesiastici Principibus laicis non obedientes, mortaliter peccent, etiam contra ius naturale, & diuinum; nam per hoc sequitur solum, quod ad id compellendi sint per Iudices Ecclesiasticos, qui in ipsos iurisdictionem habent non autem per Iudices laicos, qui iurisdictionem in ipsos non habent; nec habere possunt. Sed de hac re vide etiam si placet, Guazzinum *de defens. reorum tom. 2. defens. 20. cap. 9. num. 10* vbi docet, in omnem casum non posse cogi Ecclesiasticos ad aliquid faciendum, vel non faciendum tempore penuriæ, vel pestis, per Iudices laicos, sed per eorum Iudices Ecclesiasticos, compelli debere. Nec posse puniri pœna comminata à laico, sed alia arbitraria, & ratio est clara, quia publica necessitas (præsertim quando periculum non est in mora) non potest dare iurisdictionem laico, super Ecclesiasticos, vti suprà dicebatur. Vnde, vt notat Danza *cap. 3. de qualit. officialium, num. 14.* tempore maximæ penuriæ in Regno Neapolis Iudices laici

obtinuerunt à Nuncio summi Pontificis licentiam compellendi Ecclesiasticos ad frumentum reuelandum, & vendendum. Vide etiam Marchinum *de bello diuino, seu tract. de peste, part.* 4. *cap.* 2. vbi cum Marta *de iurisd. part.* 4 *cent.* 1. *cas.* 74. in simili casu docet, non posse Principem laicum tempore pestis astringere clericos ad obseruanda ipsius banna pro bono publico, & pro tuenda sanitate, promulgata, sed debere eum Episcopos pro executione prædictorum rogare; & ita declarauit sacra Cardinal. congregatio, *facto verbo cum sanctissimo sub die* 21. *Ianuarij* 1631. quapropter Episcopi tempore pestis, vel suam potestatem in Ecclesiasticos, quantum ad arcendam ab Vrbe pestem, & ad conseruandam sanitatem opus est. Magistratui sæculari delegent, vel laicis sanitati Præsidentibus admisceant assessorem Ecclesiasticum, qui in Ecclesiasticos iurisdictionem exercere habeat: idémque dic in ordine ad vendendum frumentum tempore caristiæ, & omni alio simili casu &c.

SVBSECTIO. IX.

Proponitur SVBCOROLL. VII.

1 SEquitur septimò, quod falsa sit doctrina, quam tradunt nonnulli Iuristæ, vt Bobadilla *in polit. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 122. & alij, nempe quod, si Ecclesiastici vendant vinum, frumentum & similia, vltra taxam à Principe taxatam, possint iustè à Principe, vel eius Ministris rebus dictis in pœnam spoliari, cum sic à lege Principis statutum est: falsa (inquam) sequitur, quod sit ista doctrina; quia, licet verum sit, quod Ecclesiastici tenentur seruare legem taxantem pretia rerum, sicuti *suprà* dicebam, & in terminis docent Sotus *de iust. & iur. lib.* 1. *quæst.* 6. *art.* 7. Molin. *tom.* 1. *tract.* 1. *disput.* 31. *num.* 13. Nauarr. *in man. cap.* 23. *num.* 887. Salonius *tom.* 2. *in* 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 1. *controuers.* 10. & alij Doctores communiter, tamen ex dictis ad id tenentur ad summum secundum vim directiuam, non autem secundum vim coactiuam: ergo non sequitur, quod Ecclesiastici teneantur ad pœnam, ad quam tenentur laici; si dicta victualia vendiderint, vltra pretium à lege Principis taxatum; nec Iudex laicus ex defectu Iurisdictionis potest in tali, & simili casu pœnam (quæcumque, seu quamtulacumque illa sit) ab Ecclesiasticis exigere; atque ita docent communiter Doctores, vt videre est apud Pesantium *tract. de immunit. disput.* 5. *in fine*, & apud Azorium *part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 13. *quæst.* 4. vbi ait, quòd Clericus suum vinum, vel frumentum, &c. cogitur Iure naturali, non ciuili Principis lege, tantidem vendere, quanti laicus; laicus vero eodem pretio vendere, non solum naturali, sed etiam ciuili iure, compellitur, & hinc est, vt si Principis lege sit pœna statuta in eos qui pluris vendiderint, eius pœnæ laicus sit reus, non sic autem Clericus: quod si verò Princeps expresserit, vt ea pœna afficiantur etiam Clerici, qui pluris vendiderint, nihil valet ex ea parte lex; quia pœnam statuit in eos, à quibus eam exigere & sumere non potest.

Non nego tamen, quod Ecclesiastici etiam in tali; & simili casu, si contrauenerint; puniri possint à Iudicibus suis Ecclesiasticis eadē pœna, qua puniuntur à Principe laici, vel potius mitiori, vti *suprà* ratione, & Doctorum auctoritate probabam. 2

SVBSECTIO

SVBSECTIO X.

Proponitur SVBCOROLL. VIII.

1 SEquitur octauò, quod non sit admittenda ddctrina, quam docet Ioan. de Neuia *in Curia Philippica part.* 3. §. 3. *num.* 11. & Bobadilla *in polit. tom.* 1.*lib.* 2.*cap.*18.*num.*117. nempè, quod Princeps, vel eius Minister laicus inueniens Ecclesiasticos exportantes è Regno pecuniam, frumentum, equos, &c. contra legem Principis prohibentem sub pœna commissi, possit ab illis talia auferre sine fractione libertatis Ecclesiasticæ, & excommunicationis timore, non (inquam) admittenda est doctrina ista; ratio, quia cum Ecclesiastici non subdantur legibus Principis secundum vim coactiuam, sed ad summum secundum vim directiuam, vt *suprà* dicebam, non possunt illi comprehendi sub tali statuto, & ordinatione; atque ita in terminis docent passim Doctores, Azorius *part.* 3. *lib.* 5. *capit.*19. *quæst.* 13. Alterius *de censuris tom.* 1. *disput.* 16. *lib.* 5. *cap.* 5.*in fine.* Valerus *in differentiis vtriusque fori verb. Clericus diff.*3. *numer.*4. Megalius *in* 3.*part. lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 36. Bartholomeus à S. Fausto *in speculo confess. disp.*33.*quæst.* 20. & alij apud ipsos in locis *suprà* citatis.

2 Nec dicas cum Bobadilla comprehendi Ecclesiasticos, sub tali statuto, quia tale statutum respicit bonum commune, tam laicorum, quàm Ecclesiasticorum, & affert hic Doctor exemplum de casu spoliationis armorum; nam respondetur, quod licèt respiciat bonum commune, non tamen ex æquo respicit Ecclesiasticos, & laicos; quapropter illi exempti esse debent à tali statuto, cum seruiant Communitati Laicorum.

Hinc in simili casu rectè dixit Lessius de iustitia, & Iure *lib.* 2. *cap.* 33. *dub.*3. *num.*25. quod ad reparationem pontium viarum publicarum, murorum vrbis, & similium, quæ primo, & principaliter spectant ad communitatem, non tenentur Clerici contribuere; vt communiter Canonistæ docent; quia non tangit illos principaliter, sed solum secundario, nempe vt sunt membra communitatis; alioquin nimis angustum, & prope nullum esset in oneribus publicis priuilegium Clericorum neque contra hoc facit *l. ad instructiones Cod. de sacros. Ecclesiis*, vbi habetur: *ad instructiones itinerum, pontiumque, etiam diuinas domos, & venerabiles Ecclesias libenter ad scribimus*, &c. quia cum talis lex sit contra immunitatem Ecclesiasticam, vim non habet, nisi speciatim ab Ecclesia approbetur, vt in hoc casu communiter Canonum, & Theologiæ Doctores docent; quidquid in contrarium afferant nonnulli Iuristæ, vt Regens de Ponte *de potestate Proregis tit.*4 *num.*62. & alij, nec non ex Canonistis Innocentius, Hostiensis, Glossa, & Cardinal. Anchara. *in cap. non minus de Eccles. immunitate.* 3

Adde, quod licet prædictum statutum respiciat ex æquo, tam Ecclesiasticos, quam laicos, inde tamen non sequitur aliud (vt patet ex dictis) nisi quod Ecclesiastici ad illud seruandum compelli, & puniri debeant per Iudices suos Ecclesiasticos, non autem per Iudices sæculares, atque ita docent etiam Ioan. Anton. de Nigr. *in repet. Clem. vnic. de vit. & honest. Cleric. num.* 115. Guid. Papa *in decis.* 78. & Regens de Ponte 4

loc. suprà cit. & alij Doctores: communiter, quapropter ad Prælatos Ecclesiasticos propter tale statutum seruandum recurrant Iudices sæculares.

5 Porrò ad casum similem, quem Bobadilla adducit de spoliatione armorum, Respondeo quod illa sententia non est vera, vt *suprà subsect. V.* dicebatur, præterquam quod esto, sit vera; dispar ratio est inter vtrumque casum: nam in casu armorum probabiliter timetur positiue damnum alterius, & perturbatio Reipublicæ, & sic per modum iustæ defensionis, non autem punitionis arma Ecclesiasticis à Iudice laico auferuntur, at in casu nostro non timetur positiuè damnum alterius, sed solum impeditur bonum commune, ad quod non tenentur Ecclesiastici, vel si tenentur, tenentur solum directiuè modo, quo *suprà* dicebam, ergò &c. quapropter solum concedo, quod per modum facti possint prædictæ res, donec Iudices Ecclesiastici moneantur, impediri, ne asportentur è Regno, dummodò postea Dominis Clericis, vel eorum Prælatis restituantur, vt patet ex dictis, & melius patebit ex dicendis *infrà in sect.* 20. *subsect.* 2. *& in dubit.* 29.

SVBSECTIO XI.

Proponitur SVBCOROLLAR. IX.

1 SEquitur nonò, quod reiicienda sit doctrina, quam tradunt Chassaneus *consuetud. Burgund. rubr.* 1. §. 5. *num.* 90. Cenedo *in collect.* 37. *num.* 18. Mexia *in prag. taxa panis concl.* 5. *num.* 29. & alij Iuris Doctores; nempè quod Ecclesiastici, qui falsa mensura triticum, vinum vel oleum, &c. vendiderint, possint puniri à Principe, eiúsque sæculari Ministro in bonis, vel in pœna pecuniaria, reiicienda (inquam) est ista doctrina; quia licet Ecclesiastici teneantur obedire statutis Principis iustis, & in bonum commune ordinatis, in iis rebus, quæ spectant ad regimen communitatis, si sacris canonibus, & Clericali statui non repugnent, tamen ad id ex dictis non tenentur directè, sed indirectè, *id est*, non ex vi legis, sed ex vi rationis naturalis; vel si directè, non tenentur secundum vim coactiuam, sed solum secundum vim directiuam; ergo si statuta illa Ecclesiastici transgrediantur, non possunt à Iudice sæculari puniri; sed vt puniantur ad Iudicem Ecclesiasticum recurratur, necesse est; atque ita in terminis docent Vasq. *in part.* 1. *tom.* 2. *disp.* 167. *cap.* 4 *num.* 29 *&* 30. Salas *de legibus disp.* 14. *sect. quæst.* 9. *num.* 106 Fillucius *tom.* 2. *tract.* 35. *cap.* 9. *num.* 94. Vigianus *tract. de immunit. Eccles. disp.* 2. *concl.* 5. Bartholomæus à Fausto *in spec. confess. disp.* 6. *quæst.* 44. *num.* 3 Barbosa *in collect. tom.* 1. *lib.* 3. *decret. tit.* 17. *cap. vt mensura de empt. & vendit. num.* 3. citat Martham, & alios quam plures Doctores.

SVBSECTIO XII.

Proponitur SVBCOROLLAR. X.

SEquitur decimò, quod reiicienda sit etiam doctrina quam tradunt ex Iuristis Salgado *de protect. Regia part.* 4. *cap.* 14. *num.* 100. *tom.* 2. Mexia in *pragm. taxa panis concl.* 5. *num.* 23. Lassarte *de gabellis c.* 19. *num.* 84 nempè, quod superior laicus, quando Ecclesiastici tenentur soluere gabellas, collectas, vel contributio- 1

tributiones, &c. possit eos ad illam soluendam compellere; quam doctrinam docet etiam ex Theologis Coriolanus *in Bull.cœn.excomm.* 16. vbi ait, *quod possint Clerici coram Iudice sæculari conueniri in censibus, & tributis*: nam videntur potius res eorum, tanquam affectæ, conueniri, quàm personæ, quamuis minus malè aliqui, etiam Iuristæ, hanc doctrinam restringant; nempè, dummodo Iudex laicus procedat contra bona, & non contra personam Ecclesiastici; sed simpliciter: reijcienda (inquam) est etiam ista doctrina: ratio, quia (vti *suprà* dicebam) Ecclesiastici nullo modo, neque quoad personam, neque quo ad bona subduntur Principibus laicis secundum vim coactiuam; ergo vt Ecclesiastici ad aliquid (quodcumque illud sit) compellantur, ad Iudices eorum Ecclesiasticos recurratur, necesse est.

1 Neque dicas, quod adsit consuetudo in communi: nam Respondetur, quod talis consuetudo est corruptela, reprobatáque per canones; & meritò, quia Iudex laicus incapax est iurisdictionis, præsertim coactiuæ, in Ecclesiasticos, vt *suprà* dicebatur. Vide, quæ diffusius dicentur *infra dubitatione XXVII.*

2 Neque dicas secundò, quod per hoc Iudex Ecclesiasticus non exercet iurisdictionem in personam Ecclesiastici, sed solùm in rem temporalem illius; nam Respondetur, quod quando onus, quod soluitur ex rebus est personale, re vera est ratione personæ; quare si persona est exempta, erit & exempta res personæ; cum onus imponatur ratione personæ; & accessorium sequatur naturam sui principalis.

3 Neque dicas tertiò, quod bona Ecclesiasticorum sunt temporalia, & respiciunt Ecclesiasticum, non vt Ecclesiasticum, sed vt Dominum temporalem, seu vt Ciuem dumtaxat: nam respondetur, quod Ecclesiasticus exemptus est, non solùm vt Ecclesiasticus, sed etiam, vt Ciuis, & sic quod simpliciter exempta est illius persona: nam cum bona (vti rectè notauit Suarez contra Regem Angliæ *lib.* 4. *cap.* 24. *num.* 11.) semper adhæreant personæ, non est integre, & perfectè exempta persona, nisi illius bona etiam exempta sint; quapropter *in capit. vnico de cler. coniug. in 6.* expressè statuitur, quod persona Clerici non possit à Iudice sæculari in rebus molestari, ne concedatur per vnam viam, quod per aliam denegatur. Non nego tamen, quod in casu, quo res Clerici euidenter affectæ sunt onere gabellæ, possint per modum facti, seu per modum iustæ defensionis iuris sui detineri, ne asportentur, donec gabella iusta soluatur Iudicibus Ecclesiasticis consultis, vt *suprà* etiam dicebamus, & dicemus *infrà in sect.* 20. *subsect.* 2. *& in dubitat.* 29.

SVBSECTIO XIII.

Proponitur SVBCOROLL. XI.

SEquitur vndecimò, quod falsa sit doctrina, quam docent Angelus *in leg. quoties, Cod. de iudiciis*, Federicus de Senis *consil.* 88. Lancellott. *de attent. part.* 2. *cap.* 15. *num.* 97. Aufrerius *in repet. Clem.* 1. *de officio ordin. num.* 81. Gullielmus de Benedictis *in cap. Rainutius verb. & vxorem decis.* 2. *num.* 142. Cassaneus *de consuet. Burgundiæ rubr.* 1. §. 5. *num.* 82. Franciscus Marcus *part.* 1. *decis.* 215. *num.* 1. & alij Doctores 1

Doctores, quos refert Iulius Clarus in *in pract. crimin. quæst.* 38. *num.* 14. & Anguian, *in tract. de legibus, tom.* 1. *lib.* 3. *controuers.* 28. *num.* 11. nempe, quod Ecclesiasticus, si falsum testimonium dixerit coram Iudice laico, possit puniri ab isto in bonis, si non in persona; falsa (inquam) est ista doctrina ex iis, quæ *suprà* dicebantur; & *infrà* in sect. 10. dicentur, cùm assignabitur ratio dicti quoad quintam partem, (quod scilicet Ecclesiastici, secundùm vim coactiuam, seu punitiuam, non subdantur Principi laico, neque etiam quoad bona, quæ ipsi possident) atque ita in terminis casus positi docent Surdus *consil.* 396. *num.* 27. Decianus *in tract. crimin. lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 22. Farinacius *de inquisit. quæst.* 8. *num.* 26. Fachineus *lib.* 9. *controuers. cap.* 27. Afflictus *decis.* 230. Martha *de iurisdict. part.* 4. *centur.* 2. *cas.* 138. *numero* 9. Ceuallos *in tract. de cognit. per viam violent. part.* 2. *quæst.* 67. Guttierrez *pract. quæstion. lib.* 1. *quæst.* 24. Salzedo *in pract. crimin. Bernardi Diaz cap.* 63. Duardus *in Bull. Cœn. lib* 2. *canon.* 15. *quæst.* 11. *num.* 34 Cabedo *decis.* 87. Layman *lib.* 4 *tract.* 9. *cap.* 4. *num.* 9. & colligitur *ex cap. si diligenti, de foro competenti, cap.* 1. *de cler. coniug. & ex authent. statuimus, Cod. de Episcop. & Cleric.*

2 An autem, saltem in defectu iustitiæ Ecclesiasticæ possit Iudex laicus in tali casu punire personam Ecclesiasticam; affirmat Escobar *de ratiocin. cap.* 7. *num.* 31. Morla *in empor. iur. tit.* 2. *quæst.* 14. *num.* 4. & 5. & alij Iuristæ, quos citat & sequitur Menoch. *de retinend. possess. remed.* 3. *num.* 254. & Bobadilla *in polit. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 91. vbi docet, clericum coram Iudice sæculari falsa testificantem, vel falsam scripturam præsentantem, non posse puniri à Iudice laico, nisi in defectu iustitiæ Ecclesiasticæ, idémque docet *num.* 93. in aliis casibus; sed ex dictis contrarium est omnino dicendum; ratio, quia nunquam licitum est Iudici sæculari negligentiam Iudicis Ecclesiastici supplere, cùm ille inferiorem ad hunc iurisdictionem habeat, ita vt ipsi potius maneat necessitas obsequendi, quàm authoritas imperandi, vti *supra* dicebatur, & expressè definitur *in cap. qualiter & quando, de iudiciis*, vbi clarè prohibetur, ne ob defectum iustitiæ trahantur clerici ad tribunalia sæcularia, atque ita etiam docet Suar. contra Regem Angl. *lib.* 4. *cap.* 14. Martha *part.* 4. *centur.* 2. *cas.* 146. & Canonistæ communiter, Guazin. *tract. de defens. reorum, tom.* 1. *defens.* 1. *cap.* 28. *num.* 9. Gratian. *in discept. forens. tom.* 2. *cap.* 238. *num.* 72. *& seq.* Aluarez *de priuileg. pauper. quæst.* 50. *num.* 11. & Bonacina *in Bull. cœn. disput.* 1. *quæst.* 15. *punct.* 4 § 4. *num.* 10. vide *suprà subsectionem primam.*

Non obstat *cap. filiis* 16. *quæst.* 7. vbi 3
dicitur, quod si Prælatus est negligens, possit Rex implorari; nam, vt *suprà sect.* 19. *subsect.* 3. dicebatur, dictum caput correctum fuit per caput *qualiter, & quando*, vel dicendum intelligi, quòd possit adiri Rex, non tanquam Iudex, sed tanquam protector, & defensor, vt scilicet roget, & moneat Prælatum, & bona interim tueatur, donec Papa consuli possit. Vide Suar. & Bonacinam *in locis suprà cit.*

Item an ad effectum repellendi per- 4
sonam Ecclesiasticam à testimonio ferendo, possit Iudex laicus per viam exceptionis cognoscere de crimine illius; affirmant Guttierrez *quæst.* 24. *cit. num.* 2. Iulius Clarus §. *vlt. quæst.* 38. *num.* 14. & alij Doctores, quos citat & sequitur Anguian. *in tract. de legibus, tom.* 1. *lib.* 3. *controuers.*

controuers. 28. *num.* 11. negant verò Hostiensis *in cap. verum, de foro competenti.* & Ioan. Andr. *in cap. at si clerici, in principio num* 21. sed de hac re quid ego sentiam, dicam alibi commodius, & magis ad rem.

5 Ex dictis tamen non inferas, quod propter paritatem rationis laicus deponens falsum coram Iudice Ecclesiastico, &c. non possit similiter à Iudice Ecclesiastico puniri: nam meritò contrarium docent Couar. *pract. quaest. c.* 12. *n.* 8. Afflict. *decis.* 219 Francus *decis.* 149. Capella Tholosana *decis.* 379. & ratio est, quia Iudex Ecclesiasticus habet iurisdictionem in laicum per accidens ratione periurij, & sic potest per accidens contra illum procedere; at Iudex laicus in clericum, qui coram ipso falsum testimonium dixit, &c. nullo pacto iurisdictionem habet, & per consequens nullo pacto poterit eum, neque in persona, neque etiam in bonis punire, vt *suprà* dicebatur, & *infrà* etiam diffusè dicetur.

6 Item quod & Clericus, si falsum deposuerit, &c. coram Iudice laico, puniri possit per Iudicem suum Ecclesiasticum, vide Riccium *part.* 4. *decis.* 81. *per totam.*

SVBSECTIO XIV.

Proponitur SVBCOROLL. XII.

1 SEquitur duodecimò, quòd admittenda non sit in praxi doctrina, quam docent Guttierrez *in pract. quaest. lib.* 1. *quaest.* 4. *num.* 2. Ceuallos *in tract. de cognit. per viam violent. part.* 2. *quaest.* 11. *num.* 44. Pereira *de manu regia, part.* 2. *cap.* 39. & Heuia *in Cur. Philipp. part.* 3. §. 17. *num.* 13. nempe quod Iudex saecularis pro executione poenae statuti possit procedere, si non contra personas Ecclesiasticorum, saltem contra eorum pecora, & animalia, si in pascuis alienis, & prohibitis illa reperta fuerint; admittenda (inquam) in praxi non est ista doctrina; idque propter rationes, quas *supra* dicebam, atque ita docet in terminis Sanchez *in opusc. tom.* 2. *lib.* 3. *cap. vnic dub.* 31. *num.* 2. & citat Lopez, & Castillo *in leg.* 70. *Tauri, num.* 18. ita etiam docet Barbosa *in collect. tom.* 1. *lib* 1. *tit.* 2. *cap.* 10 *num.* 6. vbi ait, quod laicorum statuta poenarum condemnationem, & exactionem imponentia aduersus eos, quorum pecora damnum dederint, aut in fructibus, vel in pastibus vetitis fuerint inuenta, non ligant Ecclesiasticas personas; quia indistinctè saecularibus prohibetur, Clericos distringere, aut condemnare *cap.* 2. *de foro compet.* tum quia causa haec, quamuis sua natura merè temporalis sit, tamē ratione personae Clerici, contra quem mouetur, manet Ecclesiastica, quidquid in contrarium resoluant, Greg. *leg.* 24. *tit.* 15. *part.* 7. Castil. *leg.* 70. *Tauri, numer.* 18. Auendan. *de exequendis mand. part.* 1. *cap.* 4 *num.* 30. *&* *cap.* 13. *num.* 7. *&* *part.* 2. *cap.* 14. *num.* 13. Gutier. *pract. lib* 1. *quaest.* 4. Alder. Mascard. *de gener. stat. interpret. concl.* 1. *num.* 115. *&* *seq.* Bellet. *disquisit. Cleric. part.* 1. *tit. de fauore reali* §. 6. *num.* 5. Ceuall. *commun. contra commun. quaest.* 897. *num.* 610. *&* *seqq. &* *in tract. de cognit. per viam violentiae in loc. suprà cit.* & alij ex eo, quia quando onus impositum est rei, potest saecularis iubere, vt executio fiat in re, quae in suo territorio, & iurisdictione est, non habito respectu, an persona, cuius res est. pertineat ad suum forum, vel iurisdictionem *arg. leg. viros* 12. *in princ. Cod. de Palat. sacrarum*

larg. lib. 12. *cap. si tributum* 11. *quæst.* 1. Bart. *in leg. Imperator, ff. de publican.* Bald. *in l. de iis, vers. ego credo, Cod. de sacrosanct. Eccles.* & *in authentic. sed & & periculum, Cod. sine censu.* Guttierrez *dict. quæst.* 4. *num.* 2. *decis. Pedemont.* 68. *num.* 34. Azeued. *ad l.* 12. *num.* 2. *tit.* 3. *lib.* 1. *noua recop.*

2 Confirmari potest, quia hoc pacto persona Clerici non condemnatur à Iudice sæculari, nec eius statuto ligatur: nam in persona Clerici nulla dirigitur executio, sed onus reale rei impositum, à Clerico exigitur sicut aliud quodcumque tributum reale. Sed ratio hæc non conuincit; nam omnino oportet sententiam fieri, & condemnationem pœnarum fieri in personam; quia animalia non sunt capacia quod conueniantur & condemnentur, *arg. cap.* 2. ibi, *rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit hoc tit. cap. mulier, vers. quæritur* 15. *quæst.* 5. ibi, *nec vllo modo capax legis sit.* bonus text. *in l. post principium, ff. si quadrupes pauperiem fecisse dicatur* ergo fundamentum prædictum cõtrariæ opinionis secundum iuris rigorem stare non potest, vt benè aduertit Auiles *ad cap.* 17. *Prætorum, gloss.* 1. *num.* 12.

SVBSECTIO XV.

Proponitur SVBCOROLL. XIII.

1 SEquitur decimotertiò, quòd defendi non possit doctrina, quam docent Gutierrez *de tutelis, part.* 3. *cap.* 1. *num.* 9. Io. de Heuia *in Curia Philippica. part.* 1. §. 5. *num.* 23. Salgado *de protect. Regia, tom.* 2. *part.* 4. *cap.* 14. *num.* 105. Borellus *de præstan. Regis cathol. cap.* 71. *num.* 340. Mexia *in pragmatica taxæ panis, concl.* 5. *num.* 35. & alij Iuristæ apud Carolum de Grass. *de effectibus Cler. effect.* 1. *num.* 855. & Bobadillam *in polit. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 130 nempe, quòd iudex laicus possit Clericum compellere ad restituendum depositum, quoties hic se obligauit in Tribunali Iudicis sæcularis illud restituere, defendi (inquam) non potest ista doctrina, propter rationes, quas *suprà* dicebam: atque ita docent in terminis Bellettus *in disquis. Cleric. part.* 1. *tit.* 3. *num.* 37. Bonacina *de legibus, disp.* 10. *quæst.* 2. *punct.* 1. §. 1. *num.* 26. Ambrosin. *de immunit. Eccles. cap.* 20. *num.* 53. Duardus *in Bull. Cœn. lib.* 2. *can.* 15. *quæst.* 11. *num.* 36. Surdus *lib.* 3 *consil.* 396. *n.* 33. Ceuallos *tract. de cognit. per viam violent. part.* 2. *quæst.* 76. *num.* 16. & Marttha *de iurisd. part.* 4. *cent.* 2. *cas.* 104. *num.* 9. & *cas.* 123. *num.* 4. & *part.* 1. *cap.* 50. *num.* 34. qui duo citati vltimo loco Doctores, quamuis admittant in praxi contrariam Aduersariorum sententiam, quoad causæ cognitionem (quòd etiam mihi non probatur) non tamen admittunt illam quoad effectum executionis; quapropter docent posse Iudicem laicum declarare, quod persona Ecclesiastica debeat depositum restituere: at simul docent non posse illum executionem huius sententiæ (ad restituendum scilicet depositum) contra dictam personam exercere, sed hoc ad Iudicem Ecclesiasticum spectare affirmant.

Hinc dicendum primò, quòd Iudex 2 laicus neque possit facere realem executionem sententiæ à se latæ contra Clericum in casibus, quorum sibi à Iure cognitio permissa est: atque ita contra Salgad. docent Doctores *vbi suprà*: vnde rectè aduertit Belletus cum aliis *in loc. suprà cit.* quòd si Clericus in causa reconuentionis condemnetur à Iudice

dice sæculari, tunc executio facienda sit, non per Iudicem sæcularem, sed per Iudicem Ecclesiasticum; & quod dato, & non concesso, Iudex sæcularis possit ordinare depositum, & sequestrum esse à Clerico per ipsum electo restituendum, executio similiter talis sententiæ per Iudicem Ecclesiasticum sit facienda.

3 Item dicendum secundò, quòd res litigiosa in Clericum lite pendente alienata, non possit ab eo per sæcularem Iudicem auocari, neque in eum directè fieri executio sententiæ latæ ab eodem Iudice sæculari: atque ita contra Vrsillum *in addit. ad dec.* 351. docet in specie præter alios Vincentius de Franchis *decis.* 549. *num.* 11. vide Marthum *vbi suprà*, & Genuensem *in praxi*, *cap.* 11.

4 Item dicendum tertiò, quòd non rectè dixerint Gulielmus de Benedictis *in cap. Rainnutius, verb. & vxorem, decis.* 2 *num.* 147. Trentacinquius *qq. forens. lib.* 1. *q.* 79. Salgad. *num.* 96. Carolus de Grassis *de effect. cleric. effect.* 1. & Barbosa *in leg. si quis posteaquam, ff. de iudic. num.* 165. docentes, quòd eodem modo, quo cognitio causæ pertinet ad sæcularem, pertineat ad eundem executio in temporalibus; & quod Iudex, qui est competens ad condemnandum, competens sit etiam ad exequendum.

SVBSECTIO XVI.

Proponitur SVBCOROLL. XIV.

1 SEquitur decimoquartò, quòd neque defendi possit doctrina, quam tradunt Pereira *tract. de manu Regia, part.* 1. *cap.* 7. *num.* 42. & Bobadilla *in politom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 86. scilicet, quòd Iudex laicus possit punire personam Ecclesiasticam pœna pecuniaria, si reuerentiæ signa ei non exhibuerit, vel si coram ipso quomodocunque aliter deliquerit, defendi (inquam) neque potest ista doctrina. Ratio, quia Ecclesiastici (vti *suprà* dicebatur) Principibus laicis secundùm vim, præsertim coactiuam, seu punitiuam, nullo modo subduntur, neque quoad personas, neque etiam quoad bona, quæ possident, quapropter *in cap. vnico de cler. coniug. num.* 5. statuitur, quod exempta persona clerici nullo pacto in rebus suis molestari possit; & redditur *ibidem* ratio, ne scilicet concedatur per vnam viam, quod per aliam denegatur: atque ita etiam in terminis casus positi docet Genuensis *in praxi*, *cap.* 8. *num.* 5. Megalius *in* 3. *part. lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 35. Layman *lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 4. *num.* 13. *& cap.* 5. *num.* 1. & Carolus de Grassis *de effect. Cleric. effect.* 1. *num.* 13.

2 Non nego tamen, quòd licitè possit Iudex laicus capere personam Ecclesiasticã ad finem, vt is ad Iudicem suum Ecclesiasticum ducatur, si talis captura hîc, & nunc necessaria esset ad propriam, vel aliorum defensionem exercendam: quia tunc Iudex laicus, quod faceret, non faceret per modum iurisdictionis, sed potius per modum iustæ defensionis, quod licitè fieri posse *suprà etiam* multoties affirmabam.

SVBSECTIO XVII.

Proponitur SVBCOROLL. XV.

1 SEquitur decimoquintò, quòd neque defendi possit doctrina, quam docet

cet Tiraquellus *de retract. lign.* §. 32. *gloss. vnic. num.* 80. Petrus de Cenedo *in collect. iuris can. part. 1. collect.* 37. *num.* 4. Humada *in l.* 54. *tit.* 6. *part.* 1. *gloss.* 2. *num.* 18. Mexia *in pragm. taxa panis, concl.* 5. *num.* 70. nempe, quòd Ecclesiastici, cùm ad id re vera teneantur, possint per iudicem laicum compelli ad reparandam viam ante domus suas: nec non & compelli ad pœnam impositam iis, qui effuderint amurcam, vel similia vetita effundi per vias publicas: defendi (inquam) neque potest ista doctrina, idque propter easdem rationes, quas *suprà* dicebam: & docent Layman *lib.* 4 *tract.* 9 *cap.* 6. *num.* 7. Viualdus *in candelabro super Bullam Cœnæ, cas.* 18. *num.* 9. & Molina *de iustitia, tom.* 3. *tract.* 2. *disp.* 272. *num.* 5. vbi ait, *quòd si vicini omnes contribuant ad sternendam lapidibus viam, quæ est ante ianuas ipsorum, Ecclesiastici, qui habent domum, tenentur similiter contribuere:* sed in tali euentu non possunt sæculares per se ipsos compellere Ecclesiasticos, vt contribuant, si Ecclesiastici renuant: sed id efficere debent per Episcopum, aut per alium legitimum iudicem Ecclesiasticum.

2 Neque defendi potest illa alia doctrina, quod scilicet Ecclesiastici contra Principis legem contrauenientes, teneantur ad pœnam effundentium amurcam, vel similia vetita effundi per vias publicas: quia cum Ecclesiastici non subdantur Principibus laicis secundùm vim coactiuam (vti dicebatur) clarè sequitur, quòd neque etiam subdantur pœnis per ipsos impositis.

3 Neque etiam defendi potest, quod docet Mexia *loco suprà citat. num.* 44. nempe, quod si graculi, aut vermes, aut locustæ, aut bruchi nascuntur in vineis, vel messibus alicuius Ecclesiastici, possit is per statutum cogi cum aliis, (in quorum vineis, vel messibus reperiuntur huiusmodi animalia) vt propriis expensis ea capiat, & occidat, & quòd in tali casu omnes quantumuis priuilegiati (ne aliis damnum sequatur) cogi possint, vt propriis expensis id exequantur.

Neque (inquam) defendi potest ista doctrina, quia cum Ecclesiastici (vti dicebam) Principibus laicis secundum vim coactiuam nullo modo subdantur, sequitur, quod licèt ad id Ecclesiastici teneantur, compelli tamen debeant per Iudicem Ecclesiasticum, & non per sæcularem; atque ita præter alios docet Molina *in loc. suprà citat.* 4

Excipe casum, si iudex Ecclesiasticus requisitus nollet procedere, vel abesset & interim periculum magnum esset in mora; nam tunc Iudex laicus non improbabiter licitè posset ad id Ecclesiasticos compellere, veluti per modum cuiusdam iustæ defensionis; sicuti *suprà* in similibus casibus similiter dicebam; vide Ioann. Salas *de legibus disput.* 14. *sectione* 9. & 11. *num.* 114 vbi ait, quod quando contributio facienda est æque primario in vtilitatem Clericorum, ac laicorum, verbi gratia pro reparatione aggerum, ne flumen vicinos agros Clericorum, & laicorum inundet, tenentur quidem Clerici contribuere; non tamen potest per se potestas laica illos recusantes compellere, sed per Ecclesiasticam, quod si id commodè fieri non posset (inquit ipse) putant quidam, non esse tunc omnino improbandam realem executionem per potestatem sæcularem; quamuis tandem contrariam opinionem, vt probabiliorem, sequatur ipse cum Lessio *de iust. & Iure, lib.* 2. *cap.* 33. *dub.* 2. *num.* 24. 5

SVBSECTIO

SVBSECTIO XVIII.

Proponitur SVBCOROLLARIVM *decimumsextum.*

1 SEquitur decimosextò, quod neque defendi possit illa alia doctrina, quam docent alij; nempe quod Ecclesiasticus à Iudice sæculari possit citari, & compelli ad testificandum in causa in qua non agitur de pœna sanguinis alicui inferenda: neque (inquam) defendi potest ista alia doctrina; ratio, quia testimonium alicuius authoritatiuè requirere, seu imperare, est actus iurisdictionis coactiuæ, atque adeo ad proprium superiorem spectans; at Ecclesiastici omnino exempti sunt à tali iurisdictione Iudicum sæcularium (vti *suprà* dicebam) ergo &c. atque ita in terminis huius casus docent communiter Doctores: cum S. Thom. 2. 2. *quæst.* 70. *art.* 1.

2 Quod si res postulare videtur, vt Ecclesiasticæ personæ testimonium in aliqua causa habeatur, duo modi teneri poterunt. Primus est vt Ecclesiasticus coram suo ordinario examinatus deponat, ac depositiones eius (si opus esse videbitur) ad iudicem sæcularem mittantur, sicuti docent Mascardus *vol.* 3. *de probat. concl.* 1358. *numer.* 61. Farinacius *in praxi crimin. part.* 2. *vbi de testibus*, *quæst.* 61. *num.* 86. ratio, quia Iurisdictio Ecclesiastica, & ciuilis, se inuicem adiuuare debent; sicuti docent Doctores *in cap. nouit. de iudiciis*, Secundus est, vt superior Ecclesiasticus det subdito suo licentiam testificandi coram Iudice sæculari, sicuti docent Mascardus *loc. cit.* Farinacius *num.* 83. & Martha *de iurisd. part.* 4. *casu* 128. *n.* 1.

Quoniam autem in aliquibus locis consuetudine iam obtentum esse videtur, vt Clerici sæculares à Iudice, vel à partibus rogati, ad testificandum in causis, præsertim ciuilibus, vltro accedant, non requisita prius Episcopi licentia, illud pro certo circa hanc consuetudinem aduertendum est, quod si Clericus falsum testimonium in iudicio dixisse putetur, causæ huius cognitio, ac criminis punitio Iudici Ecclesiastico omnino competat non autem sæculari, de qua re vide (si placet) Guttierrez *lib.* 1. *pract.* 99. *quæst.* 24. 3

SVBSECTIO XIX.

Proponitur SVBCOROLL. XVII.

SEquitur decimoseptimò, quod neque defendi possit doctrina, quam tradit Maranta *in pract. part.* 4. *dist.* 11. *n.* 63. & Bobadilla *in pol.* *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 193. quod scilicet possit Iudex laicus cogere Clericum, qui laicum spoliauit possessione, ad illam restituendam, ratio, cur defendi non possit, est, quia si Clericus, qui spoliauit, à possessione est eiiciendus, eiici debet, tanquam reus, & per vim coactiuam, ergo per Iudicem Ecclesiasticum, qui est competens eius Iudex, non autem per Iudicem laicum vt ex dictis patet. 1

SVBSECTIO XX.

Proponitur SVBCOROLL. XVIII.

SEquitur decimooctauo, quod neque defendi possit doctrina, quam tradit idem Bobadilla *vbi suprà num.* 194. 1

 Ceuallos

Ceuallos *tract. de cognit. per viam viol. part.* 1. *gloss.* 6. *num.* 61. *& part.* 2. *quæst.* 3. *num.* 9. *& quæst.* 99. *num.* 16. quibus fauere videtur Rodriguez *in summa tom.* 2. *cap.* 66. *num.* 40. quod scilicet possint Reges, vt executores Concilij Tridentini cogere Clericos, & Episcopos, vt illud obseruent, sicut &vt reparent Ecclesias.Ratio cur defendi non possit, quia si Reges sunt executores Concilij, id intelligi debet, quoad laicos subditos, non autem quoad Ecclesiasticos, in quos nullam habent, nec exercere possunt, iurisdictionem, præsertim coactiuam, vt patet ex dictis.

2 Dicendum ergò, quod si quando Concilium in eorum Regnis non obseruatur à laicis, Reges compellere possunt illos, vt illud obseruent; si autem non obseruatur ab Ecclesiasticis, monere tantum debent de hac re Episcopos, Archiepiscopos, Nuncios, ac tandem (si ita necesse sit) summum Pontificem:ad hos enim spectat cogere Ecclesiasticos, vt Concilium obseruent, & non ad Reges, de quorum iurisdictione Ecclesiastici exempti sunt, vt ex dictis patet; atque ita in terminis huius casus docent ex communi Lotherius *de Benefic.tom.*1.*lib.*1.*quæst.*11.*num.* 81 & etiam Pereira *in tract.de man. Reg.part.* 1.*cap.*8.*num.*11. vbi ait, quod respuenda sit illa praxis, quæ maximè inualuit pluribus sententiis Senatus corroborata, quod scilicet ad Regium Tribunal supplicare liceat, quoties aliquod Concilij Tridentini decretum ab Episcopo non obseruatur, quasi Reges sint Concilij protectores: hoc enim repugnat ipsi Concilio *sess.*25.*de reformat. cap.*3. nec his casibus violentia inest, cui occurri per sæcularem debeat.

3 Dicendum similiter est, quod non possint Reges, & multò minus inferiores laici Magistratus, compellere Ecclesiasticos ad reparationem Ecclesiarum, vt patet etiam ex dictis; atque ita in specie contra Ceuall. Bobadillam *in locis suprà citat.*Pereiram *cap.* 18.*num.* 5. & Degrassalium *lib.*1. *Regal. Franciæ iure* 6. docent Martha *de iurisd. part.* 2. *cap.*48.*num.*15. *& seqq* Lotherius *vbi suprà*,& alij.

Non obstat, quod Ecclesiastici teneantur ad reparationem Ecclesiarum; nam hinc non sequitur, quod Magistratus laici possint illos ad id compellere, quod si facerent, alienam iurisdictionem vsurparent. 4

Non obstat secundò, quod Reges sint executores, & Protectores Concilij Tridentini; nam hinc non sequitur, vt patet, ex dictis, quod possint exercere iurisdictionem in Ecclesiasticos, ex ipsis exemptos. 5

Non obstat tertiò, si dicas, quod Magistratus laici possint punire Ecclesiasticos in defectu iustitiæ Ecclesiasticæ: nam id est omnino falsum, vt *suprà* dicebatur; & ratio breuiter est,quia laici habent iurisdictionem inferiorem ad Prælatos Ecclesiasticos, quapropter illis manet potius necessitas obsequendi quàm authoritas imperandi. Vide *cap. qualiter, & quando de iudicijs*,vbi prohibetur omnino, ne ob defectum iustitiæ Ecclesiastici trahantur ad Tribunalia sæcularia. Vide etiam Martham *part.*4.*centur.*2.*cas.*146.Suar.contra Regem Angliæ *lib.*4.*cap.*14.Gratianum *in discept.forens.tom.*2.*cap.*238.*num.*72.*& seq.*Bonac.*in Bull.Cœn.disp.*1. *quæst.*15. *punct.* 4. §.4.*num* 10.& Guazinum *tom.* 1.*defens.*1.*cap.*28.*num* 9. 6

Non obstat quartò, *capit. filijs* 16. *quæst.* 7. vbi dicitur, quod si Prælatus sit negligens, implorari possit Rex: 7

nam

nam (vt alibi dictum eſt) caput hoc correctum fuit per caput *qualiter*, & *quando*: vel Reſpondetur, quod in caſu illo ſpeciali implorari poſſit Rex, non vt Iudex, ſed vt Protector, & defenſor, vt roget ſcilicet, & moneat Prælatum, & interim (dum Pontifex conſuli poſſet) Eccleſiæ bona tueatur.

8 Petes, an Epiſcopi poſſint excommunicare Reges, ſi ipſorum hi iuſridictionem perturbent. Affirmant Alterius *de cenſ. tom. 1. diſp. 10. lib. 3. cap. 5.* Fagund. *præcept. 2. lib. 1. cap. 3. num. 21.* & alij apud ipſos; quamuis ſubdant, quod propter reuerentiam quandam id ab Epiſcopis effici non debeat, niſi in caſu, quod ſic ſceleris pondus, & qualitas poſtularet. At negant Auila de *cenſ. part. 2. cap. 4. diſp. vnic. dub. 4.* Laym. *lib. 4. tract. 6 cap. 10. num. 4.* Bonac. *de cenſ. diſp. 1. punct. 4. num. 15.* & Barboſa *in collect. tom. 4. part. 1. Decreti, diſt. 96. cap. duo ſunt*, idque ex eo, quia priuilegium à ſummo Pontifice habeant, ne ab Epiſcopis excommunicari poſſint ob reuerentiam quamdam ipſis debitam, quorum opinio non eſt improbabilis.

9 Illud tamen mihi non probatur, quod docet Degraſſalius *lib. 2. Regal. Franciæ, iure 9.* Io. Ferrant. *de iuribus Regni Franciæ, priuileg. 6.* & Paponius *de iur. Fran. lib. 1. tit. 4. Arreſt. 9.* & alij, nempe, quòd tale priuilegium extendatur etiam ad Regios officiarios, & Conſiliarios. Ratio autem, cur mihi id non probetur, illa eſt, quia dictum priuilegium eſt perſonale, propter Regum ſcilicet, & Imperatorum ſingularem reuerentiam: ergo, &c. atque ita in terminis docet etiã ex Iuriſtis, Io. Dionyſius Portocarrero *in allegat. pro iuriſdict. Inquiſitorum, numer. 52.* vbi alios citat; quodque etiam Domini Inquiſitores ſimiliter poſſint Regios officiarios, & Conſiliarios excommunicare, ſi ipſorum perturbent iuriſdictionem, docet idem Portocarrero *num. 46. & 47.* & patet ex concordatis cum inquiſitione Regni Siciliæ apud Paramum *de origin. Inquiſ. lib. 2. tit. 2. cap. 11. num. 24.* Vide etiam Narbonam *in 3. part. Recopil. lib. 4. tit. 1. leg. 20. gloſſ. 22.*

Non obſtat pragmatica quædam, 10
vulgò dicta *la Cathalana*, in qua habetur, quòd Epiſcopi non procedant ad cenſuras contra officiales Regios inconſulto Rege, vel Prorege: nam illa eſt contra immunitatem Eccleſiaſticam, vt rectè aduertit Antonius de Pallis *in expoſit. dicta Pragmatica.*

SVB SECTIO XXI.

Proponitur Svbcoroll. XIX.

Sequitur decimononò, quòd neque 1
defendi poſſit doctrina, quam idem Bobadilla defendit *vbi ſupra, num. 99.* nempe, quòd Reges poſſint Epiſcopos, vel alios Eccleſiaſticos ad reſidentiam obſtrictos retinere pro gubernatione Regni, Conſilio, officio, vel pro aliquo alio ſeruitio, & quòd prædicti Eccleſiaſtici in tali caſu excuſentur à reſidentia, & fructus beneficiorum percipere poſſint: non (inquam) defendi poteſt iſta doctrina: quia ex dictis non habent Reges in Eccleſiaſticos aliquam iuriſdictionem, præſertim coactiuam.

Sed difficultas eſt, an poſſint id efficere ex vi priuilegij alicuius à ſummo Pontifice obtenti, affirmant Boerius *deciſ. 17.* Rebuffus *in concordatis tit. de collat. §. 1. var. reſidentia* Petr. Gregorius *de beneſ. cap. 7. num. 9.* Ioan. Selua

de

*de benef. part. quæst.*6. Ceuallos *in commun. quæst.* 585. *num.* 7. negant autem Garsia *in tract. de benefic. tom.* 1. *part.* 3. *cap.* 2. *num.* 390. & alij, qui tenent, nunquam extitisse huiusmodi priuilegium, & si forsan aliquando extitit, nunc reuocatum esse per Tridentinum, per Bullam Pij V. & Bullam Cœnæ.

2 At quidquid sit de hac re (de qua vide *Sect. XIX. Subsect. IV. Dubit. XXVII. & Bullam Vrbani VIII. Super præseruatione Iurium sedis Apostolicæ, &c. à quibuscumque præiudicialibus*, quæ incipit: Romanus Pontifex) illud tamen dicendum est cum Sancio *in selectis disput.* 47. *num.* 26. Barbos. *de potest. Episc. part.* 3. *allegat.* 53. *num.* 17. *&* Sanctarello *var. resolut. part.* 1. *quæst.* 3. *n.* 7. quòd dato quòd tale priuilegium concessum fuerit, & nunquam sit reuocatum, intelligendum sit, locum habere tantum, quando absque alicuius Episcopi, vel alterius Ecclesiastici præsentia Regnum, vel officium illud commodè gubernari non possit: tunc enim Pontifex licentiam dare potest, vt propter bonum commune Regni non resideant, qui aliàs residere tenerentur, quod si Regnum, officium, vel seruitium illud æquè commodè per alios administrari potest, non possunt, neque Reges, neque Episcopi à Pontifice priuilegium vllum habere: ratio, quia in tali casu Pontifex dispensare non potest, cum non adsit bonum commune, vel publica necessitas, & ex alio capite residentia sit de iure diuino, sicuti docent Val. *tom.* 3. *disput.* 10. *quæst.* 39. *punct.* 5. Sanchez *de matrim. lib.* 8. *disp.* 6. *num.* 5. Azor. *tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 4. *quæst.* 1. Lessius *de iust. lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 29. *num.* 153. Comitol. *in respons. mor. lib.* 1. *quæst.* 59. Tanner. 2. 2. *disput.* 4. *quæst.* 6. *dub.* 7. *num.* 181. & alij multi.

An autem Episcopi, aliique Ecclesiastici Regis feudatarij, vocati à Rege, debeant potius obedire Regi directo Domino feudi, quam Papæ, Respondeo potius Papæ, quin, & Metropolitano, ratio, quia maius est vinculum spirituale, quam temporale, *cap. solita de maior. & obedient.* atque ita docet Martha *de iurisd. part.* 4. *cent.* 1. *cas.* 18. *n.* 22. contra Olibanum *de Iure fisci cap.* 10. *num.* 6. & Carolum Degrassalium *Regalium Franciæ lib.* 2. *iur.* 13.

Item, an vocati ad bellum à Rege, debeant cum illo ad bellum ire, Respondeo, quod non; quia dedecet, sed solum tenentur ei opem præstare, & auxilium ferre, iuxta conditionem feudorum; atque ita docent contra Petrum Antibolum *de muneribus part.* 3. *num.* 97. *tom.* 12. *fol.* 28. *col.* 2. Lancellot. *in templ. Iudic. lib.* 1. *cap.* 2. *de Rege*, §. 3. *num.* 9. Olibanum *cap.* 8. *num.* 2. *& Degrassalium iur.* 14. docet Martha *in loc. suprà cit. num.* 26. *& cas.* 17. *num.* 18. Intrigliolus *de feudis quæst.* 30. *num.* 24. & Petrus de Gregorio *tract. de concess. feudi part.* 8. *quæst.* 2. & alij. 3

SVBSECTIO XXII.

Proponitur SVBCOROLLAR. XX.

SEquitur vigesimum; quod neque defendi possit doctrina quam tradit Ortiz *in summa cap.* 6. *num.* 3. quod scilicet possint Reges prohibere vel curare, ne Episcopi absint à suis Ecclesiis vltra tempus à Iure canonico statutum, item ne Ecclesiarum bona dissipent, nec decimas fructuum, præterquam consuetas, exigant, &c. ratio, cur doctrina ista defendi non possit, est quia hæc, & similia 1

similia Regum non sunt; cum laici in Ecclesiasticos potestatem, & Iurisdictionem, præsertim coactiuam, non habeant; & possint ex alio capite Papam monere, vt ipse curet, disciplinam Ecclesiasticam ab Ecclesiasticis obseruari, vt patet ex dictis; atque ita in terminis casus positi docent Azorius *lib. 2. lib. 11. cap. 7.* & Filluc. *tom. 2. tract. 28. part. 2. cap. 9. num. 136.*

SVBSECTIO XXIII.

Proponitur SVBCOROLL. XXI.

SEquitur vigesimoprimò; quod neque admitti debeat doctrina, quam docent nonnulli Iuristæ, quos citat, & sequitur Pereira *de manu Regia part. 2. cap. 22. num. 18.* Cened. *in decret. collect. 37. num. 3.* & Bobadilla *in polit. tom 1. lib. 2. cap. 18. num. 127.* & alij, nempè, quod omnes Ecclesiastici ab Ordinarijs locorum exempti, quamuis sint immediatè subiecti Papæ, possint (si delinquant) conueniri coram Iudicibus laicis, si in Regno non habent superiorem, à quo puniantur; non (inquam) admitti debet doctrina ista; quia cum generaliter omnes Ecclesiasti à laica Iurisdictione sint exempti, multò magis talis exemptio competet Ecclesiasticis illis, qui ex speciali priuilegio habent, vt soli Papæ subdantur: nam per hanc exemptionem generali priuilegio Ecclesiasticorum non derogatur; sed potius additur, vt qui est hoc munitus, soli Papæ subdatur: alioquin specialis fauor in odium illius retorqueretur contra *leg. quod fauore cap. de legib.* atque ita ex communi docet Megalius *in 3. part. lib. 3. cap. 11. num. 37.* & ex Iuristis Borellus *in addit. ad specul. Belluga rubr. 11. §. videndum, in littera G.* vbi sententiam oppositam dicit iniquam, & propterea in praxi non seruandam.

SVBSECTIO XXIV.

Proponitur SVBCOR. XXII.

SEquitur vigesimosecundò, quod neque admitti debeat doctrina, quam habet idem Bobadilla *vbi suprà numer. 65.* nempè, quod possint Reges expellere Episcopum ab Episcopatu, si simoniacè hic electus fuerit. Ratio, cur non admitti debeat, est; quia, tam respectu causæ, quæ spiritualis, quàm respectu personæ, quæ est Ecclesiastica, illius cognitio spectat ad Papam, vt patet ex dictis, atque ita in terminis nostri casus præter alios docet Megalius *in 3. part. lib. 3 cap. 11 num. 18.* Vide quæ *suprà* dicebantur, pręsertim in subsect. VII.

SVBSECTIO XXV.

Proponitur SVBCOROL. XXIII.

SEquitur vigesimononò, quòd in nullo casu possint Principes sæculares coercere Ecclesiasticos, idque propter rationes iam dictas. 1

Adde, quòd neque possunt absque eo, quòd incidant in excommunicationem Bullæ Cœnæ, eos occultè processare, etiamsi haberent animum præsentandi processum summo Pőtifici, vel Iudici Ecclesiast. Ratio, quia intentio præsentan-

di processum Iudici Ecclesiastico, non confert iurisdictionem ad capiendam informationem contra personas Ecclesiasticas: atque ita contra Graffium *in decis.part. 1. lib. 4. cap. 18. num. 135.* & Duardum *in Bulla Cœna, can. 15. quæst. 5. num. 2.* docent Filliucius *tom. 1. tract. 16. cap. 11. num. 312.* Sousa *in Bulla Cœna, cap. 20. disp. 95. concl. 2. num. 3.* Riccius *in praxi, tom. 4. resol. 460. nu. 5.* Bonacina *in Bulla Cœna, tom. 3. disp. 1. quæst. 20. punct. 1. num. 7.* & alij.

2 Non obstat, quòd informationem capere absque citatione, non dicitur processare, iudex autem laicus, qui occultè Ecclesiasticos processat, illos non citat: ergo, &c. nam respondetur, quòd quamuis informationem capere absque citatione, propriè, & in rigore loquendo, non sit processare, est tamen aliquo modo in causis criminalibus Ecclesiasticorum se intromittere, quòd adhuc est contra libertatem Ecclesiasticam, & ad excommunicationem contrahendam sufficit. Vbi aduerte, quòd si quando in aliquo facto criminali Ecclesiasticus, & sæcularis iudex conuenerunt, eatenus potest iste circa Ecclesiasticos testium dicta recipere, quatenus id ad procedendum contra laicos necessarium solùm fuerit, aliàs à censura Bullari non excusaretur, præsertim si informationem, non verbaliter, vt Prælato denunciet, sed iudicialiter accipiat.

3 Excipe tamen casum, si non adesset aditus ad Prælatum, qui iuridicè se informare posset de facto criminali Ecclesiastico, & in tali facto Ecclesiasticus continuaret, & periculum esset in mora: nam tunc licitè posset iudex laicus occultè Ecclesiasticum processare, dummodo haberet animum præsentandi processum Papæ, vel alteri iudici Ecclesiastico: sicut licitè possunt iudices laici coercere Ecclesiasticos in casu, qui se habeat per modum iustæ defensionis, quæ de iure naturæ cuilibet competit, vt si v. g. Papa monitus nollet prouidere, vel illum moneri, tempus non permitteret, & periculum esset in mora, vt *suprà*, etiam dicebatur.

Hinc primò, si Ecclesiasticorum libertas (ipsis v. g. in laicorum cædes impunè vacantibus) in manifestam Reipubl. perniciem cederet, summique Pontifices moniti, adhibere nollent remedium, possent Principes sæculares subditis suis consulere, nihil immunitate, & priuilegio Ecclesiasticorum impediente. 4

Confirmatur, quia ciuilis Respublica debet esse sibi ipsi sufficiens: ergo sicut potest propterea propria auctoritate se ipsam defendere, & seruare indemnem à quacunque alia Republica sæculari, ita & potest ab Ecclesiasticis: atque ita docent Guillelmus Benedict. *in cap Raynutius, vers. vxorem, num. 454.* Aufrer. *de potestat. sæculari super Eccles. personas, reg. 2.* Nauar. *in cap. cùm contingat de rescript. remed. 1. vers. 1.* Simanch. *cap. 42. num. 32.* Molin. *de iust & iur. tom. 1. tract. 2. disp. 31. num. 10* Fernandez *part. 2. cap. 6. § 1. num. 4.* & Salas *de leg. quæst. 94. tract. 14. disp. 14. sect. 9. num. 111.* qui rectè notat, quòd hi casus vix contingere possunt. cùm Ecclesiastici in Rempublicam tantam potestatem non habeant. 5

Hinc secundò, si Papa faceret aliqua mandata in euidentem destructionem Ecclesiæ, possent similiter propter easdem rationes Principes sæculares facto, & vi resistere Papæ, & impedire executionem talium mandatorum: vide Vict. *in relect. de potest. Papa*, & Azorium *part. 1. lib. 5. cap. 14. quæst. 5.* qui benè 6

benè notat, quod & talis casus etiam vix contingere potest.

5 Aduerte, quòd Papa potest, quin & debet leges sæculares iniustas, & bono spirituali aduersantes abrogare: & tunc subditi tenentur obedire potius mandatis Papæ, quàm mandatis Principum sæcularium: ita Molina *num*. 34. & Anguian. *num*. 74.

Item secundò potest, sic exigente fidei, Ecclesiæ, aut boni spiritualis communis conseruatione, deponere Reges. Vnde & transtulit aliquando imperium à Græcis ad Germanos.

Item tertiò potest, si Princeps aliquis hæreticus, vel schismaticus efficeretur, aut si hæreticis, schismaticis, vel aliis infidelibus Ecclesiam oppugnantibus, auxilium præstaret, aut quid aliud efficeret, quod cederet in Ecclesiæ detrimentum, efficeret, vti aduersus illum gladio temporali, & procedere vsque ad depositionem, & expulsionem à Regno. Ita Mol. *num*. 28. Vide etiam Malderum 2. 2. *quæst*. 1. *art*. 10. *dub*. 8. Bobadillam *tom*. 1. *lib*. 2. *cap*. 17. *num*. 5. Comitolum *in Apologet. cap*. 3 & Barbosam *in collect. tom*. 1. *lib*. 1. *tit*. 6. *cap*. 34 *num*. 3. & 4.

Item quartò potest ex causa rationabili Imperatoris Electores instituere, & institutos mutare. Vide Aug. de Ancho.

Item quintò potest Imperatoris electionem non confirmare, quin & illam improbare, si ipsi idoneus ille non videretur, & ex causa rationabili potest alium eligere, & electum, etiam confirmatum, deponere, quod & pluries factum est, de quà re vide 15. *quæst*. 6 & gloss. *in cap. venerabilem de elect*. Vide etiam Barbosam *vbi suprà*, qui citat Suarium, Bellarminum, Peregrinum de Iure fisci, & Mastrillum, vide etiam August. de Ancho. qui subdit, quod ex iusta, & rationabili causa, (v. q. propter electorum negligentiam, & discordiam, aut propter electi bonitatem, & condecentiã, aut propter Populi Christiani, & pacis prouidentiam, aut propter hæreticorum, schismaticorum, & similium hominum audaciam coërcendam) potest Papa etiam per se ipsum Imperatorem eligere. Ratio, quia Imperator est minister Papæ, eo ipso quod est minister Dei, cuius Papa est Vicarius: Est minister Papæ, sed principalis agentis est eligere ministros, & instrumenta ad suum finem, qui in Papa est pax, & bonum Ecclesiæ. Ergò, &c. vnde militaris, cuius finis est victoria, eligit equestrem, & frænofactiuam, vt ait *Ar*. 1. *Ethic*. dicitur tamen, quòd Imperator recipiat gladium à Deo 23. *q*. 4. *quæsitum*, quia non recipit illum à Papa, vt est singularis persona, sed solum, vt est Vicarius Dei. Vide *infrà sect*. 20. *subsect*. 4 & 5.

SVBSECTIO XXVII.

Proponuntur, & soluuntur circa Subcorollarium præcedens, difficultates quædam.

PEtes primò, an saltem posito quod velint, possint Ecclesiastici Iudici laico, vt Iudici, subiicere se quoad personam. Respondetur negatiuè, etiam in ciuilibus; atque ita definitur *in cap*. 41. *inolita* 11. *quæst*. 1. *cap. placuit* 42. *ibidem*, & *cap. si diligenti* 12. *de foro compet*. & docent communiter Doctores apud Dianam *part*. 1. *tract*. 2. *resolut*. 3. & ratio est, quia priuilegium exemptionis à laïca potestate (sicut & priuilegium canonis) non est concessum Ecclesia 1

 clesia

clesiasticis ratione personæ, sed ratione status; at nemo potest cedere huiusmodi priuilegio, vt patet *ex cit. cap. si diligenti de foro compet* ergo,&c.quod etiam procedit, si Ecclesiasticus renunciet eidem priuilegio, de consensu Episcopi; quia militat eadem ratio; ac ita docet Farinac. *de inquisit. quæst.* 8. *numero* 13. Martha *de iur. part.*4. *centur.*2. *cas.*152. *num* 8. Carolus de Grassis *de effect. cleric. effect.*1.*num.*652.&c alij.

2 Petes secundò, an possint eodem modo, quo *suprà* dicebatur, subiicere se illi, saltem quoad bona. Respondetur etiam negatiuè, quidquid in contrarium dubitauerit Azeued. *lib.*4.*tit.*1.*l.*11.*num.*16. & ratio est, quia bona Ecclesiasticorum, etiam patrimonialia, gaudent priuilegio exemptionis, Ecclesiasticis similiter concesso, ratione status, vt *infrà* dicetur Dubit. 14. & 25. & latè probat Barbosa *in collectan. tom.*1. *lib.*3. *tit.*49. *cap.*4. *num.*3. Layman *lib.* 4.*tract.*9.*cap.* 6. *num.*9. & Diana *part.* 1. *tract. de Parlamentis. resolut.*22. at non possunt Ecclesiastici (vt *suprà* dicebatur) tali priuilegio renunciare. Ergo,&c.

3 Petes tertiò, an possint eidem, vt arbitro saltem, subiicere se, quoad bona, & personam. Respondetur in tali casu affirmatiuè: & ratio est, quia per id non est potestati laicæ in Ecclesiasticos iurisdictionem tribuere. Ergo. &c. quapropter si Ecclesiasticus nolit posteà eius sententiæ, vel potius eius arbitrio stare, non poterit Iudex laicus per se ad id cogere Ecclesiasticum; atque ita docet Lessius *de iust. lib.* 2. *cap.* 29. *dub.*6.*numero* 52. & Tannerus *in* 2. 2. *disput.* 4. *quæst.* 4. *dub.* 1. *num.* 29. & alij. & ratio est, quia laicus in Ecclesiasticos nullam iurisdictionem habet, ex priuilegio iis ratione status concesso, cui cedere non possunt, etiam cum consensu Episcopi, vt *suprà* dicebatur.

SVBSECTIO XXVIII.

Proponitur circa dicta in Subsectione præcedenti aduertendum.

ADuerte itaque hîc, quod cùm traditur regula; *extingui priuilegium per renuntiationem priuilegiati*; intelligitur regula, si priuilegium in eius solius fauorem concessum sit: in hoc enim casu liberum vnicuique est, suo iure renunciare, sicuti dicitur *in cap. si de terra, de priuilegiis.* At priuilegiis, quæ principaliter in fauorem status, Ecclesiæ, vel communitatis concessa sunt, non possunt renunciare personæ priuatæ, nec etiam cum iuramento, vel consensu superioris, vt *suprà in Subsect. præcedenti* dicebatur, verbi gratiâ, non possunt Ecclesiastici renunciare priuilegio canonis, iuxta *cap. contingit de sent. excommun.* nec possunt renunciare priuilegio fori, iuxtà *cit. cap. si diligenti de foro competenti*, vbi Abb. *num.* 4. *& in cap. cùm accessissent, num.* 2. *de constitut.* 1

Adde, quod ob eamdem rationem Innoc. *in cap. accedentibus*, de priuilegiis, & *ibidem* Alexander de Neuo *super Abb. lit. C.* generalem regulam tradunt; quod capitulum, seu Conuentus non potest renunciare iuri acquisito per consuetudinem, statutum, aut priuilegium, si tale ius Ecclesiæ vtile, aut honorificum sit; v. g. vt in Canonicos non assumantur, nisi qui sunt in sacris ordinibus constituti; quapropter, si capitulum faceret contra talem constitutionem, consuetudinem, aut priuilegium, vnus solus posset se opponere 2

nere; imò ſi omnes contrà facerent, ſuperior, id eſt, Epiſcopus poſſet, & deberet impedire, quatenus id in damnum Eccleſiæ cedit.

3 Qua eadem ratione Suarez *tom* 1. *de religione tract.* 2. *lib.* 1. *cap.* 20. *numer.* 3. docet, quod priuilegio immunitatis à decimis ordini Religioſorum conceſſo, à Prælato, & Conuentu non poſſit renunciari; quibus adde, quod nec exempti priuilegio exemptionis poſſunt renunciare, quia id cederet in præiudicium Principis, v. g. Papæ, qui eos ab aliorum ordinariorum iuriſdictione liberos, ſuæ gubernationi, & protectioni immediatè ſubiecit, ſicuti colligitur ex *cap. cum tempore*, vbi id notat Abb. de Arbitris.

4 Ex dictis itaque ſequitur, quod tantum ea priuilegia per renunciationem expreſſam, vel tacitam (id eſt per actū priuilegio directè contrarium, ſcienter, ac liberè exercitum) tolli poſſunt à capitulo, vel Prælato, quæ Eccleſiæ vtilia non ſunt, vel ſaltem ſunt indifferentia, iuxta *cit. cap. cum acceſſiſſent de conſtitut. & cap. pro illorum de præbend.*

SVBSECTIO XXIX.

Proponuntur exceptiones quædam.

1 VErum id publicæ vtilitatis cauſa receptum eſt, vt propter negligentiam Prælati contrà Eccleſiam currat præſcriptio 40. annorum, iuxta *cap.* 4. & 5. *de praeſcript. & cap. accedentibus, de priuilegiis*, idque vt litium aliquis finis ſit; & vt iura ac dominia non diu in incerto maneant, in præiudicium communitatis.

Item ſecundò, quia priuilegium non debet eſſe iniquum, extinguitur; ſi cedere incipiat in graue detrimentum cõmunitatis, aut ſi quo alio modo per rerum mutationem iniquum euadat; vt vel per ſeipſum ceſſet, vel ſaltem à priuilegiante poſſit reuocari, ſicuti colligitur *ex cap. ſuggeſtum, de decimis*, vbi notant Doctores reuocari priuilegium exemptionis decimarum, ſi poſtea in Eccleſiæ detrimentum vergere incipiat; & ſicuti colligitur *ex cap. cùm ad hoc, de clericis non reſidentibus*, vbi habetur, quod ſi Eccleſia patiatur defectum miniſtrorum, priuilegiati ſuper non reſidentia, ad redeundum compelli poſſunt, fructuum ſubtractione. 2

Item tertiò, quia priuilegium interpretandum ſemper eſt, vt non ſit oneroſum priuilegiato, vtque potius ei aliquid tribuat, quàm vt auferat, iuxta *regul.* 61. *in* 6. per quam dicitur, quod ob gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum priuilegium exemptionis, v.g. conceſſum Regularibus, non impedit, quominus ij, cum Prælati conſenſu, ſubiicere ſe poſſint Epiſcopo, vt ab eo abſoluantur à peccatis, ac cenſuris; & vt diſpenſetur cum eis in voto, iuramento, irregularitate, ſi accidat Epiſcopum, non autem Prælatum Ordinis, tali facultate ex priuilegio præditum eſſe; atque ita præter alios docet Henriquez *lib.* 7. *cap.* 25. *numero* 2. & *lib.* 14 *cap. vlt. in fin.* Auila *part.* 2. *de cenſur. cap.* 7. *diſput.* 1. *dub.* 6. *concluſ.* 2. Molina *tract.* 3. *diſput.* 61. vbi ſubdit idem etiam eſſe dicendum, ſi manifeſtò appareat quod Prælatus Ordinis conſenſum irrationabiliter neget. Ratio, quia non videtur eſſe mens Summi Pontificis, exemptionis priuilegium ad talem caſum extendere, quo in priuilegia- 3

ti detrimentum cedat, vti *suprà* dicebatur.

4 Eadem ratione dicendum est, quod quamuis indulgentiæ concedi non possint, nisi subditis (sicuti constat ex *cap. quod autem, de pœnit. & remiss.* vbi eius rei ratio datur; quia sicuti à Iudice non suo ligari nemo potest, ita neque absolui) exempti tamen participes fieri possunt indulgentiarum Episcopalium, & in ea re, sicut & in dispensationibus votorum, iuramentorum, &c. subiicere se iurisdictioni Diœcesani, idque ne priuilegium exemptionis, quod ipsis gratiosè concessum est, in eorumdem dispendium cedat, vt *suprà* dicebatur.

5 Adde, quod propter eandem rationem Episcopi, & quicumque Prælati suis subditis licentiam dare possunt, vt ab alieno Episcopo datas indulgentias lucrentur, quin & ipse Episcopus, aut Papa, cum communitati, cuius pars est, indulgentias largitur, non minus, quàm alij, particeps illarum fieri potest, sicuti explicat Sotus *in 4 distinct. 21. quæst. 1. art. 4* propè finem, & nos *dubit. 4. sect. 27. subsect. 1.* dicebamus; & ratio breuiter pro nunc est; quia concessio indulgentiarum est actus iurisdictionis voluntariæ, quam in se ipsum homo potest exercere, vt *ibi* dicebatur; tum quia concessio indulgentiarum est merè fauor, & beneficium, in nullius detrimentum, sed in communitatis spirituale commodum cedens, vnde latè (vt inquiunt Doctores inter quos Suarez *tom. 3. disp. 56. sect. 2. num. 8.* Coninch. *tom. 2. disp. 12. dub. 4. contra Palud. in 4. dist. 10. quæst. 4. artic. 3.* & Nauar. *in comment. de indulgent. notab. 9. num. 8.*) interpretanda est, seruata tamen verborum proprietate.

SVBSECTIO XXX.

Proponitur, & explicatur primum exemplum cum primo Corollario.

EX dictis itaque concessio indulgentiarum, quia est fauor, & beneficium, latè interpretanda est; intelligitur autem hæc doctrina, non in casu, quod dubitatur de potestate concedentis indulgentiam tam amplam; tunc enim potius restringenda est indulgentiarum concessio; cum alioquin periculum sit, ne iuri diuino derogetur, & per indiscretas indulgentias disciplina Ecclesiastica eneruetur, sicuti dicitur *in cap. cum ex eo de pœnit. & remiss.* & in Tridentin. *sess. 25. in fine decreto de indulgent.* vbi traditur in indulgentijs concedendis moderationem iuxta veterem probatam consuetudinem, debere adhiberi, ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina eneruetur; sed intelligitur prædicta doctrina in casu, quod dubitetur de voluntate concedentis: vtrum scilicet voluerit dare indulgentiam amplam, vel strictam, secundum personas, temporis durationem, &c. vt tunc benignior interpretatio fiat; modò constet de potestate concedentis, & de sufficiente causa tam amplam indulgentiam concedendi: v. g. si Papa, vel Episcopus concedit indulgentiam alicui Ecclesiæ, intelligatur de perpetua, nisi restrictio facta fuisset per regulas Cancellariæ qua de re Nauarrus *in loc. suprà cit.* 1

Corollarium II.

SEcundò, si indulgentiam concedit populo Neapolitano, intelligatur concessa, 1

concessa, etiam Clericis, & concessa clero, intelligatur concessa etiam Episcopo, & Religiosis eius loci, præsertim quia in casu dubio, si materia est fauorabilis, nomine populi venit etiam clerus, & nomine Cleri, etiam Episcopus, ac Religiosi; quamuis non sic in materia odiosa; atque ita docet Sylu. *verb. Clerus*, 1.*n*.1.Sa *n*.1. Armilla *n*. 2. & 3.

Corollarium III.

1 Tertiò, si indulgentiã concedit Ecclesiam visitantibus, intelligatur concessa, vt sæpius in die illam visitans, toties lucretur indulgentiam: quapropter etiam qui prima hebdomada lucratus est Iubilæum; potest & in altera hebdomada, repetendò opera in illo præscripta, iterum illum lucrari: atque ita contra nonnullos tradunt Henriq. *lib.6. cap.16 num.3. & lib.7. cap.11. num.1* Rodriq.*tom 1.sum.cap.184.num. 14.* & sentire videntur etiam Nauar. *notab 32. num. 46.* & Bonzon *lib. 5. cap. 15. dub. 23.* similiter qui, nuptias contracturus cum Caia, dispensationem absolutè propter difficultatem, v.g. continendi à supplicante allegatam, dispensationem super voto perpetuæ continentiæ, vel approbatæ Religionis impetrauit, potest impeditis postea his nuptiis, aliud matrimonium contrahere: atque ita communiter docent Doctores *in tract. de legibus*, quamuis secus dicendum, si dispensatio conferatur limitatè, ac respectiuè, puta in ordine ad certum, seu determinatum matrimonium, cuius contrahendi causa, atque necessitas vrget, v.g. ne mulier decepta infamiam incurrat: tunc enim (cùm dispensationis motiuum, seu causa cesset) talibus nuptiis impeditis, non poterit aliud matrimonium contrahere sine noua dispensatione: similiter qui facultatem eligendi confessorem obtinuit, potest toties, quoties voluerit confessorem eligere, & illum mutare: atque ita docet Suar. *de pœnit. disp.27.sect.2.* idque ex eo, quia cùm tale priuilegium sit merè gratiosum, in detrimentum nullius vergens, non finitur finito actu, sicuti finitur alterius naturæ priuilegium, seu dispensatio, v.g. loquendi cum Moniali, intrandi Monasterium, & similia: in odiosis enim sermo simpliciter prolatus intelligitur de prima vice, *l. boues §. hoc sermone, ff. de verb. sign.* & sic quamuis in materia fauorabili æquiualeat vniuersali, *arg. l. cum inter veteres, vers. maximè, Cod. de fideicomm. lib.* non sic tamen in odiosa: atque ita docent Batt. *in l. si pluribus, ff. de legat.* 2. Iason *in l. duobus reis, §. si ei, qui, num. 75 ff. de iureiur. & in l. si quis mihi bona, § iussum, num. 28 ff. de acquir. hæred.* Felin. *in cap. innouamus, de treug. & pace, vers. fallit. 3. & §. licentia de ingrediendo, & cap. 1. num. 17. de rescript.* Alex. *in l. 2. num. 5 ff. de liber. & posthum.* vbi Soccin. *num. 11.* Iason *num 8.* Gemin. *in cap. vt circa de elect. lib. 6. in fine*, Dec. *consf. 343. num. 2.* Alberic. *de rosf. lib 1. stat. 9.* 181. Ioan. Andreas *de reg. iur. lib. 6. reg. 34.* Tiraq. *de contr conu. §. 2. gloss. 1. num. 70.* Sbroz. *de offic. Vicar. lib. 2. quæst. 210.* Grass. *tom. 1. consf. 22. de sent. excomm. num. 38.* Mastrill. *decisf. 97.* Riccius *in collect. decisf. part. 3. collect. 587.* & Roderiq. *qq. reg. tom. 4. quæst. 6* qui propterea subdunt, quòd si quis habuit licentiam specialem loquendi cum Monialibus alicuius Monasterij, & antequam tali licentia vtatur, concedit Prælatus facultatem generalem, vt quilibet tali die possit cum Monialibus illius Monasterij loqui, iste talis, loquendo in illa die, in

qua

qua cuilibet licitum est cum Monialibus loqui, non possit postea iterum cum illis loqui, vtendo sua licentia speciali. Similiter si Pontifex concessit Paulo licentiam specialem, vt posset ingredi clausuram Monialium, & antequam Paulus tali licentia vteretur, Pontifex concessit licentiam generalem, vt quilibet tali die ingredi posset dictam clausuram, si Paulus vigore licentiæ generalis ingressus est clausuram in illa die, non possit iterum ingredi virtute suæ licentiæ specialis. Similiter, si Pontifex concessit licentiam specialem Paulæ, vt posset ingredi Monasterium, ante cuius vsum Antonia obtinuit licentiam, vt cum tribus honestis mulieribus, idem Monasterium ingredi posset, & inter alias elegit prædictam Paulam, post ingressum cum Paula, non possit iterum ingredi Paula virtute suæ licentiæ specialis; qua de re vide præcipuè Alberic. Io.Andr. Tiraq. Felin. Rodriq. & Graff. *in loco supra cit.* quorum doctrinam tamen

2 Limito primò, nisi prior licentia specialis fuisset de loquendo cum aliqua Moniali in particulari, & quis ex vi licentiæ generalis locutus esset cum aliis, non autem cum illa Moniali particulari: tunc enim posset iterum vti licentia speciali, & illam particularem Monialem alloqui, quia in tali casu non militat ratio assignata. Confirmatur, quia si post obtentam licentiam loquendi cum Paula, antequam tali licentia vtatur, obtinet licentiam loquendi cum Antonia, per locutionem cum Antonia, non expirat licentia loquendi cum Paula: ergo similiter dicendum est in casu nostro, quod per vsum licentiæ generalis, & ex vi cuius locutus est cum aliis Monialibus, & non cum illa Moniali particulari, quæ continebatur in licentia speciali, non expiret licentia specialis; atque adeo hac vti possit.

Limito secundò, vt vera tantùm sit eadem eorundem Doctorum *suprà* dicta doctrina; quando in licentiis non est expressa causa ingressus, sed simpliciter est data licentia ingrediendi clausuram Monialium, vel si causæ sint expressæ, tales tamen sunt, quæ possint in eodem ingressu commodè expediri, vt si, v.g. in vna licentia dicatur, pro consecratione Abbatissæ, & in alia licentia, pro visitatione alicuius imaginis, aut pro visitatione consanguineæ, &c. secus enim dicendum est, si causæ essent diuersæ, & quæ in eodem ingressu commodè expediri non possent: nam tunc posset homo bis ingredi, quia effectus licentiarum non possunt in eodem ingressu obtineri, vt si, v.g. in licentia speciali fuerit expressa causa, quòd Paulus, congregato Monialium Capitulo volebat contractum facere, vel negotium aliud graue tractare, quod commodè tractari non poterat in die licentiæ generalis, propter concursum populi. 3

Limito tertiò, nisi in licentia speciali esset limitata certa dies diuersa omnino à licentia generali; quia quod facit ratio diuersitatis causarum, quæ simul commodè non possunt expediri, multò magis id facit temporis, seu dierum variatio.

Dices: si Paulus in casu nostro non posset iterum ingredi, esset quia per licentiam generalem videtur reuocata licentia specialis; sed hoc est falsum: ergo, &c. Minor probatur, quia licentia generalis vel est ius commune, vel priuilegium: si primum, ius commune non tollit priuilegium speciale, nisi expresè illi deroget, *cap.* 1. *de constit. lib.* 6 Si secundum, priuilegium non tollit aliud priuile 4

priuilegium, nisi de eo mentionem faciat, ergo &c. maximè si primum priuilegium est speciale, & secundum generale, vt ex communi docet Mandos. *in tract. de priuileg. ad instar gloss. 8. num. 7. & seq.* & colligitur *ex cap. veniens, de prascript. vbi gloss.* & sequitur Rebuff. *cap. 1. de rescript. num.* 10. ergo in casu nostro licentia specialis prior non censetur reuocata per licentiam generalem posteriorem, iuxta illud commune axioma Iuristarum: *speciei non derogatur per genus*, qua ratione procurator specialis non censetur reuocatus per creationem procuratoris generalis, vt probat Costa *de retrot. cap. 9. cas. 13. num. 7.*

6 Respondetur, quod ex rationabili, & præsumpta mente superioris, in casu nostro, vel per generalem licentiam censetur reuocata licentia specialis, vel licentia generalis non extenditur ad Paulum, vel si extenditur, in licentia generali intelligitur inclusa, seu confusa licentia specialis. Ratio, quia non videtur, quod licentia generalis in tali casu extendatur ad Paulum, *arg. l. cohæredi, §. qui patrem, ff. de vulg. & pupill. substit. & leg. doli clausula ff. de verb. oblig.* non enim videtur superior, Paulum habentem licentiam specialem, velle includi in licentia generali; vel si includitur, in licentia generali inclusa, seu confusa intelligitur licentia specialis, *arg. leg. debitori, Cod. de pactis, & cum secundum Cod. fideicom.* qui non solum videtur in licentia generali confundi specialis, sed etiam per illam reuocari, *leg. libertis ff. de aliment.* Vbi vltimò legatum in codicillis tollit primò legatum in testamento. Adde, quod Paulus ingrediens ex vi licentiæ generalis, videtur renunciasse licentiæ speciali, quod locum habet non solum in contrarijs, & omnino incompossibilibus, sed etiam in ambitiosis, & odiosis, *arg. cap. de multa, & cap. praterea de presb. & cap. gratia de rescript. lib. 6.* & dato, quod non renunciasset per alterius licentiæ electionem, non potest, nisi semel, effectum consequi; quia, *vt suprà* dicebatur, in odiosis, & restringendis quocumque modo quis consequatur effectum gratiæ licentiæ generalis effectum suum est consecutus: non potest amplius vti licentia speciali Ad probationem minoris respondetur, quod licèt posterius priuilegium generale non tollat priuilegium prius speciale, quando sunt contraria; in quo casu procedit illud commune axioma Iuristarum in contrarium allegatum; tamen quando non sunt contraria, sed de eadem re; tunc in odiosis, posterius priuilegium generale, vel non extenditur ad personam, cui concessum fuerat speciale, vel si extenditur, intelligitur priuilegium speciale confusum, seu inclusum in generali. Dixi, *in odiosis*; vt est in casu nostro: nam in fauoribilibus, & amplian dis aliter dicendum est.

Dices secundò, saltem quando Paulus 7 vtens licentia generali, effectum in licentia speciali intentum (quamuis commodè illum consequi potuisset) consecutus non est, potest iterum ad eum consequendum ingredi: vt si v. g. causa expressa in licentia speciali fuisset ad visendam aliquam sancti imaginem, & in licentia generali diceretur, quod quisque ingredi posset ad videndam consecrationem, vel benedictionem Abbatissæ: tunc si Paulus ingrediens ad videndam consecrationem Abbatissæ, non visitet imaginem illius sancti, non videtur, cur non possit ingredi ex vi licentiæ specialis ad visendam illam imaginem concessæ, sicut dicebatur quod

habens licentiam specialem loquendi cum tali Moniali, v.g. Paula, si is ex vi licentiæ generalis omnibus concessæ ad loquendum cum Monialibus, loquatur cum aliis, excepta Paula, potest posteà vtens licentia speciali, loqui cum illa.

8 Respondetur, disparitatem esse; quia per hanc licentiam dispensatio fit in ipsa locutione, quæ erat prohibita, & ideò quamdiu quis cum ea Moniali non loquitur, licentia non dicitur habuisse effectum suum; at per licentiam specialem ingrediendi clausuram Monialium ad visendam imaginem, non dispensatur formaliter in ipsa visitatione, sed in ingressu: hic enim est prohibitus, & non visitatio imaginis præcisè; & illa est tantùm ratio, seu causa dispensandi, vnde hoc ipso, quod Paulus semel ingressus est Monasterium Monialium, censetur licentia, seu dispensatio effectum suum habuisse, saltem si per Paulum stetit, quin tunc viseret imaginem. Confirmatur: nam aliàs si quis habens licentiam ingrediendi clausuram Monialium ad finem visitandi consanguineam infirmam, & ingrediatur semel, & illam non visitet, sed aliud agat, posset iterum ingredi, quod non est dicendum.

Corollarium IV.

1 Quartò, si Pontifex indulgentiam concedit Ecclesiam visitantibus, intelligatur concessa etiam iis, qui cùm ob hominum multitudinem ingredi nó possint, foris stant, & orationem iniunctam perficiunt; atque ita docet Rodrig. *part.* 1. *summ. cap.* 184. *num.* 6. & Suar. *tom.* 3. *disput.* 52. *sect.* 1. *num.* 7. præsertim quia moraliter rem æstimando, tales visitant Ecclesiam, quando præsentiam suam exhibent quatenus possunt; quinimò addit Suar. *ibidem* in eiusmodi cócessione nomine Ecclesiæ venire etiam cœmiterium adiunctum; idque propter eamdem rationem, quia scilicet sumus in fauorabilibus, quæ amplianda sunt; quamuis extra casum necessitatis in indulgentiis consequendis id semper agere conuenit, quod certius & securius est.

Corollarium V.

Quintò, si indulgentiam Ecclesiæ concedit, intelligatur indulgentia perseuerare, etiam diruto templo. Excipe, si Ecclesia diruta, non iterum ædificetur: tunc enim locus priuatur indulgentiâ: cùm non loco simpliciter, sed Ecclesiæ indulgentia concessa fuerit. At secus dicendum, si Ecclesia iterum ædificetur in eodem loco: tunc enim (vt dicebatur) Ecclesia retinet indulgentiam, sicut, & alia omnia priuilegia; præsertim, quia in tali casu censetur moraliter eadem Ecclesia, atque ita docet Suarez *vbi suprà num.* 8. quin imò retinet etiam indulgentias, & priuilegia Ecclesia, si authoritate superioris tali pacto destruitur, vt sub eodem titulo, & Patrono in alium locum transferatur; atque ita docent *gloss. in regul. iuris* 7. *in* 6. Innoc. *in capit.* 1. *de noui operis nuntiatione* S. Anton. *part.* 1. *titul.* 19. *cap.* 1. §. 2. Ludou. Bononius *in tract. de indulg. numer.* 79. Franc. Hottomanus *lib. Illustr. quæst.* 9. 8. & Suarez *lib.* 8. *de legib. cap.* 5. *in fine*, qui benè *ibi* explicat, retineri in prædicto casu indulgentias, & priuilegia, si non ratione situs, aut loci, sed absolutè, Ecclesiæ sub proprio nomine, ac titulo suo, illa concessa fuerint.

SVBSECTIO

SVBSECTIO XXXI.

Proponitur, & explicatur ſecundum exemplum cum multorum caſuum ſolutione.

1 QVod dixi de conceſſione indulgentiarum, quod ſcilicet latè interpretanda ſit, quia eſt fauor, & beneficium, idem intelligas de omni ſimili alio priuilegio, v. g. de priuilegio conceſſo Religionum confeſſariis abſoluendi quoſcumque Chriſti fideles, auditis eorum confeſſionibus, à quibuſcumque peccatis, & à quibuſcumque inde ſecundum iuris conſtitutiones reſultantibus cenſuris, ſententiis, ac pœnis Eccleſiaſticis, exceptis cenſuris, quæ in Bulla Cœnæ continentur, & exceptis caſibus, quos Epiſcopi ſpecialiter ſibi reſeruant, vel reſeruabunt in futurum.

2 Cenſuræ autem Bullares habent ſe per modum ſententiæ latæ ab homine; quia non feruntur, vt perpetuo durant per modum ſtatuti, cum quotannis renouari ſoleant quamobrem mortuo Pontifice, earum vis expiraret, niſi, vt nunc fieri ſolet, ſpecialiter caueretur, proceſſus Bullares vim ſuam obtinere, etiam vacante ſede, vſque ad tempus, quo à futuro Pontifice edantur de nouo qua de re Tolet. *libr.* 1. *capit.* 18. *in fine.*

3 Similiter ſecundò habent ſe caſus reſeruati ab Epiſcopo, quamobrem mortuo Epiſcopo de facto expirant exceptis (in ordine ad confeſſarios non priuilegiatos) iis caſibus, qui per ius conſuetudinem, ſtatutum, vel ſynodum diœceſanum Epiſcopo reſeruantur; atque ita docent Piaſecius *in praxi Epiſc. part.* 2. *cap.* 1. *art.* 3. *num.* 21. Rubeus *in aphoriſ. Epiſc. ver. caſus reſeruati, num.* 4. Paſqualigus *in ſuis deciſionibus deciſ.* 495. & Gauantus *in Enchirid. Epiſc. Cod. ver. num.* 16. vide etiam Ægidium Trullench. *in Bull. Cœn. lib.* 1. *§.* 7. *cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 6. & ratio eſt, quia cum ſtatutum duret poſt mortem, *cap. fin. de offic. leg.* reſeruatio quoque durabit poſt mortem, & ſic abſolutio petenda erit à ſucceſſore, ſeu à Capitulo, ſede vacante, quamuis Sà *ver. abſolutio, num.* 21. abſolutè doceat, quod mortuo Epiſcopo quilibet confeſſarius poſſit abſoluere ab omnibus caſibus Epiſcopo reſeruatis; quod mihi non probatur ex dictis, & è contra Præpoſ. *in addit. ad* 3. *part. quæſt.* 9. *de reſeruatione caſuum dub.* 1. *num.* 6. abſolutè doceat quod mortuo Epiſcopo nullus confeſſarius poſſit abſoluere ab illis; idque probat ex eo, quia (vt inquit ipſe) id non poteſt affirmari de reſeruatis per ſtatutum, cum etiam mortuo Epiſcopo vim ſuam illud retineat; neque poteſt affirmari de reſeruatis ab homine; quia, cum per reſeruationem Confeſſariis ſublata ſit iuriſdictio neceſſaria ad valorem Sacramenti, non poteſt ex iure, vel alio ſolido fundamento colligi, quod ea per Epiſcopi mortem illis reſtituatur; at ad hoc vltimum reſponderi poſſet; reſtitui à ſucceſſore, vel à Capitulo (vacante ſede) ſibi non reſeruante; quia reſeruatio, cum ſit ab homine, finit cum homine, & ſic ceſſat effectus ipſius.

Similiter tertiò, ſe habent caſus reſeruati à ſuperiore Religionis, quamobrem cum is mortuus, vel officio ſuo functus fuerit, de facto ceſſant caſus, quos ſibi reſeruauerat; atque ita in terminis docet Iacobus de Granado *in par.* 2. *conſt.* 7. *tract.* 1. *diſput.* 7. *num.* 6. 4

vbi docet, quod si Prælatus præcipiat vni subdito, aut toti conuentui, vel prouinciæ aliquid, & ei subditi paruerint, dum viueret, eo ipso, quod moritur, vel ab officio amouetur, cessat obligatio præcepti, sicuti cessat excommunicatio ab homine, cum moritur, qui eam fulminauit.

4 Dices hoc esse verum in aliis Religionibus, non autem in nostra Clericorum Regularium: quia per decretum Capituli Generalis *anno* 1610. *tit. de Præposito, Vicario, & Vocalibus*, § 6. habetur, quòd Decreta, seu Statuta à Patre Generali, vel à quolibet alio Præposito in sua domo facta maneant in suo robore, & vnusquisque illa seruet, (etiamsi ad Generale Capitulum illi se contulerint, munúsque suum abdicauerint) quousque à Generali Capitulo, vel à successore speciatim abrogata fuerint. Respondetur negando Antecedens; quia prædictum Decretum loquitur de decretis, & statutis factis à Superioribus, reseruatio autem casuum, quæ fit à Superioribus, non est neque decretum, neque statutum; ergo &c. quapropter Vicarij nostrarum domorum præcedentis Præpositi casus sibi reseruent, si illos reseruatos sibi esse voluerint: atque ita in terminis nostri casus docet Megalius *in* 1. *part. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 5. & Pasqualigus *decis.* 497.

Aduertendum primum cum multis Corollariis.

1 Aduerte, quod dixi in exemplo posito, *exceptis censuris, quæ in Bulla Cœnæ continentur*; quia summus Pontifex nullum peccatum sibi reseruat (etiam hæresis, etsi contrarium probabiliter alij sentiant, propter magnam illius odibilitatem) nisi propter annexam censuram sibi itidem reseruatam, sicuti præter alios notauit Caiet. *in sum. verb. casus*, Nauar. *cap.* 27. *num.* 261. Henriq. *lib.* 6. *cap.* 14. *num.* 1. & Tolet. *lib.* 3. *cap.* 14.

COROLLARIVM I.

Vnde sequitur primò, quòd si Papa, vel eius Pœnitentiarius aliquem absoluit à sola censura Bullæ, vel alia censura Papæ reseruata, inferior Confessarius deinde in foro conscientiæ absoluere potest à peccato illo, cui talis censura annexa fuerat: atque ita docet Henriq. *vbi suprà*, & Suar. *de pœnit. disp.* 29. *sect.* 2. *num.* 7. & alij. 1

An autem, si quis bona fide putans non adesse censuram Pontifici reseruatam, confiteatur tale peccatum confessario ordinario, valida sit huius peccati absolutio, ita vt iterum peccatum illud confitendum non sit, etsi restet pœnitens à censura absoluendus, suppono enim cum Nauarro *cap.* 9. *num.* 4. Suar. *de censur. disp.* 10. *sect.* 3. *num.* 9. Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 12. *n.* 12. Tolet. *lib.* 3 *cap.* 10. Coninch. *de sacram. disp.* 8. *dub.* 3. *concl.* 4 *num.* 104. contra Ledesm. *tom.* 1. *de sacram. pœnit. cap.* 20. *dub.* 1. Vasq. *in* 3. *part. tom.* 4. *tract. de excommun. dub.* 4. *num.* 8. Megalium *in* 1. *part. lib.* 5. *cap.* 19. *quæst.* 4. *in fin.* & Sancium *in select. disp.* 32. *num.* 11. quòd absolutio bona fide obtenta à peccatis, & non à censuris, etiam reseruatis, quibus pœnitens fuerit innodatus, valida sit, ita vt non teneatur is reiterare postea talem confessionem, sed solùm petere absolutionem à censura, quæcunquè illa sit; ídque non solùm si pœnitens ignorauerit dictam censuram, vel si 2

si sciens illam, Sacramentum pœnitentiæ receperit ex necessitate, vt v. g. ad vitandum scandalum, si habeat celebrare, vel communionem sumere; sed etiam si confessarius sciens peccata habere censuram, etiam reseruatam, pœnitentem, non obstante hoc, ex malitia absoluerit, quamuis potestatem absoluendi à tali censura non habeat. Ratio, quia Sacramenta ex Trid. infallibilibiliter producunt semper effectum suum gratiæ, si obex non ponatur, & per censuram pœnitens priuatur iurisdictione actiua in alios, non autem subiectione passiua ad alios; seu quod idẽ est, non priuantur alij iurisdictione actiua in ipsum, alioquin non tam ipsorum excommunicatorum, sed aliorum, v. g. Confessariorum, esset talis pœna) videntur affirmare Duran. *in* 4. *distin*.17.*quæst*.15.& Caiet. *in sum. verb. casuum reseruatio*, ob rationem iam dictam, quia scilicet peccati reseruatio tota est per accidens, in quantum scilicet non potest pœnitens absolui à peccato propter impedimentum censuræ reseruatæ, quæ tamen in casu nostro ob bonam fidem, impedimentum non ponit; quapropter vlterius subdit *ibidem* Caiet. (quem sequitur Coninch. *de Sacram. disp*. 8. *dub*. 12. *num*. 91. Layman. *lib*. 5. *tract*. 6. *cap*. 5. *num*. 11. Syl. *verb. confessio* 1. *quæst*. 49. *in fin*. Henriq. *lib*. 6. *cap*. 16. *num*. 5. & Suar. *de pœnit. disp*. 31. *sect*. 4. *num* 9) quòd si semel absolutus sit à reseruatis, quamuis inefficaciter quoad salutem (puta, quia non contritè) potest postea iterum confitendo, à simplici confessore absolui, etiam ab illis reseruatis: quia ex quo semel beneficium absolutionis est concessum, & executioni mandatum legitimè in foro conscientiæ, rationabile est, vt non habeatur amplius pro reseruato, vtpote semel cognitum, & iudicatum ante Tribunal, cui erat reseruatum; sed negant Suar. *tom*. 4. *in* 3. *part. disp*. 29. *sect*. 2. *num*. 8. & Sanchez *lib*. 2. *mor. cap*. 8. *num*. 5. moti ex eo, quia sicut à principio, & veluti in fieri connexa sunt censura, & peccatum; ita vt hoc in fieri reseruetur dependenter ab illa, ita connexa sint in conseruari, seu in durare. At responderi posset ad istorum Authorum rationem, quòd reseruetur peccatum dependenter à censura in conseruari, seu in durare, id est, non possit absolui peccatum, nisi prius censura absoluatur, in quantum censura est moraliter imputabilis, vt ponat scilicet impedimentum ad absolutionem peccati; at secus, si censura moraliter imputabilis non sit, vt est in casu nostro: ergo &c.

COROLLARIVM II.

SEquitur secundò, quòd si quis commisit peccatum, v.g. in Bulla Cœnæ contentum; sed ob ignorantiam, obliuionem, vel inaduertentiam, &c. saltem non crassam, à censura Papali excusatus est, ab inferiore confessario absolui potest: atque ita contra gloss. *in cap. à nobis, de sent. excomm*. Couar. *cap. alma, part*. 1. §. 10. *num*. 9. & Corlubam *lib*. 2 *quæst*. 25. docent Syl. *verb. excomm*. 10. *quæst*. 3. Nauar. *cap*. 27. *num*. 274. & *lib*. 3. *consil*. 10. *num*. 4. *de sepult. edit*. 2. Sanchez *de matrim. lib*. 9. *disp*. 32. *num*. 13. Suar. *disp*. 4. *de cens. sect*. 9. *num*. 19. Henriq. *in loco supra cit*. Coninch. *de pœnit. disp*. 13. *dub*. 10. Layman *lib*. 1 *tract*. 4. *cap*. 20. *num*. 6. Pasqualigus *decis*. 376. & alij multi, & ratio, est quia excommunicatio est pœna medecinalis; atque adeò non infertur nisi contra contumacem, & Ecclesiæ con- 1

temptorem, & sic contra scientem; sicuti colligitur *ex cap. 2. de constit. in 6.* Confirmatur, quia alioquin non medicina esset; sed tantùm obesset, si per ignorantiam etiam incurreretur; Porrò quod dixi de excommunicatione, idem quoque dico de omnibus aliis censuris, vt interdicto, suspensione,&c.

2 Aduerte, quod si excommunicatio, vel quæcumque alia censura, aut pœna feratur contra scienter facientes, non contrahit illam is, qui contra facit, etiam ex ignorantia affectata talis pœnæ; atque ita contra gloss. *clem. 1. de consang.* Franchum *cap. 2. de constit. in 6.* Antonium *3. part. tit. 24. cap. 34* Rosellam, *excommunicatio 1. cas. 43. num. 2.* Sylu. *excommunicatio 9. cas. 41. num. 76.* Tabien. *excommunicatio 5. cas. 49. num. 3. notab. 2* Graff. *1. part. decis. lib. 4. cap 9 num. 38.* Henriq. *lib. 13. de excomm. cap. 23. num. 3.* Suar. *tom. 5. in 3. part. disp. 4. sect. 10. num. 1.* Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 32. num. 40.* Molinam *tract. 5. de iust. disp. 71. num. 13.* Layman *lib. 1. tract. 5. cap. 5. num. 8.* docent Sanchez tacitè se retractans *lib. 2. Moral. cap. 10. num. 38.* Duardus *in Bull. Cœnæ lib. 2. quæst. 36. num. 3.* Anguianus *de legibus tom. 1. lib. 4. contr. 4. num. 18.* Bonacina *de censur. disp. 2. quæst. 5. punct. 4. num. 9.* & in Bull. cœn. *tom. 3. disp. 1. quæstion. 2. punct. 4. num. 9.* Fillucius *tom. 2. tract. 2. 2. cap. 7. num. 205.* Pasqualigus *in cit. decis. 376. num 4.* & alij.

3 Probatur primò, quia verba legis pœnalis non sunt extendenda vltra proprium significatum, sed potius sunt restringenda, iuxta *reg. odia, de reg. iur. in 6.* at qui ex ignorantia affectata aliquid facit contra legem, verè non facit scienter contra legem; ergo non incurrit in pœnam contra facientes scienter latam à lege.

Non obstat, quod peccatum ex ignorantia affectata commissum, grauius sit, quàm si ex certa scientia committeretur, ex eo quia qui eligit nescire, vt liberius delinquat, videtur grauius contemnere legem vt dicitur *in 1. 2 quæst. 6. art. 8.* Non obstat (inquam) nam dicitur grauius, per relationem tantum ad actum internum voluntatis, quo voluit quis ex proposito ignorare, vt liberius legem violaret: eo enim actu videtur magis legem contemnere; at verò secundum se; & absolutè consideratum, est minus graue, cum sit minus voluntarium, quam si ex certa scientia committeretur: & ratio est, quia quod scienter fit, est voluntarium in se, ac directè; quod autem fit per ignorantiam affectatam, est voluntarium tantum in causa, & indirectè, scilicet in ipsa ignorantia: cum igitur excommunicatio non puniat principaliter actum internum, sed actum externum, v. g. comestionem carnis secundum se consideratam, quæ comestio ignoranter fit; manifestè sequitur, vescentem carnibus, ex ignorantia affectata, non contrahere excommunicationem contra scienter carnem comedentes latam, & hoc verum est, etiam si actus illæ voluntatis, quo ignorantia affectatur, actu perseueret, quando fit violatio exterior legis; quia eadem est ratio vtrobique. 4

Secundò probatur, quia quod dispositio loquens de scientia, comprehendat ignorantiam affectatam, non est ex proprietate sermonis, sed ex quadam extensione, *cap. eos, qui de tempor. ordin. lib. 6. in verb. seu affectata ignorantia* quod verbum est ampliatiuum præcedentis sermonis, *leg. si quis ita legauerit, ff. de aur. & arg. leg.* at in materia pœnali non debet fieri extensio de casu ad casum, 5

casum, præsertim si non sit omnimoda ratio, *leg. penult. & leg. fin. Cod. de interd. matrim. inter tut. & pupill.* & etiam si ex larga significatione vocabuli, posset ille casus comprehendi, *leg. si vxor in princip. ff. ad leg. Iuliam de adult.* ergò, &c. vide Franc. Aret. *in cap. per tuas de probat.*

6 Tertiò probatur, quia ignorantia affectata non æquiparatur scientiæ veræ, sed scientiæ fictæ, *cap. cum inhibitio de cland. desponsi.* ibi, *cùm non inexpertes scientiæ, vel saltem affectatores ignorantiæ videantur*, quod verbum *videantur*, importat fictionem, *l. 1. ff. de vi, & vi arm.* sed constitutio pœnalis loquens de casu verò, non comprehendit casum fictum, *leg. antequam, ff. ad senat. consult.* Syll. *& leg seq.* & notat Franc. Aret. *in leg. 1. ff. de vulg. & pupill.* vbi pœna imposita hæredi non vindidicanti necem defuncti, non comprehendit fideicommissarium, qui est hæres fictus, *leg. filius, ff. de eo, quod cer. loc.* & facit, quod notat Bart. *in leg. vlt. Cod. vnde vi*, vbi dicit, quod illa lex, quæ punit occupantem rem alterius, non comprehendit occupantem rem hæreditariam, quæ fictè, & non verè est alterius, *leg. 1. §. 1. ff de rer. diuis. & leg. hæres quamque ff. de acquir. hæred.* vnde docet idem Bart. quem Doctor. sequuntur *in leg. si quis maior Cod. de transact.* quod pœna illius legis, quæ imponitur maiori venienti contra iuramentum, non ligat minorem venientem contra iuramentum suum, quia licet minor iurans reputetur maior, ratione iuramenti, *auth. iuramenta puber. Cod. si aduersus vendit.* id est per fictionem; & ideò lex illa non habet locum in eo, qui à iure fingitur maior, ergò, &c.

7 Non obstat, si dicas quòd quando casus verus, & casus fictus æquiparantur à lege antiqua, seu à iure communi, tunc etiam constitutio noua, quæ aliàs est strictè interpretanda, loquens in casu vero, comprehendant etiam casum fictum, *cap. cùm dilectus, & cap. ad audientiam, de cler. non resident.* vbi Imola & Panormitan. Sed scientia & ignorantia affectata æquiparantur *in dict. cap. eos, qui de tempor. ordin. lib. 6.* Ergo, &c.

Nam respondetur cum Panormitan. *loc. cit.* Maiorem esse tantùm veram, quando constitutio noua disponit idem quod ius commune, quod æquiparat illos duos casus, verbi gratia, de iure communi est, quod Clerici non residentes fructus beneficiorum non percipiant, excipiuntur infirmi, & existentes in seruitio Papæ, & etiam duo Canonici existentes in seruitio Episcopi, cùm hi residere censeantur, *cap. cùm dilectus; & cap. ad audientiam, de Cler. non resident.* si deinde aduenit aliqua noua constitutio simpliciter disponens, vt Clerici non residentes, seu absentes, fructus beneficiorum non percipiant, non includet *supra* dictos casus à Iure communi exceptos, quamuis infirmi & existentes in seruitio Papæ, vel Episcopi non verè sed fictione iuris, residere dicantur; quin imò verificabitur etiam in casu ficto, qui habetur pro vero, & sic adest casus, in quo constitutio loquens in casu vero, verificetur etiam in casu ficto, contrà *not. in leg. 3. §. hæc verba, ff. de neg. gest. & in cap. in nostra, ff. de iniur.* quod ideò est, quia ius commune in hoc æquiparat casum verum, & fictum; quapropter constitutio disponens idem, quod ius commune debet recipere omnes limitationes, & interpretationes iuris communis, vt ait Panorm. *in dict. cap.* 8

cum

cum dilectus, *& cap. ad audientiam.* At secus est, quando constitutio noua esset præter, vel contrà ius commune: nam tunc constitutio noua non verificatur in casu ficto, sed verba eius debent intelligi propriè, id est, secundum proprium significatum, & sic intelligitur illa *lex* 3. §. *hac verba*, *& cap. in nostra cit.*

9 Quartò probatur, quia minor est ignorantia affectata, quàm scientia vera, *cap. inhibitio*, *de clandest. desponsal.* ibi, *vel saltem affectatores ignorantia*, quod verbum, *saltem*, denotat diminutionem, *cap. penult. de donat. inter virum & vxorem.* sed dispositio pœnalis non debet extendi de maiori ad minus, *l. si vxor*, *in princip. ff. ad legem Iuliam*, *de adult.* ergò, &c.

Appendix ad ea quæ suprà.

1 HOc autem, quod *suprà* dixi, verum est, siue ignorantia affectata sit iuris, siue facti; quia vtrobique est eadem ratio; limito tamen, quod id verum tantum sit in dispositionibus, seu legibus odiosis, non item in fauorabilibus. Ratio, quia omnes rationes *suprà* adductæ locum habent, solùm in odiosis: huiusmodi enim dispositiones sunt restringendæ potius quàm ampliandæ, & propterea non extenduntur de casu vero ad casum fictum. At in fauorabilibus secùs videtur dicendum, quia hæ sunt potius ampliandæ quàm restringendæ; & ideò non est mirum, si loquentes ipsæ de iis qui scienter aliquid faciunt, extendantur etiam ad eos qui ex ignorantia affectata operantur; nam cùm scienter, & ex proposito ignorare velint, ad hoc, vt liberius actionem prohibitam faciant, dicuntur aliquo modo scienter violare legem: licet enim legis illa violatio non sit eis scienter & expressè, ac directè voluntaria per modum effectus, est tamen scienter, ac directè, seu expressè voluntaria per modum obiecti, hoc est, scienter & expressè volita; vnde ex communi sententia Doctorum, leges fauorabiles loquentes in casu vero, extenduntur etiam ad casum fictum; Ergo dicendum, quod licet ignorantia affectata non sit verè scientia, sed fictè, lex fauorabilis tamen loquens de facientibus aliquid scienter, extendenda sit etiam ad eos qui faciunt ex ignorantia affectata.

Hinc primo qui ex ignorantia affectata legunt libros hæreticorum, non contrahunt excommunicationem cótra scienter legentes latam in Bulla Cœnæ; 2 atque ita docent Sanchez, Duard. & Bonac. *in locis suprà citatis*, quamuis alij ex eodem principio sentiant oppositum: nam cum prædicta lex Ecclesiæ prohibens sit principaliter (inquiunt ipsi) in fauorem fidei, & animarum, non est pœnalis seu odiosa, & sic restringenda; sed potius fauorabilis, & sic ampliandа, sicuti præter alios docet Suar. *in tract. de fide disput.* 20. *sect.* 2. *numero* 10.

Hinc secundò, qui ex ignorantia, siue 3 iuris siue facti, affectata operantur, non contrahunt pœnam contra facere aliquid præsumentes, aut ausu temerario facientes latam; v. g. qui ex ignorantia affectata violant clausuram Monialium, non contrahunt excommunicationem latam à Gregorio XIII. contra clausuram violare præsumentes; nec qui ex ignorantia affectata loquuntur cum Monialibus, contrahunt excommunicationem latam contra loquentes cum illis, sine licentia Ordinarij; quæ similiter

ter contra præsumentes lata est, saltem in aliquibus locis, vt Neapoli, &c. & ratio horum est, quia ex dictis, quamuis qui ex ignorantia affectata facit contra legem, videatur præsumere, ac ausu temerario facere contra legem, cum eligat nescire, vt liberius possit violare legem; tamen, quia præsumptio, ac temeritas ista non afficit formaliter actum externum, cui principaliter pœna imposita est à lege, sed afficit actum internum; sequitur, quod quamuis affectans eo modo ignorare, vt liberius delinquat contra legem, possit dici præsumptuosè, ac temere velle transgressionem legis, per modum obiecti; non tamen sequitur, quod cum facit actum externum, cui principaliter pœna imposita est à lege, præsumptuosè, & ausu temerario faciat contra legem; cum reuera, quando operatur, non cognoscat, se facere contra legem; quare meritò non contrahit pœnam latam contra facere aliquid præsumentes, vel ausu temerario facientes, quamuis alij ex eodem principio (vt *suprà* dicebatur) probabiliter sentiant oppositum; quia (inquiunt ipsi) vtraque censura prædicta, cum principaliter in fauorem animarum, & Religionis lata sit, non est pœnalis, seu odiosa, & sic restringenda; sed fauorabilis, & sic ampliandа potius, ergo &c.

Corollarium III.

4 Sequitur tertiò probabiliter, quod si quis similiter commisit peccatum, v. g. in Bulla Cœnæ contentum, ob ignorantiam, obliuionem, vel inaduertentiam, &c. saltem non crassam, seu supinam reseruationis, in reseruationem Papalem non incurrit, & sic ab inferiori Confessario etiam absolui potest; atque ita ex Molina docet Sanchez *loc. suprà cit.* & ratio esse potest, quia reseruatio est veluti pœna, at pœnam, saltem in foro interno, probabiliter non contrahit ignorans, sed solum contumax, & pœnæ contemptor; sicuti docent præter Sanchez *vbi suprà* Nauarr. *cap.* 23. *num.* 43. & Coninch. *disput.* 13. *num.* 93. vbi propterea cum eodem Sanchez *in loc. supra cit.* docet, quod neque contrahit quis irregularitatem ex delicto, si nesciat, vel actu non aduertat, delicto, etiam iure Ecclesiastico prohibito, irregularitatem annexam esse & quod dicitur de irregularitate ex delicto, idem quoque propter eamdem rationem dicendum est de aliis pœnis, vt non petendi debitum coniugale, inhabilitatis, priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, priuationis officij, & similium; & multò magis idem dicendum est de pœnis censurarum, quæ non inferuntur, nisi in inobedientes, & contumaces Ecclesiæ; multóque magis idem dicendum est, si delinquens, quãuis aduertat, opus esse peccaminosum contra ius naturæ, non tamen aduertit, esse peccaminosum contra ius positiuum, seu esse prohibitum à iure positiuo. Itaque ad hoc, vt delinquens incurrat in pœnam iuris positiui ex delicto, non sufficit vt cognoscat, & aduertat actu, opus esse peccaminosum, nec sufficit, vt cognoscat, & aduertat actu, esse prohibitum à iure positiuo; sed requiritur, vt cognoscat, & aduertat actu, opus esse prohibitum à iure positiuo, & prætereà sub tali pœna. id est, cognoscat, & aduertat actu & prohibitionem, & pœnam iuris positiui, qua de re vide præter Sanchez, & Coninch. *in loc. suprà cit.* Syl. *ver. matrimonium* 8. *quæst.* 7. *dict.* 2. Paludanum *in* 4. *dist.*42.*quæst.*1.*art.*3.*concl.*2. Portel. *in addit. ad dubia Regul. ver.*

ignorantia, *num.* 21. *& seqq.* vbi citat Nauarrum, & Rodriq. vide etiam Curiel. *in part.* 2. *quaest.* 76. *art.* 4 *dub.* 5. Valentiam *tom.* 2. *disp.* 6. *quaest.* 6. *punct.* 1. *corollar.* 9. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 23 *numer.* 2. Suarez *de censur. disp.* 4. *sect.* 9. *num.* 19. Auilam *part.* 2. *cap.* 5. *disp* 5. *dub.* 5. *& dub.* 7. Sayrum *de cens lib.* 1. *capit.* 18. *numer.* 37. Castrum Palaum *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 1. *punct.* 17. *numer.* 8. Duard. *in Bull. Can. lib.* 1. *cap.* 2. *quaest.* 5. *num.* 27. & Bonacinam *de cens. disp.* 1. *quaest.* 2. *punct.* 1. *num.* 13.

Corollarium. IV.

1 Sequitur quartò, quod si quis ex alio capite, v. g. ex defectu aetatis à reseruatione peccati similiter excusatus est, ab inferiori confessario etiam absolui potest, atque ita contra Lazarium *tract. de blasphemia quaest.* 9. *num.* 42. Homobonum *de casib. reseru. par.* 1. *c.* 3. & Floronium *de cas. etiam reseru. cap.* 3. *num.* 3. docent Paludanus *in* 4. *dist.* 34. *quaest.* 2. *art.* 1. Bellochius *de cas. reseru. part.* 2. *quaest.* 1. *num.* 203. *& quaest.* 17. *num.* 66. Iacobus de Graff. *tom.* 1. *consil. lib.* 5. *de adul. conf.* 3. *num.* 13. *& seqq.* vbi ait, quod pueri succubi, & muliebria patientes, non comprehendantur sub casu reseruato sodomiae, quae in aliquibus locis reseruari solet. Ratio, quia sicut minor aetas in foro exteriori excusat à poena ordinaria, ita & in animae iudicio.

2 Confirmatur primò, quia impuber ob defectum aetatis non statim post vsum rationis subiicitur legibus, seu praeceptis Ecclesiae, sicuti nonnulli Doctores docent, inter quos S. Anton. *part.* 2. *tit.* 9. *cap.* 8. §. 2. vbi ait, pueros non subiici praecepto confessionis vsque ad decimum & dimidium annum, & aliquantulum vltrà; & foeminas vsque ad nonum & dimidium, & aliquantulum vltrà, Caietan. verb. *communio*, vbi docet pueros non subiici praecepto confessionis, vsque ad decimum annum, & praecepto communionis vsque ad decimum quartum & decimumquintum. Sotus *in* 4. *sent. dist.* 12. *quaest.* 1. *art.* 11. *ad fin.* vbi tradit, pueros non subiici vllis Ecclesiae praeceptis, nec etiam confessionis, vsque ad duodecimum annum, Henriq. *lib.* 8. *de Eucharist. cap.* 42 *num.* 4. vbi ait, pueros non subiici praeceptis Ecclesiae statim ac vsum rationis habent; & *in lib.* 13. *de excommunicatione, cap.* 49. *num.* 2. *in gloss. lit. N*, vbi docet, dari pueris in diebus ieiunij lacticinia, & carnes aliquo tempore post vsum rationis, quamuis opposita opinio sit communis, & consulenda, de qua Salas *de legibus, disput.* 14. *sect.* 13. Suar. *in* 3. *p. tom.* 4. *disput.* 36. *sect.* 2. *num.* 3. Azor. *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 2. *quaest.* 1. *& cap.* 40. *quaest.* 6. & Sanchez *lib.* 1. *moral cap.* 12. *n.* 6.

Confirmatur secundò, quia impuber, 3 quamuis subiiciatur censurae canonis, *si quis, suadente diabolo*, tamen defectu aetatis non subiicitur censuris, aliisque poenis latis ab homine; & sic cùm in aliqua dioecesi excommunicantur, qui non sunt confessi, non comprehenduntur pueri ante annos pubertatis, id est, ante quatuordecim annos completos, sicuti ex *cap.* 1. *& cap. referente, de delict. pueror.* docent Nugnus *in addit. ad* 3. *part. quaest.* 6. *art.* 5. *dub.* 1. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 3. *num.* 72. Vasquez *in* 3. *part. tom.* 4. *quaest* 90. *art.* 2. *dub.* 4. *num.* 3. Corduba *in summa, quaest.* 60. *dict.* 4. Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 12. *num.* 7. & Sancius *in select. disp.* 26. *num.* 18. quinimò vt contra Vgolinum *de censur. cap.* 17. §. 3. *numero* 5. Suar. *in* 3. *part. tom.* 5. *disput.* 5. *sect.* 1. *num.*

num. 19. Azor. *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 41. *quæstione* 10. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 42. *numero* 8. & vtrumque Sanchez *loco suprà cit.* docet Castrus Palaus *tom.* 1. *tract.* 3. *disput.* 1. *punct.* 24. § 2. *num.* 9. neque subiicitur impuber aliis censuris, pœnisque latis à iure, excepta prædicta censura lata ob percussionem clerici. Ratio, quia ita in supradictis textibus habetur; & sequenda est communis decisio illorum, cùm odia sint restringenda; vnde cum Auila *de censur. part.* 7. *disput.* 6. *sect.* 1. *dub.* 13. & aliis Doctoribus contra Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 10. *num.* 6 & Sanchez *vbi suprà*, *num* 8 impuber si occidat, vel mutilet, non contrahit irregularitatem, quamquam si moriatur in illa ætate, quinimò etiam ante vsum rationis, sepeliri non potest in loco interdicto; quia licet impuber non subiiciatur legibus, censuris, & pœnis Ecclesiæ, vt *suprà* dicebatur, tamen huic prohibitioni, quamuis per accidens subiicitur ex eo, quia ipsa non tam respicit sepeliendos quàm sepelientes; atque ita docent Salas *de legib. disput.* 14. *sect.* 13. *num.* 126. Suar. *de censur disput.* 35. *sect.* 1. *num.* 2. Henriquez *lib.* 13. *de irregular. cap.* 3. *num.* 4. *in gloss. lit.* Z, & Sanchez *in loco suprà cit.*

4 Confirmatur tertiò, quia si impuber in excommunicationem Papæ reseruatam incurrat, verbi gratia, canonis, *si quis suadente diabolo*, propter percussionem grauem, is ob defectum ætatis ab Episcopo absolui potest, etiam post pubertatem, *cap. pueris*, *de sentent. excommun.* Ergo, &c.

Corollarium V.

1 Sequitur quintum probabiliter, quod si quis similiter commisit peccatum, verbi gratiâ, in Bulla Cœnæ contentum, sed ex quocumque alio capite à censura excusatus est, verbi gratiâ, quia legem quæ etiam naturaliter obliget cum peccato, violauit ex graui metu mortis, vel infamiæ, &c. in quo casu peccantem à censura excusari, contra Sanchez *vbi supra num.* 4. docet Suar. *lib* 3. *de legib. cap.* 30. *num.* 14. Nauarrus *cap.* 27. *num.* 63. & *in cap. ita quorumdam notab.* 11. *num.* 18. *de Iudæis* Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 1. *cap.* 5. *num.* 9. & alij ex eo, quia ad censuram requiritur contumacia, & interpretatiuus contemptus; qui autem ex metu graui peccat, alioquin non peccaturus, is non censetur contumax, neque delinquere ex contemptu Ecclesiasticæ potestatis, sed ex mera infirmitate naturæ. Ergo, &c. tum quia ius positiuum ordinariè non obligat cum tanta seueritate & rigore. Vnde respondent *ad cap. sacris, de iis quæ vi, metusve causa fiunt*, quod in oppositum esse videtur, ab inferiori Confessario etiam absolui potest; idque propter eamdem rationem quæ *suprà* dicebatur.

At secus dicendum est, si quis, in 2 tali, vel in alio ex dictis casibus, à censura non excusetur: nam tunc cum ratione censuræ reseruatæ Pótifici, reseruetur etiam peccatum, non potest, non solùm licitè, sed nec etiam validè absolui à peccato, nisi à Pótifice, vel eius delegato: quapropter infertur, quod stante decreto Clemét. VIII. in quo abstulit Prælatis Regularibus facultatem reseruandi alios casus, præter illos vndecim, de quibus Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 11 non possunt Prælati Regulares pœnam excommunicationis illis iniungendo casus alios sibi reseruare. Ratio, quia ratione censuræ talis appositæ, alij casus, præter illos vndecim, sibi reseruarentur; qualis modus reseruandi esset in fraudem prædicti decreti, illud pe-

nitus frustrando; atque ita docent Sanchez *lib.6. moral. cap.* 1. *num.* 15. Molfes. *in summa tom.* 1. *tract.* 7. *capit.* 20. *num.* 17. Megalius 1. *part. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 8. Peirinus *tom.* 2. *constit.* 10. *Vrbani VIII.* §. 61. *num.* 10. Sigismundus *in tract. de elect. part.* 3. *capit.* 4. *dub.* 123. *num.* 9. Ioan. Faber *de pœnit. in* 4. *distinct.* 17. *quæst. vnic. disp.* 27. *cap.* 1. *num.* 29. quin etiam ita determinasse S. Cardinalium congregationem *die* 7. *Iulij* 1617. testatur Alphonsus de Leone *tract. de offic. & potest. Confess. tom.* 2. *recollect.* 11. *num.* 5. contra Suarium 3. *p. tom.* 4. *disp.* 29. *sect.* 3. *numero* 13. Fagundez *precept.* 2. *lib.* 8. *cap.* 4. *num* 5. Coriolanum *de cas. reser. part.* 1. *sect.* 1. *art.* 6. *num.* 1. Villalob. *tom.* 1. *tract. quæst. diff.* 58. *num.* 5. & Tambutinum *de iure Abbat. tom.* 2. *disput.* 13. *quæst.* 3. *num.* 1.

Aduertendum secundò cum multis Corollarijs.

ADuerte secundò, quod dixi etiam in exemplo posito; *exceptis casibus, quos Episcopi specialiter sibi reseruant, vel reseruabunt in futurum*, quia ita expresè habetur in quodam decreto Clementis VIII. hac de re edicto.

Corollarium I.

1 VNde sequitur primò, quod ex vi talis decreti possunt Regulares virtute suorum priuilegiorum absoluere à censuris casuum, quos Episcopi specialiter sibi reseruant, vel reseruabunt in futurum. Ratio, quia licet dictum decretum restringat Regularium priuilegia quo ad casus, quos ordinarij locorum sibi specialiter reseruarunt, vel in posterum reseruabunt, tamen, cum dictum decretum loquatur de casibus tantùm, non habet locum etiam in censuris: nam à diuersis non fit illatio, *leg. Papinianus ff. de minor.* & *cap. ad audientiam de decimis*: tum quia (vt rectè docet Nauar. *in summa cap.* 27. *num.* 261.) censura non est casus, sed pœna casus; atque ita docent Megalius 1. *part. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 10 & Diana *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 13. contra Merollam *tom.* 1. *disp.* 1. *cap.* 2. *diff.* 4. *num.* 575. quamuis modò Regulares virtute etiam suorum priuilegiorum non possint nec à casibus, nec etiam à censuris Episcopo reseruatis absoluere propter declarationem S. Congregationis de mandato Pauli V. edictam *sub* 7. *die Ianuarij* 1617. quæ reuocat quæcunque priuilegia in contrarium ipsis concessa.

Corollarium II.

SEquitur secundò, quòd possunt Regulares vti priuilegiis suis quoad commutationes, vel dispensationes votorum, restitutiones bonorum incertorum, relaxationes iuramentorum, quas aliquando sibi reseruant Episcopi. Ratio, quia dictum decretum tantùm loquitur de casibus, & ad summum etiam de excommunicationibus, quas sibi specialiter reseruant Episcopi: ergo &c. atque ita præter alios docet Nauar. *in summ. cap.* 27. *num.* 261.

Corollarium III.

SEquitur tertiò, quòd remota speciali reseruatione, quam sibi faciant Episcopi, possunt Regulares virtute suorum priuilegiorum absoluere à censuris, & à casibus, qui de iure reseruati

sunt

ſunt Epiſcopis, quale eſt, v.g. homicidium voluntarium, publica blaſphemia, de quibus Syluest. *verb. caſus, quaeſt.* 4. Adde, quòd per aliquos Doctores nulli ſunt caſus Epiſcopo in iure reſeruati: ergo &c.

Corollarivm. IV.

SEquitur quartò, quòd remota ſimiliter ſpeciali reſeruatione, quam ſibi faciant Epiſcopi, poſſunt Regulares abſoluere ab aliis caſibus Papalibus occultis, exceptis Bullaribus. Ratio, quia huiuſmodi caſus poſt Concilium Tridentinum ſunt Epiſcopales: ergo &c. atque ita docet Sanchez *tom.* 1. *Moral. lib.* 4. *cap.* 54. *num.* 27. & Merolla *cit. diſp.* 1. *cap.* 2. *num.* 540.

Vnde vlterius ſequitur, quòd Regulares abſoluere poſſunt etiam à caſibus, & cenſuris in iure latis, propter quas excuſantur aliqui adire Sedem Apoſtolicam, ob aliquod impedimentum, quales ſunt ſenes, impuberes, mulieres, membris deſtituti, valetudinarij, delicioſi, ac nobiles, habentes curam aliorum, filij ſub patris poteſtate, ſerui, habentes capitales inimicitias, pauperes, qui non niſi mendicando (præter ſolitos) ire poſſunt Romam, & alij, de quibus *in tit. de ſententia excommun.* hi enim ommes poſſunt abſolui ab Epiſcopis, & à Regularibus, ſi ab Epiſcopis ſpecialiter non fuerint ſibi reſeruati; idque tum ob rationem dictam; tum quia mens Pontificum in ſuis decretis derogatoriis fuit tantùm derogare priuilegiis in caſibus, in quibus adeunda eſſet Sedes Apoſtolica, (quæ in prædictis caſibus adeunda non eſt.) ergo, &c.

Corollarivm V.

SEquitur quintò, quòd remota ſimiliter ſpeciali reſeruatione, quam ſibi faciant Epiſcopi, poſſunt Regulares abſoluere à caſibus, & cenſuris ſynodalibus.

Corollarivm VI.

SEquitur ſextò, quòd quando poſſunt abſoluere à caſibus, & excommunicationibus generaliter latis ab homine, ſi ſimiliter ſpecialiter, ſeu ſpeciali actione (vt *ſuprà* dicebatur) non ſint ſibi reſeruata ab Epiſcopis, idque propter eandem rationem dictam: quia ſcilicet excipiuntur tantùm caſus, & excommunicationes, quas Epiſcopi ſibi ſpecialiter reſeruant, vel reſeruabunt in futurum.

Corollarivm VII.

SEquitur ſeptimò, quòd poſſunt abſoluere à caſibus, & cenſuris contentis in edictis Dominorum Inquiſitorum, dummodò tales cenſuræ non proueniant ex hæreſi formali, vel ex aliis delictis contentis in Bulla Cœnæ Domini, vel non fuerint ſpecialiter ſibi reſeruatæ ab Epiſcopis, idque tum propter eandem rationem iam dictam: tum quia ex vi prædicti priuilegij poſſunt Regulares abſoluere à quibuſcunque peccatis, & cenſuris, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis: ergo &c. Conſequentia probatur primò, quia illa particula, *etiam*, indicat, quòd Regulares poſſint abſoluere, non ſolùm à reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, ſed etiam à reſeruatis cuicumque alteri, qui ſit Pontifice inferior. Secundò, quia plus eſt abſoluere

à reseruatis Pontifici, quàm à reseruatis Doctoribus Inquisitoribus, ergò, si Regularibus ex vi prædicti priuilegij licèt plus, licebit & minus, iuxtà *reg.* 5. *iuris in* 6. Tertiò, quia ab excommunicatione lata ab homine, absoluere potest, qui tulit, vel eius superior, vel delegatus; sed Regulares virtute facultatis delegatæ possunt absoluere ab omnibus peccatis, & censuris, à quibus potest Pontifex, qui potest ab omnibus casibus, & censuris latis per Doctores Inquisitores; ergò ab iisdem poterunt etiam absoluere Regulares, qui habent à Pontifice iurisdictionem delegatam absoluendi ab omnibus casibus, & censuris, exceptis iis, quæ continentur in Bulla Cœnæ Domini, & quæ ab Episcopis specialiter reseruatæ sibi fuerint: atque ita in terminis docent Portel. *in addit. ad dub. Regul. verf. sollicitare fœminas*, *num.* 24. & Freitas *in addit. ad tract. de confess. sollicit.* Roderic. Acug. *quæst.* 21. *num.* 31.

EX COROLLARIO VII

SVBCOROLLARIVM I.

1 VNde absolui potest à Regularibus, quin imò à quolibet confessario approbato (si Episcopus, vel Inquisitor sibi non reseruauerit) is, qui vi, & metu, vel dolo, fraudulenter finxit se, v.g. Maurum, Iudæum, Idolatram, aut hæreticum, & sic (grauiter contra externam fidei professionem peccando) exterius fidem negauit. Ratio patet ex dictis, quia in his casibus homo, cùm non habeat errorem intellectus, non est verè, & formaliter hæreticus, & sic non est comprehensus in Bulla Cœnæ Domini: atque adeo nec eius censura, & pœnis innodatus: ac ita contra Caietanum *in* 2. 2. *quæst.* 94. *art* 1. docent communiter Doctores, Suarez *in* 3. *part. tom.* 1. *disp.* 4. *sect.* 2. *num.* 22. *& disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 3. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 7. *num.* 8. Fagundez *præcept.* 2. *lib.* 8. *cap* 8. *num.* 39. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 22. *cap.* 6. *num.* 164. Syluius *in* 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 3. *conc.* 2. Homobon. *part.* 1. *tract.* 7. *cap.* 1. *quæst.* 4. Valer. *verb. hæresis, difficult.* 2. *num.* 1. Giptius *de cas. reser. cap.* 6. *cas.* 4 *n.* 83. *&* 84. Zanard. *part.* 2. *præcept.* 1. *cap.* 11. Granad. *in* 2. 2. *contr.* 1. *tract.* 15. *disp.* 13. *num.* 14. & Mercerus *de Sacrament. in* 3. *part.* S.Thom. *quæst.* 66. *art.* 9. *num.* 4. vide etiam Bannez *in* 2. 2. S.Thomæ, *quæst.* 11. *art.* 4. & Torreblancum *de magia*, *lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 8.

Idem dico de iis, qui propositiones hæreticas, blasphemias, & verba hæreticalia effuderunt, qui Sacrorum Imaginibus illuserunt, qui carnes tempore prohibito comederunt, qui Mahumeto cultum, ac reuerentiam exhibuerunt, &c. si fecerint hæc, & similia metu compulsi, aut spe lucri adducti, aut ira, vel alia quacunque passione commoti, nullum errorem ad pristinam fidem rectam in animo tenentes, vt *suprà* dicebatur. 2

Non obstat, quod huiusmodi homines in foro externo puniri possint à Doctoribus Inquisitoribus: nam id est ex eo, quia ab iis præsumuntur internum dissensum ex fide habuisse, & sic esse hæretici, cum signa talia externa dederint, & Ecclesia ex alio capite non iudicet de internis, sed solùm de externis: quæ propter eamdem rationem ab aliis etiam, qui peccatum eorum externum cognouerant, & aliunde nesciunt, eorundem animum Catholicum semper mansi 3

mansisse pro talibus haberi debent, atque adeo, & Inquisitori denunciandis: at in foro interno, cum re vera hæretici non sint, quia errorem intellectus non habent, (vt *suprà* dicebatur) à quolibet Confessario absolui possunt, quia propter rationem dictam non incidunt in censuras, & pœnas Bullæ, nec in reseruationem illius: censuræ enim, & pœnæ delictum aliquod afficientes, cum vtpote odiosæ, strictam habeant interpretationem, non contrahuntur, nisi ob delictum verum, & ex omni parte perfectè consummatum.

SVBCOROLLARIVM. II.

1 VNde secundo non incidit in pœnas hæreticorum, & sic absolui etiam potest à Regularibus, quin imò à quolibet approbato confessario (modò, quo *suprà* dicebatur, &c.) is, qui in fide est solum dubius, seu pendulus, id est, articulo alicui fidei, neque assentitur, neque dissentitur, quamuis determinatè: nam cum non adsit dissensus, vel assensus positiuus contra fidem, non est propriè hæreticus, nec est hæresis ex omni parte perfectè consũmata: hæresis enim strictè, seu perfectè sumpta est error contrarius fidei seu assensus positiuus falsus contra fidem, qui non est in eo, qui solum dubitat modo, quo *suprà* dicebatur, atque ita docet Canus *de locis lib.* 12. *cap.* 9. Sa *ver. hæresis*, *num.* 1. Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 7. *num.* 12. Tannerus *in* 2. 2. *disput.* 1. *quæst.* 8. *dub.* 6. *num.* 109. Portel. *in addit. ad dub. regul. ver. hæresis num.* 4. Putean. *in* 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 2. *dub.* 2. contra nonnullos, quos refert Sanchez *vbi suprà* & præterea contra Molfes. *in summa*, *tom.* 1. *tract.* 8. *cap.* 8. *num.* 44. Laram *in* 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 3. *disput.* 42. *num.* 5. Coninch. *de dotib. super natur. disput.* 18. *dub.* 7. *num.* 102. Fabr. *de sacr. ordinis dist.* 25. *quæst.* 5. *disput.* 3. *cap.* 4. *num.* 112. Villalob. *tom* 2. *tract.* 1. *dub.* 10. *num.* 3. Syluium *in* 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 1. Homobon. *part.* 2. *tract.* 12. *cap.* 9. *quæst.* 16. & Malder. *in* 2. 2. *quæst.* 12. *art.* 1. *memb.* 2.

2 Non obstat, quod Stephanus Papa *in cap.* 1. *de hæret.* dicat dubium in fide esse hæreticum, seu infidelem: nam Respondetur, id esse verum priuatiuè, & impropriè, nõ autem positiuè, & propriè: vel secundò, id esse verum præsumptiuè, & quoad forum externum, non autem verè, & quoad forum internum: vel tertiò, id esse verum de eo, qui est dubius conscientia obiectiuè dubia: hic enim est propriè hæreticus, vt *infrà* dicetur; non autem de eo, qui est dubius conscientia formaliter dubia: hic enim non est propriè hæreticus, vt *suprà* dicebatur. Explico, si proposita fidei propositione, intellectus, rationibus hinc, inde perpensis, neutri parti assentitur, sed in ambiguo, seu pendulus manet, an sit vera, nec ne; non est propriè hæreticus, vt pote dubius conscientia formaliter dubia, & sic non incurrit hæreticorum pœnas: at verò, si actu reflexo, ac determinato iudicio, affirmet, illam fidei propositionem esse dubiam, est perfectè hæreticus, vt pote dubius conscientia obiectiuè dubia, & sic incurret hæreticorum pœnas. Ratio, quia in tali casu vltra formale dubium, adest consensus, & iudicium positiuum intellectus affirmantis rem fidei non esse certam, quod est apertè hæresis; atque sic, aliis relatis, docet Sanchez, *vbi suprà* contra Suar. *in tract. de fide disput.* 19. *sect.* 4. *numero* 10. & *seqq.*

Aduerte tamen hic, quod iis, qui 3 inter

inter hæreticos nati, & educati orthodoxam Religionem ignorant, dubitare interim licet, donec instruantur, & argumenta, seu credibilitatem Fidei rectè apprehendant, atque ita colligitur ex verbis S. Aug. *epist.* 162. & docet Valentia *tom.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 10. *punct.* 4. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 1. *num.* 8. & ratio est, quia alioquin relinquendo illi sectam, in qua nati, & educati sunt impudenter agerent; quapropter dubitatio, ac virtuale iudicium de incertitudine in talibus hominibus cum pertinacia iunctum non est, sicuti iunctum est in iis, qui nati, & educati sunt in fide; his tantùm eximendus est scrupulus, si de catholica dubitare se, arbitrentur, eo quod hæreticæ cogitationes ipsis occurrere solent: nam cum eas seriò detestentur, & nunquam in animum venire sibi exoptent, insuper protestationem faciant, nunquam se eis consensum præbituros, non possunt de culpa argui, quin præbent apud Deum materiam magis merendi, quapropter præstat, quod ipsi plerumque tales cogitationes, seu tentationes contemnunt, tanquam inefficaces ad consensum extorquendum à se, qui gratia Dei muniti sunt, quamuis in quibusdam hominibus huiusmodi tentationes à Deo permittantur, propter eorum scelera, præsertim impunitatis: quibus proinde suadendum, vt vitam corrigant, quia sic eorum fides, atque fiducia in Deum constantior erit.

SVBCOROLLARIVM III.

1 VNde tertiò, non incidit in pœnas hæreticorum, & sic absolui etiam potest à Regularibus, quinimò à quolibet etiam approbato Confessario is, qui errorem contra fidem, etiam positiuum, dummodò non determinatè committit in interno, etsi perfectè explicet illum in externo. Ratio quia propter imperfectionem actus non est hæresis ex omni parte perfectè consumata. Confirmatur, quia propter eandem rationem non adest pertinacia, nec peccatum mortale, quod necessariò supponunt hæresis pœnæ, quarum

Prima est excommunicatio maior, 2 quæ habetur *in cap. ad abolendam, cap. excommunicamus*, 1. *de hæret. & in cap. quicumque, eod. tit. in* 6. eáque nunc Pontifici reseruatur in Bulla Cœnæ Domini, qua de re Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 9.

Secunda est irregularitas, sicuti colligitur *ex cap. saluberrimum, & ex cap. conuenientibus*, 1. *quæstion.* 7. qua de re Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *de cens. part.* 5. *cap.* 4. *num.* 12. 3

Tertia est iuris infamia, sicuti habetur ex *cap.* 2. §. *hæretici*, & *ex cap. vt commissi, de hæret. in* 6. quæ pœna extenditur ad eorum filios vsque ad secundam generationem ex linea paterna, & vsque ad primam generationem ex linea materna, *cap. statutum*, 15. *eod. tit. in* 6. Item extenditur ad eorum fauores, *cit.* §. *hæretici.* qua de re Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 13 & Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 26. *num.* 1. vbi putat, ad hanc pœnam requiri Iudicis sententiam, saltem criminis declaratoriam. 4

Quarta est confiscatio omnium bonorum à die commissi criminis, *cap. cum secundum, de hæret. in* 6. qua de re Sylu. *verb. hæresis* 1. *num.* 14. Sanchez, *lib.* 2. *mor. capit.* 14. *& seqq.* Simanca *de cathol. instit. tit.* 9. *num.* 7. Vasq. 1. 2. *disput.* 169. & Azor. *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 7. *quæst.* 8. 5

Quinta est, quod hæretici, eorúmque 6 fautores, si per annum in excommunicatione

catione persistant, fiunt intestabiles, ita vt liberam testandi facultatem non habeant; neque ad hæreditatis successionem admittantur, *cap. excommunicamus, de hæretic.* quæ pœna contra percussores Cardinalium S. Romanæ Ecclesiæ etiam decernitur *in cap. fœlicis, de pœnis, in 6.* requiritur tamen ad talem pœnam incurrendam sententia criminis declaratoria ante quam si testamentum ab hæretico factum fuerat, valet, licet superueniente posteà sententia, infirmetur; sicuti etiam donationes, & aliæ alienationes factæ ab hæreticis, & similibus criminosis (quorum bona ipso iure confiscationi subiacent) ante condemnationem de hæresi valent, licet posteà rescindantur, ac reuocentur; qua de re Sanchez *lib. 2. moral. cap. 24. num. 3.* Molina *tom. 1. tract. 2. de instit. disput. 95.* & alij, quamuis contrarium teneant Couarruu. *Clement. si furiosus, part. 1. §. 1. num. 6.* vbi tamquam probabilius defendit, sodomitam, cùm infamis sit, & omnium bonorum dominio priuatus, etiam ante condemnationem testari non posse.

7 Sexta est priuatio patriæ potestatis in filios, etiam ante Iudicis sententiam criminis declaratoriam, iuxta *cap. 2. §. vlt. de hæretic. in 6. iunct. gloss. verbo deserint.* qua ratione etiam serui, aliique subditi personali obligatione soluuntur, sicuti docet Sanchez *cit. cap. 24.* & habetur expresè *in cap. vlt. de hæret.* vbi sic legitur: *absolutos se nouerint à debito fidelitatis dominij, & totius obsequij, quicumque lapsis manifestè in hæresi aliquo pacto, quacumque firmitate vallatò, tenebantur.* Sed hæ, & aliæ huiusmodi pœnæ locum non habent in Lutheranis, & similibus hæreticis, qui licet ab Ecclesia Romana recesserint, tamen ob fœdus cum illis existens, summo Pontifice permittente, & tacitè consentiente, filios suos in potestate retinent, aliisque iuribus, & immunitatibus ciuilibus, quamuis non item Ecclesiasticis, vnà cum Catholicis fruuntur.

Septima est priuatio Ecclesiasticorum beneficiorum, ac dignitatum, item publicorum officiorum, *cap. vt commissi, §. priuandi, de hæretic. in 6.* quæ pœna priuationis ipso iure incurritur, sicuti ex communiori sententia docet Nauar. *lib. 5. consil. consil. 6. de hæretic. edit. 2.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 26. numero 6.* Rodriquez *in summa, tom. 1. cap. 130. num. 3.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 13. quæst. 8.* & Flamin. *de resignat. benef. lib. 3. quæst. 1. num. 32.* quamuis contrarium satis probabiliter doceat Castr. *lib. 2. de hæret. punitione capit. 9.* Vasq. 1. 2. *disp. 172. cap. 2. numer. 11.* & Simanca *de cathol. Instit. tit. 46. num. 72.* 8

Octaua est (si hæresim abiurare nolint, aut sint relapsi) mortis supplicium; sicuti habetur *in Cod. Theodosiano, leg. 56. de hæret.* & testantur Doctores apud Clarum *lib. 5. sent. §. hæresis, num. 7.* & ratio est, quia hæresis est crimen perturbans Rempublic. non minus quàm furtum, verbi gratiâ, homicidium, &c. qua de re diffusè Becanus *cap. 15. quæst 6.* 9

Aduerte tamen hîc, quod omnes pœnæ, quæ in iure contra hæreticos decretæ sunt, etiam ab Apostatis contrahuntur, non autem è contra; atque ita docent Canonistæ *in cap. 1. de Apostat.* Sylu. *verb. apostasia, num. 2.* Caietan. *eodem verb.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 21. quæst. 7.* Valent. *tom. 3. disput. 1. quæst. 12. punct. 1.* & Sanchez *lib. 2. moral cap. 7. num. 18.* & ratio est, quia apostasia à fide (quæ omnium grauissima est) habet se in ordine ad hæresim, tanquam quid- 10

maius ad minus, seu quid extensius ad minus extensum, non solùm si consideretur per ordinem ad terminum à quo, quatenus scilicet est discessus à vera fide; quia Apostata dicitur, qui Christum & fidem Catholicam, quam suscepit, penitus abnegat, hæreticus verò non omnino, sed secundùm vnum, vel aliquot articulos; sed etiam si consideretur per ordinem ad terminum ad quem; quia sic inuoluit vel Iudaismum, vel Paganismum, vel Atheismum; quæ infidelitates cum specie differant inter se, à redeuntibus ad Ecclesiam in sacramentali confessione absque dubio explicari debent.

SVBCOROLLARIVM IV.

1 VNde quartò non incidit in pœnas hæreticorum, & sic absolui potest etiam à Regularibus, quinimò à quolibet approbato Confessario (modo, quo *supra* dicebatur) is qui errorem contra fidem, etiam positiuum, dummodò ex ignorantia, quamuis crassa, committit in interno, etsi perfectè explicet illum in externo; quia cùm absit pertinacia, non est propriè seu ex omni parte perfectè consummata hæresis; atque ita apertè colligitur *ex clement. §. porrò, de summa Trinit. & fide Cathol.* ibi: *quisquis defendere, seu tenere pertinaciter præsumpserit*, & docent communiter Doctores canon. *de loc. theolog. lib.*12. *cap.*9. Nauarr. *in summa, prælud.*1 *num* 17. Henriquez *lib.*13. *cap.*7. *num.* 3. Curiel. 1. 2. *quæst.*76. *art.* 4. *dub.* 1. §. 3. Zumel. *ibidem disput.* 1. Sanchez *lib.*2. *moral. cap.* 7. *num* 20. Suar. *tract. de fide, disput.* 19. *sect.*3. *num* 8. Bannez 2. 2. *quæst.*11. *artic* 2. *corollar.*2. & *ibi* Aragon. *artic.*2. *Castr. lib.*1. *de iusta hæretic. punit. cap* 9. & *lib.* 2. *cap.* 8. Torres *de Trinit. quæst.* 32. *art.*4. Cordub. *in quæst. lib.*1. *quæst.* 17. Azorius *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.*14. *quæst.* 9. Vasquez 1. 2. *disput.* 126. *cap.*2. Rodriquez 1. *p. sum. cap.*130. *num.*2. Petr. Nauarr. *de restitut. lib.* 2. *cap.*4. *dub.* 8. *num.*197. & 208. & Pasqualigus *in suis decisionibus, decis.*162. quamuis contrarium asserant Sotus *in* 4. *d.* 22. *quæst.* 2. *artic.* 3. Palat. *in* 3. *d.*25. *disput.*2. Lopez 2. *part. cap.* 20. Saytus *de censur. lib.* 3. *cap.*4. *num.*15. & Tol. *lib.*1. *cap.*19.

Hæc autem pertinacia consistit in 2 hoc, vt quis sciens & aduertens, testimonio, & authoritati Ecclesiæ proponentis, resistere velit; quæ resistentia fit per voluntatem non subdendi iudicium suum iudicio Ecclesiæ; atque ita sumitur ex August. *lib.* 4. *de baptismo contra Donatistas, cap.*16. vbi ait eum qui errat in doctrina fidei, non esse hæreticum, donec instruatur quid in ea re doceat Ecclesia, eligátque potiùs ei resistere, quàm à propria sententia recedere; in quo concordant etiam S. Thom. ac cæteri omnes Scholastici; & probatur è contrario; quia quamdiu voluntas perseuerat in proposito subiiciendi iudicium suum iudicio Ecclesiæ, non potest quis errare pertinaciter, & sic nec esse hæreticus propriè. Ergo signum est, quod pertinacia contrariam voluntatem requirat, seu potius in illa formaliter consistat: tum quia hæresis propria importat errorem fidei contrarium. Ergo sicut fidei assensus petit, vt habita notitia Ecclesiæ propositionis, qua aliquam veritatem de fide proponat, voluntas accommodando se inclinet intellectum ad assentiendum, sic è contra hæresis propria petit, vt habita eadem notitia, voluntas opponendo se, inclinet intellectum ad dissentiendum; sed ignorans, etiam crassè, non opponitur testimonio, & authoritati Ecclesiæ proponentis.

nentis. Ergo, &c. quia tunc quis videtur opponi, & sic offendere authoritatem alicuius, cùm scienter dictis illius aduersatur: nam si ignoranter contra suum etiam magistrum opinetur, non dicitur eius authoritati per incredulitatem derogare. Ergo similiter si quis ignorans etiam vincibiliter se contra sensum Ecclesiæ proponentis aliquid opinari, contrarium credit, licèt grauiter peccet peccato, quod ad hæresim reducitur, seu ad hæresim indirectè spectat, non est tamen propriè hæreticus, seu infidelis.

3 Porrò, ratio cur ignorantia vincibilis excuset hominem à peccato hæresis, non autem à peccato homicidij, illa est; quia scientia, seu cognitio in peccato homicidij non est circunstantia ex parte obiecti requisita, sed tantùm conditio, quæ requiritur, vt actus sit liber, & humanus: cùm igitur ignorantia vincibilis non tollat voluntarium, vt *in 1.2. quæst. 6. art.* 8. sequitur, quòd manente voluntario, & substantia homicidij exterioris, sit peccatum eiusdem speciei, ac si homicidium esset directè volitum, & scienter perpatratum: at in peccato hæresis cognitio propositionis Ecclesiæ est circunstantia substantialiter requisita ex parte obiecti, sicut locus sacer in sacrilegio: quapropter sublata hac cognitione, etiamsi maneat, vt actus erroris sit humanus, voluntarium sufficiens, non tamen manet substantia erroris cum circunstantiis requisitis, vt sit peccatum propriæ hæresis, seu infidelitatis.

4 Itaqne pertinacia, quæ ad hæresim propriam requiritur, sumitur ex hac circumstantia, quam dixi, nempe ex scientia, qua quis nouit suam opinionem esse propositioni Ecclesiæ Catholicæ contrariam; vnde

5 Infertur primò non requiri ad pertinaciam, vt quis de suo errore, scienter admisso, moneatur, & ipse adhuc in illo velit persistere: sed sufficit, si scienter erret contra id, quod ab Ecclesia definitum esse arbitratur.

Infertur secundò, nec satis esse ad pertinaciam, vt quis de suo errore ignoranter admisso à viris grauissimis, etiam Inquisitoribus, vel à proprio Episcopo admoneatur: si enim ipse adhuc post monitionem existimet doctrinam suam non esse contra sensum Ecclesiæ, eósque viros oppositum putantes errare, non est formaliter, & propriè hæreticus: nam (vt dixi) nisi quis credat se contra Ecclesiæ doctrinam opinari, non est pertinacia, & sic nec propriè hæreticus, quantumuis, & à quouis admoneatur, (excipe, nisi existimet se opponi Pontifici, vel Concilio, quorum est rem de fide definire, & quibus aduersari est toti Ecclesiæ scienter opponi) quamuis in foro externo hæreticus præsumatur: atque ita habetur *in cap. ad abolendam de hæret.* & docet Can. *lib.* 12. *de locis theol. cap.* 5. Valent. 2.2. *disp.* 1. *quæst.* 12. *punct.* 1. *diffic.* 4. Vasq. 1. 2. *disp.* 126. *cap.* 3. *num.* 7. Sanchez *lib.* 2. *Mor. cap.* 7. *num.* 25. Salas 1.2. *tract.* 13. *disp.* 7. *sect.* 7. *num.* 53 Sayr. *de cens. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 17. Torres *de Trin. quæst.* 32. *art* 4. & alij. Vide etiam Bart. *in l. tutor, ff. de suspect. tutor.* Rebuffum *in prax. benefic. in Bulla Cœnæ, excommun.* 1. *art.* 1. *verb. hæreticus, vers. quærat aliquis*, Penn. 1. *part. excomm.* 26. *quæst.* 12. *num.* 14. Vgolin. *de cens. Pontif. reser.* 2. *part. c.* 1 §. 1. *num.* 10. & Pasqualigum *in cit. decis.* 162. & 163. 6

SVBCOROLLARIVM. V.

VNde quintò non incidit in pœnas hæreticorum, & sic absolui potest 1 etiam

etiam Regularibus, quin imò à quolibet approbato Confessario (modo, quo *suprà* dicebatur) is, qui errore contra fidem, etiam ex ignorantia affectata, committit in interno, etiamsi perfectè explicet illum in externo. Moueor ad hoc etiam subcorollarium deducendum ex eo, quia in ignorantia affectata militat eadem ratio, quæ *suprà* de ignorantia crassa dicebatur; nempe quòd in peccato propriæ hæresis scientia determinationis Ecclesiæ, sit circunstantia substantialiter requisita ex parte obiecti, qua proinde sublata aufertur etiam substantia propriæ hæresis: atque ita docet Bannes 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 2. Aragon. *ibid.* Azor. *tom* 1. *lib.* 1. *cap.* 14. *quæst.* 9. Petr. de Ledesma *in summa, tom.* 1. *tract.* 1. *cap* 6. *diffic.* 2. Vasq. 1. 2. *disp.* 126. *cap.* 2. Suarez *tract. de fide, disp.* 19. *sect.* 3. *num.* 18. Sayr. *in clau. Reg. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 34. Pesant. 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 1 *disp.* 1. *conclus.* 5. dicens esse communem, Becan. *de fide, cap.* 14. *quæst.* 2. *num.* 16. & Sanctarel. alios referens *de hæresi, cap.* 1. *dub.* 5. *num.* 23. contra Can. *de loc. theol. lib.* 11. *cap.* 9. Valentiam 2. 2. *disp.* 1. *quæst.* 11. *punct.* 1. *diffic.* 4. *in solut. ad primum*, Zumel. 1. 2. *quæst.* 26. *art.* 4. *disp.* 1. Petrum Nauar. *lib.* 2. *de restit. cap.* 4 *part.* 2. *dub.* 8. *num.* 208. & alios, inter quos videtur esse Corduba *in quæstion. lib.* 1. *quæst.* 17. §. 7. & Torres *de Trinit. quæst.* 32. *art* 4. *in* 2. *part. comment. assert.* 1. sed vt distinctiùs in hac re procedatur.

2 Aduerte primò, quod si quis, quæ Ecclesia proponit, affectet ignorare, solùm ex negligentia, ac tædio illa addiscendi, absque dubio propriè hæreticus non est, & sic non contrahit hæreticorũ pœnas. Ratio, quia in tali casu pertinacia, quæ ad hæresim propriam requiritur, non ad est: nam cum tali voluntate ignorandi, quid doceat Ecclesia, stat voluntas obediendi Ecclesiæ, quotiescumquè de illius definitione constiterit.

Aduerte secundò, quod si affectet ignorare, etiam, sed solùm, vt liberius, & absque conscientiæ scrupulo defendat opiniones, quæ sibi maximè placent, ne si forte contingat illas esse hæreticas, necessitetur mutare, nec etiam est propriè hæreticus, & sic nec etiam contrahit hæreticorum pœnas. ratio, quia nec in tali casu pertinacia quæ ad propriam hæresim requiritur, interuenit: nam & cum tali voluntate ignorandi stat etiam virtualis voluntas obediendi Ecclesiæ, quotiescumque de illius definitione constiterit: ideo enim talis homo, quid doceat Ecclesia, vult ignorare, quia non vult ab illius sententia recedere; ergo excludit pertinaciam, & consequenter excludit etiam hæresim propriam; atque ita præter alios docet Suar. *in cit. disp.* 19. *sect.* 3. *num.* 18. 3

Aduerte tertiò, quod si quis è contra affectet ignorare, quæ proponit Ecclesia, ad finem, vt liberiùs, & absque conscientiæ remorsu erret in fide, & ab Ecclesia recedat, est (sicuti docent Can. Valent. Zumel, & Petr. Nauarr. *in locis suprà citatis*) propriè hæreticus, & sic contrahit hæreticorum pœnas; si tamen in externo etiam intentionem suam proferat. Ratio, quia in tali casu è contra adest verè pertinacia contra Ecclesiam, cum in tali casu nolit homo subiici Ecclesiæ quin sic recedere ab Ecclesia est magis voluntarium, saltem per modum obiecti, & talis ignorantia, vt *in* 1. 2. *quæst.* 6. *art.* 8. non minuit peccatum, sed potius auget peccatum; atque ita docet Sanchez *lib.* 2. *mor. cap.* 7. *num.* 23. Zumel 12. *quæst.* 76. *art.* 4. *disput.* 1. Reginaldo *tom.* 2. *lib.* 17. *cap.* 4. *quæst.* 2. 4

quæst. 2. *num.* 49. Idem dico, si affectet ignorare ex falsa opinione, quam habet contra Ecclesiam; quia, & in tali casu etiam adest verè pertinacia, cum & in tali casu etiam non sit paratus corrigi ab Ecclesia; quin imò contemnat authoritatem Ecclesiæ; atque ita docet Sanchez *in cit. cap.* 7. *num.* 23. Vasq. 1. 2. *disput.* 126. *cap.* 2. *ad fin.* & Turrian. *de fide, disp.* 55. *dub.* 2.

SVBCOROLLARIVM VI.

1 Vnde sextò non incidit in pœnas hæreticorum, imò nec peccat, saltem mortaliter, is, qui per habitualem dispositionem, ita adhæret suæ opinioni, vt etiamsi sciret, illam esse contra Ecclesiam, adhuc in illa persisteret, dixi *habitualem* quæ scilicet non proueniat ex actu præterito, & prauo affectu actuali, quo quis proposuit sequi suam sententiam, etiamsi contraria esset Ecclesiæ; hæc enim est manifesta actualis pertinacia, & ad hæresim propriam sufficiens: sed per habitualem dispositionem intelligo naturalem quamdam dispositionem, per quam homo ita se habet vt si, id esse contra doctrinam Ecclesiæ cognosceret, nihilominus in sua sententia permaneret. Ratio Corollarij est eadem, quæ *supra* dicebatur; nempè quod cum in tali casu non adsit pertinacia actualis, non adest in tali casu actu, & sic ex omni parte perfectè consummatũ peccatum hæresis, ergo &c. Confirmatur, quia generaliter per dispositionem habitualem non dicitur homo actu peccare: multi enim homines sunt in ea narutali disposirione, vt si occurreret occasio peccati, in peccatum laberentur, non tamen propterea sunt rei peccati.

2 Hinc mihi non ptobatur, quod docet Suar. *in cit. tract. de fide disput.* 19. *sectione* 3. *numero* 16. vbi ait, ignorantiam vincibilem, etiam crassam excusare quidem à peccato hæresis propriæ, quando ignorantia est antecedens, seu causa actus; at secus, si sit concomitans, quin addit, neque ignorantiam inuincibilem excusare, quando est concomitans, & rationem teddit, quia tunc illa ignorantia talis est, vt secum admittat, quinimò requirat voluntatem non mutandi sententiam, etiamsi constet, Ecclesiam aliud docere: ab hac enim voluntate habet illa ignorantia, quod sit concomitans; & consequenter non est causa errandi, nec excludit modum assentiendi pertinaciter contra Ecclesiæ authoritatem; hæc ille. Verum hæc (inquam) mihi non probantur, & præsertim quod addit de ignorantia inuincibili concomitante: nam cum ignorantia inuincibilis concomitans causet non voluntarium, vt *in* 1. 2. *quæst.* 6. *art.* 8. non videtur, quo modo actus cum huiusmodi ignorantia factus, possit esse malus, & peccaminosus: de intrinseca enim ratione peccati, est vt sit voluntarium; neque id est indistinctè verum de ignorantia vincibili concomitanti; quia ex dictis ad peccatum hæresis propriæ non sufficit voluntarium in causa, seu indirectè; sed ignorantia vincibilis concomitans facit tantum voluntariũ indirectè, ergo, &c.

Distinguendum itaque puto de affectu, seu dispositione ignorantis ignorantia concomitanti, ac vincibili: hæc enim duplex esse potest; vno modo habitualis tantum, vt si quis ignoranter tenens aliquid contra fidem, in ea habituali dispositione est, vt si sciret, id esse contra Ecclesiam, adhuc in sua sententia persisteret; ita tamen, vt cum hunc errorem in mente fouet, non habeat actu talem voluntatem; & 3

hæc dispositio prorsus excusat à peccato hæresis, quia (vt dicebatur) per dispositionem habitualem non peccat homo, donec in actum prodeat. Neque obstat, quod ignorantia sit vincibilis, quia hæc facit tantum indirectè voluntarium, quod non sufficit ad propriam hæresim, vt *suprà* dicebatur. altero modo potest esse illa dispositio actualis, vt si quis ignoranter, etiam inuincibiliter, credens aliquid contra determinationem Ecclesiæ, habeat in voluntate hunc actum: etiam si scirem Ecclesiam aliud tenere, adhuc à mea opinione non discederem, & in tali casu esset homo verè, & propriè hæreticus, atque adeò, & pœnas hæreticorum contraheret. Ratio, quia in tali casu adest vera, & propria actualis pertinacia, vt benè docet Suarez *in cit. disp.* 19. *sect.* 3. *numer.* 13. & probatur, quia talis voluntas actu apponitur voluntati parendi Ecclesiæ, & authoritatem illius infallibilem non admittit, quin etiam excludit, ergò, &c.

4 Hoc autem, quod modò dixi, verum est, etiamsi contingat, opinionem suam non esse contra determinationem Ecclesiæ; vt siquis v. g. falsò existimans, aliquid esse definitum ab Ecclesia, contrarium ipse teneat. Ratio, quia cum sit in dispositione, siuè affectu actuali persistendi in sua opinione, etiamsi aduersetur Ecclesiæ, est etiam in tali casu in vera, & perfecta actuali pertinacia contra Ecclesiam, ergò, &c.

5 Confirmatur, quia hoc ipso, quo credit non esse vniuersaliter vera, quæ definita sunt ab Ecclesia, ab Ecclesia recedit, & negat Ecclesiam esse in proponendo infallibilem regulam; qui est vnus ex atticulis fidei præcipuus, ergò, &c. atque ita (contra Salas 1. 2. *tract.* 13. *disput.* 7. *sect.* 7. *in fin.* tenentem, quod talis homo, quamuis ob conscientiam erroneam non minus peccet, quàm hæreticus, non tamen sit propriè hæreticus, quia, vt inquit ipse, nihil falsum credit) docent communiter Doctores, Henriq. *lib.* 13. *de excomm. cap.* 17. *num.* 3. Bañes 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 2. & *ibid.* Arag. *art.* 1. Castr. *lib.* 1. *de iust. hæret. punit. capit.* 9. Cord. *in quæst. lib.* 1. *quæst.* 17. Rodrig. *in Bulla* §. 9. *dub.* 2. *num.* 20. Sayr. *de censf. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 14. Alter. *ad Bullam Cœnæ, clauf.* 1. *cap.* 2. *columm.* 5. Sanchez *lib.* 2. *mor. capit.* 7. *numur.* 30. & alij passim.

Appendix ad ea, quæ suprà dicebantur.

POrrò, an iste talis in dicto casu incurrat excommunicationem Bullarem, & alias hæreticorum pœnas, si exterius proferat, quod tenet ex conscientia erronea; quamuis affirment Henriq. Sayr. & Sanchez *in loc. suprà cit.* moti ex eo, quia verè aliquid de fide exterius negat; nempè Ecclesiam esse certam fidei regulam; nihilominus oppositum sentio, ex eo, quia quamuis interius aliquid de fide neget, exterius tamen nihil contra fidem, & Ecclesiam asserit; quod (cum pœnæ sint ab Ecclesia, & strictam habeant interpretationem) ad incurrendas pœnas requiritur; atque ita docet præter alios Simanca *de cathol. instit. tit.* 31. *num.* 9. & in hoc sensu intelligi potest Salas *in loc. suprà cit.* 1

Item secundò, propter eandem rationem sentio, quod quamuis quis diuinæ reuelationi priuatim sibi factæ 2
per

pertinaciter dissentiens (cum illam esse à Deo sufficientia indicia habeat) verè, & formaliter sit hæreticus quia sicuti omnis ille, qui ob authoritatem Dei reuelantis, tanquam per vnicum formale motiuum credendi, reuelatam sibi propositionem prudenter, ac piè credit, fidei diuinæ actum elicit, ita huic formaliter oppositum actum infidelitatis exercet, quicumque reuelationi sibi à Deo factæ, & sufficienter applicatæ imprudenter, ac pertinaciter dissentit. tum quia reuelationem à Deo publicè, aut priuatim fieri, non ad essentiales, vti Sotus arbitratus est *lib. 3. de natura, & gratia, cap. 11.* sed ad accidentales tantum fidei,& consequenter infidelitatis differentia pertinere videtur) pœnas tamen hæreticorum non incurrat, quia ex dictis infidelitas, seu hæresis, propter quam pœna incurruntur, est error contra fidem catholicam ab Ecclesia propositam, & hæreticus, qui pœnas incurrit, est qui in sententijs, siue dogmatibus fidei ab Ecclesia contumaciter recedit; quod in nostro casu non est, ergo, &c. atque ita præter alios docet Corduba *lib. 1. quæstion. 17 §. 1. dub. 2.* contra Vegan super Trident *lib. 9. cap. 3* & Sanchez *lib. 2. mor. cap. 7. num. 13.*

3 Neque obstat, quòd pro se affert Sanchez; nempe, qui negat fidei articulum ab Ecclesia omnibus propositum, is pœnas hæreticorum incurrit; at qui reuelationi diuinæ priuatim sibi factæ pertinaciter dissentit, is saltem virtualiter negat præcipuum fidei Catholicæ articulum ab Ecclesia propositum, scilicet Deum in dicendo veracem esse; ergo &c. nam respondetur, cum, qui dissentit reuelationi sibi à Deo factæ (ita tamen, vt neque rei reuelatæ, neque ipsius reuelantis claram, & intuitiuam notitiam habeat) non negare Deum in reuelando veracem esse: sic enim Atheus omnino,& Aposthata esset, vtpote ipsam formalem rationem, & fundamentum fidei abiiciens; sed negare sibi factam reuelationem (quam tamen esse à Deo sufficientibus indiciis cognoscere posset) veram, aut certam esse.

Item tertiò, propter eandem rationem, sentio, quòd nec incurrat pœnas hæreticorum is, qui negat Conclusionem Theologicam, quæ ex vera propositione naturaliter scita, & ex altera de fide, per euidentem illationem sequitur; vt si quis, v. g. agnoscat, quòd Christus sit homo, neget tamen,quòd visibilis est.Moueor ad hoc etiam deducendum: quia vel negat is Conclusionem Theologicam, vt deductam, & sic non est hæreticus: nam sic non tam negat firmitatem testimonij Dei dicentis, quàm firmitatem formæ syllogisticæ, nempe quòd hæc non habeat illationis necessitatem (ob quam rationem nec est hæreticus is, qui negat Conclusionem Theologicam, vt deductam etiam ex duabus præmissis de fide; vt si quis,v.g. agnoscat per fidem omnem hominem esse redemptum; & Ioannem Baptistam fuisse hominem missum à Deo;neget tamen esse redemptum; quamuis in vtroque casu præsumatur hæreticus; quia cùm præmissæ naturaliter scitæ, & formæ syllogisticæ certitudo sit euidenter nota, meritò in foro externo præsumitur non negare hæc, sed potius negare præmissam reuelatam: ergo &c.vel negat is Conclusionem Theologicam, vt explicatam per præmissam naturalem, & per formam syllogisticam, tanquam per conditionem applicantem: & sic, quamuis re vera sit hæreticus, quia sic negat testimonium Dei dicentis, in quo sum 4

fundatur conclusio Theologica, vt explicata, seu sumpta materialiter; tamen quia sic non dicit adhuc aliquid contra Ecclesiam (suppono enim, quòd non sit illa explicata, seu explicitè proposita ab Ecclesia) non contrahit adhuc hæreticorum pœnas, quæ solùm sunt ab Ecclesia, vti *suprà* dicebatur. Vide Canum *lib.* 12. *de locis*, *cap.* 9. Bannes 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 2. §. *circa hoc*, Valentiam *tom* 3. *disp.* 1. *quæst.* 11. *punct.* 1. *difficult.* 3. Cordub. *quæst.* 17. *dub.* 3. *notab.* 3. §. *id etiam*, & Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 7. *num.* 33.

Svbcorollar. VII.

1 Vnde septimò non incidit in pœnas hæreticorum, & sic absolui potest etiam à Regularibus, quin imò à quolibet approbato Confessario (modo quo *suprà* dicebatur) is etiam, qui hæresim actu consummauit perfectè in interno, dummodo eandem nullo modo consummauerit in externo, id est, nullum signum in externo de hæresi sua dederit, & sic restet hæreticus, licet proprius, purè tamen mentalis. Moueor ad hoc etiam subcorollarium deducendum, propter eandem rationem iam *suprà* dictam; nempè quod censuræ, & pœnæ delictum aliquod afficientes, cum, vt pote odiosæ, strictam interpretationem habent, non contrahuntur, nisi ob delictum verum, & ex omni parte perfectè consumatum.

2 Confirmatur, quia Ecclesia non habet iurisdictionem in actus, qui non possunt exterius cognosci, cum regimen, eius sit visibile, & sic debeat versari circa obiecta visibilia; atque ita habet communis opinio Doctorum, etsi contrarium senserint Panorm. Ioannes Andreas Ananias, Felin. & alij Canonistæ *in cap. vlt. de hæresi*, Adrian. *in* 4. *quæst.* 2. *de confessione* §. *alij* probant, Albertus Piglius *lib.* 6. *de Eccles.* Hierar. *cap.* 16. Albertin. *de agnosc. asser. quæst.* 33. Rojas *de hæret. part.* 1. *num.* 246. Azeued. *in recopil. lib.* 8. *tit.* 3. *leg.* 1. *num.* 152. Menoch. *de arbitrar. cas.* 360. & *spin. in specul. testam. gloss.* 7. *princ. num.* 3. & *seqq.*

Svbcorollar. VIII.

Vnde octauò absolui potest à Regularibus, quin imò, à quolibet 1
approbato Confessario (modo quo *suprà* dicebatur) is etiam, qui actu consummauit hæresim perfectè in interno, dummodò eandem, licèt aliquo modo perfectè tamẽ non consummauerit actu in externo, id est, dummodo, quamuis dederit de sua hæresi interna signum aliquod externum, tamen non dederit signum tale, quod secundum se, aut ex circunstantiis sit sufficiens ad illam alijs perfectè explicandam, id est, nullus alius, si fuisset præsens, ex illo signo externo potuisset probabiliter illam apprehendere: hoc enim omninò requiritur ad excommunicationem, cæteráʃque hæreticorum pœnas incurrendas, vt scilicet verba, aliáve signa, ex sua natura, vel ex institutione, vel consideratis hic, & nunc circunstantiis personarum, loci, temporis, &c. Sufficienter manifestatiua sint hæresis internæ. Ratio huius Subcorollarij est eadem, quæ *suprà* dicebatur.

Confirmatur, quia ideò Ecclesia non 2
punit hæresim purè internam, quia non potest ea ab vllo cognosci, præter quam ab habente illam; ergò idem dicendum, si ex signo externo non possit probabiliter illa ab aliis apprehendi,

ac

ac proinde habenda est talis, ac si esset solum interna.

3 Ratio autem, cur Ecclesia, lex, vel præceptum humanum vllum non possit se extendere ad actus merè internos præcipiendos, ac puniendos, ad mentem S. Thom. 1. 2. *quæst*. 91. *art*. 4. & *quæst*. 100. *art*. 9. & 2. 2 *quæst*. 104. *art*. 5. Gerson. *part*. 2. *operum in reg. moralibus*, §. *solus Deus*, Caiet. *tract. de potest. Papæ*, & *Concil. capit*. 19. Castr. *lib*. 2. *de iusta hæret punit. cap*. 18. Nauar. *cap*. 23. *num*. 38. & *cap*. 27. *num*. 56. & *cap. cogitationis*, *dist*. 1. *de pœnit*. Suarez *de cens. disp*. 4. *sect*. 2. & *lib*. 4. *de legib. capit*. 12. Salos *disp*. 11. *sect*. 1. Vasq. *disp*. 60. *capit*. 2. Couarr. *reg. peccatum*, *part*. 2. *num*. 7. Mirandæ *in man. Prælat. tom*. 1. *quæst*. 26. *art*. 2. & aliorum communiter contra gloss. *in capit. cogitationis dist*. 1. *de pœnit*. Adrianum *quodlib*. 8. *art*. 1. Pighium *lib*. 6. *de Eccles*. Hierarchia *cap*. 16. Iulium Clarum *lib*. 1. *sentent*. §. *vltim. quæst*. 91. Medinam *Cod. de orat. quæst*. 15. & Rosellam *ver. absolutio*, 1. *numero* 28.

4 Prima est, quia *in cap*. 1. 15. *quæst*. 6. dicitur, *quòd non possit humano iudicari examine, quem Dominus suo reseruauit iudicio*. & in cap. sicut, de simonia habetur, *quòd Ecclesia non iudicet de occultis*, & *in cap. tua nos*, *eod. tit*. Innoc. III. ait; *nobis datum est de manifestis solummodo iudicare*, & *in leg*. 18. *ff. de pœnis*, quæ allegatur apud Gratianum *distinct*. 1. *de pœnit*. dicitur, *quod cogitationis pœnas nemo patitur*; vbi gloss. rectè monet, verum id esse, si stetur intra fines cogitationis; at secus si exequendi propositum manifestetur externo signo, vel conatu, quamuis sine effectu, vel successu: nam solum conatum in criminibus (præsertim grauibus) prohiberi, ac puniri, saltem pœna extraordinaria, seu arbitraria, iuxtà criminis, & facti qualitatem, docent gloss. & Doctores *in leg. quisquis Cod. ad leg. Iuliam Maiestatis*, & Nauar. *in cap. si quis non dicam, de pœnit. distinct*. 1. *num*. 4.

5 Secunda ratio est (quam indicat S. Thom. *quæst*. 100. *art*. 9. quia frustra, & inefficaciter lex ad Communitatem fertur, si legislator cogere non possit, an obseruetur; neque possit ad eius obseruationem compellere (leges enim ferre, & secundum leges iudicare ad eamdem potestatem spectat, eumdemque: ordinariè oportet esse legislatorem, Iudicem, & legum vindicatorem) sed de actibus internis ex se latentibus non potest humanus legislator iudicare; ergo, &c. minor probatur, quia secretorum solus Deus cognitor, & Iudex est, *cap. erubescant d*. 32. & constat *ex cap. Reg*. 16. vbi dicitur: *homines vident ea, quæ patent, Deus autem intuetur cor*.

6 Tertia ratio est (quam affert etiam S. Thom. 2. 2. *quæst*. 104. *art*. 5.) quia cum omnis humana potestas, siue iurisdictio in hominum societate fundetur, (quæ materialis, & sensibilis, est) conueniens videtur, vt solum se extendant ad actiones humanas, quatenus in exteriorem materiam transeunt, & signo aliquo manifestantur; ergo &c. Vnde S. Thom. *cit. art*. 5. ait, quod in his, quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis homo non tenetur obedire homini, sed soli Deo; tenetur autem homo homini obedire in his, quæ exterius per corpus agenda sunt; quod intellige, etiamsi quandoque huiusmodi externæ actiones maneant occultæ per accidens; vt quia à nemine videntur, & sic testibus destituuntur: Ecclesia enim punit excommunicatione bullari hære-

sim sufficienter explicatum signo externo, quamuis occulto, qua de re Nauar. *cap. 27. num. 56. & cit. cap. cogitationis, num. 7. & in rubr. de iudic. num. 76.* vbi ait, occultum esse duplex; vnum per se, quod sua natura non potest probari, quales sunt omnes interiores hominis actus, quorum cognitor solus Deus est: alterum per accidens, quod exterius expressum est, vt ex se deprehendi possit, licet à nemine deprehendatur. Hinc multi soluuntur casus; quorum est

Casus primus.

1 Qui præstat opus præceptum, quatenus ex obiecto, seu secundum speciem bonum est, non violat legem humanam, etiamsi finem, siue intentionem legislatoris non intendat, nec assequatur, quin reipsa, & in indiuiduo opus malum, v. g. ob prauam finis circumstantiam, exerceat; atque ita docet S. Thom. *quæst. 100. art. 9.* & *ibid.* Caiet. Medina, & alij: exemplum sit: Ecclesia præcipit ieiunium, id est, vnicam refectionem sine carnibus; finis autem huius præcepti est, vt gula frænetur, & caro spiritui subiiciatur si quis ieiunet vanæ gloriæ causa, aut vt gulam piscibus oblectet, ideóque intentioni legis repugnet, is non obstante hoc, quamuis peccet, saltem venialiter contra legem naturalem, ac diuinam, Ecclesiasticum tamen ieiunij præceptum non violat. Ratio, quia intentio, ac finis præcepti non cadit sub præceptum, imo, vt patet ex dictis, nec cedere potest sub præceptum; cum modus agendi ex virtute, & proposito honestatis omnino intrinsecus, & non apparens sit: vnde vlterius sequitur, quod quamuis legislator humanus præcipiendo rem aliquam, efficere possit, vt qui legem transgreditur, peccet contra eam virtutem, cuius intuitu lex lata est, non tamen potest efficere, vt qui legem obseruat, actum talis virtutis exerceat: nam hoc pendet ex speciali interna intentione operantis, quam legislator humanus non potest præcipere; vt *supra* dicebatur. Vnde sequitur etiam, quod cum Ecclesiasticus legislator, præsertim in censuris ferendis, aliquid externum prohibet, attento actu aliquo interno, prohibeat illud adiuncta conditione actus interni, tanquam conditione solum, sine qua non. Sic excommunicatur *in clem. 1. de hæret.* qui ex odio, gratia, vel auaritia omittunt procedere contra aliquem in causa fidei; in quo casu talis conditio restringit censuram Iuris, vt in conscientia non incurratur propter opus externum prohibitum, nisi solum ex tali affectu interno procedat; atque ita præter alios notauit Suar. *lib. 5. de legib. cap. 29. num. 10. & lib. 4. cap. 13. num. 3. & 20. & de cens. disp. 4. sect. 2.*

Casus secundus.

Qui præstat opus præceptum secundum substantiam, quamuis non habeat voluntatem implendi præceptum, quin habeat voluntatem contrariam, reuera tamen satisfacit; atque ita docet Suar. *lib. 2. de relig. lib. 4. de horis, cap. 26. & 3. part. tom. 3. disput. 88. sect. 3.* Valentia *tom. 3. disput. 6. quæst. 10. in fin.* Sanchez *lib. 1. mor. cap. 13. num. 9. & 12.* Lessius *de iust. & iur. lib. 2. cap. 7. dub. 10.* contra Nauarrum *de orat. cap. 16. num. 73.* Azor. *tom. 1. lib. 7. cap. 2. quæst. 6.* Medinam *Cod. de orat. quæst. 16.* qui negant partem posteriorem Corollarij, exempli gratia; si quis die festo Missam decenter audiat, non aduertens 1

aduertens esse diem festum, satisfacit; in quo conueniunt communiter DD. Item si Missam die festo similiter decenter audiat, aduertens esse diem festum, habeat verò expressam intentionem, tunc non satisfaciendi præcepto Ecclesiæ, sed aliam posteà Missam audiendi, satisfacit etiam, ita vt non teneatur aliam Missam audire; in quo tamen discordant aliqui Doctores eadémque ratio est de horis Canonicis, & similibus: quod aduerte pro scrupulosis, qui cum videntur sibi inter orandum distracti, officium recitant, cum proposito postea iterum recitandi: hi enim in tali casu re vera repetere non tenentur, saltem quando distractio ipsorum fuit inuoluntaria. Ratio huius Corollarij est eadem, quæ *supra* dicebatur; quia scilicet lex tantum præcipit voluntariam operis executionem, non autem quasi reflexam implendi præcepti intentionem; quam, cum omninò intrinseca, & occulta per se sit, præcipere non potest: quare cum opus, quod præcipitur, impleas, etsi putes per ignorantiam, vel errorem te non implere, aut etiam nolis implere, non potes efficere, quin impleas; quia protestatio contraria facto vim vllam non habet, nec vt impleas Ecclesiæ præceptum, requiritur, (sicuti docent nonnulli, inter quos Suar.) vt intra tempus retractes actum, sed sufficit, si desistas ab actu; idque solum ne pecces, Ecclesiam per affectum contemnendo, quomodo solum peccares; vel etiam ex conscientia erronea, si in falsa persuasione (quasi præcepto non satisfeceris) manens, errorem non deponas, vel aliam Missam non audias, horas canonicas iterum repetas, &c.

2 Neque obstat, si dicas, qui obligatus est, v.g. voto recitandi rosarij, si recitet animo tunc non soluendi votum, tenetur iterum recitare. Item qui obstrictus debito pecuniarum, si dum pecunias soluit, non vult debito exolui, sed gratis dare, tenetur iterum soluere: ergo sic in casu nostro: nam respondetur disparitatem esse inter debitum ex voto, aut promissione, & debitum ex lege, vel præcepto Superioris: debitum enim, seu obligatio voti, & cuiuscunque alterius promissionis prouenit ex voluntate vouentis, & promittentis, qui sicut ab initio pro arbitratu suo debitorem se constituere potuit, sic etiam in eo debito, siue obligatione pro arbitratu suo similiter perseuerare poterit: at debitum, seu obligatio ex lege, vel præcepto prouenit ex voluntate legislatoris, vel præcipientis, vnde extendi non potest vltra intentionem, & posse ipsius Legislatoris, vel præcipientis: quare cùm Legislator hoc solùm præceperit, quin imò ex dictis hoc solùm præcipere potuerit, vt scilicet opus humano modo impleatur, sequitur quòd eo opere præstito, necessariò obligatio extinguatur.

Cæterùm, si quis immemor rosarium se vouisse Deo, illud recitet, voto soluitur. Item si quis homini promisit rem donaturus, postea donet immemor promissionis eximitur. Item si quis omisit recitare officium, & propterea est obligatus fructus beneficij pro rata pauperibus distribuere, postea eleemosynas largiatur immemor talis obligationis, obligatione liberatur, & sic de similibus aliis, &c. At dispar ratio est, si ex titulo rigoroso iustitiæ debitor sis, v.g. ex empto permutato, &c. & immemor huius debiti tantundem liberaliter dones: nam in tali casu non videris obligatione solui; quia gratis dare, & ex tali debito dare, pugnant inter se, iux-

ta illud Apost. ad Rom. *si autem gratia, iam non ex operibus, id est, ex operum merito, alioquin gratia iam non est gratia, sed debiti retributio*; atque ita docet Lud. Lopez *lib. 2. de contract. cap. vlt. § superest nunc*, Sanchez *in loco suprà cit.* & Pasqualigus *in suis decisionibus, decis. 455.*

4 Aduerte tamen hîc, quòd quamuis ab humana potestate non possint (vt *suprà* dicebam) præcipi, vel prohiberi actus interni, per se, & directè, possunt tamen præcipi, vel prohiberi per accidens, & indirectè, seu concomitanter, quatenus scilicet requiruntur ad moralem substantiam actuum externorum. Ratio, quia cùm homines, qui sunt membra Reipublicæ partim interno animo, partim externo, & materiali corpore constent, fit, vt & interiores hominis actiones non aliter sub Reipublicæ gubernationem cadere possint, nisi quatenus ad externas actiones diriguntur, eásque aliquo modo informant, fitque etiam quòd ipsæ actiones externæ, ac materiales non alio modo præcipi, aut prohiberi possint, quàm vt ab internis proficiscuntur, & iis secundùm esse morale informantur, & constituuntur: atque ita docent Syluest. *verb. obedientia, quæst. 1.* Sot. *lib. 10. de iust. & iur. quæst. 5. art. 5.* Medina *quæst. 100. art. 9 §. ad vltimum argumentum*, Miranda *in loc. suprà cit* Suarez *lib. 3. de legibus, cap. 13. num. 2. & seqq.* Vnde si ebrius, dormiens, aut mentis impos horas canonicas recitet, Missam die festo audiat, &c. non satisfacit præcepto Ecclesiæ; sed tenetur, postquam ad mentem rediit, iterum recitare, Missam audire, &c. Ratio, quia ex dictis leges, & præcepta homini imponuntur, vt ea humano modo, non autem more brutorum impleat: quare sicuti opus præceptum non potest violari, nisi per actum, vel omissionem humanam, seu liberam, ita nec potest adimpleri, nisi similiter. Idem dicendum de inuito, seu coacto, quòd is etiam legem, aut præceptum Superioris non impleat: vt si quis vi retentus, Missæ, vel Concioni intersit. Ratio, quia coactio tollit voluntarium, ac liberum, sine quo lex, vel præceptum nec impleri, nec violari potest, vti *suprà* dicebatur. Vide Sotum *lib. 2. de iust. & iur. quæst. 3. art. 9.* Medinam *cit. art. 9.* Sanchez *num. 2.* Suarez *lib. 4. de horis Canonicis, cap. 26.* & Azor. *tom. 1. lib. 7. cap. 2. quæst. 6.*

Porrò doctrina hæc vniuersim vera est, si loquamur de formali impletione legis, aut præcepti, ad quam, sicuti & ad formalem transgressionem, voluntarium omnino requiritur, quòd si de materiali executione legis, aut præcepti loquamur, per hanc absque actione propriè humana, seu libera potest satisfieri, v. g. si dormiens ex sola imaginatione decimas ad Parochum suum deferat, vel adactus ad altare primitias ponat materialiter, & in effectu satisfacit legi decimarum, & primitiarum, ita vt alias decimas, & primitias dare non teneatur. Ratio est, quia sicut homo sine culpa legem materialiter violare potest, v. g. rem alienam ob inculpatam ignorantiam auferendo: ita etiam sine merito legem materialiter implere poterit, vt apparet in exemplis propositis, & etiam in eo, qui à carnis esu, vel altera refectione abstinet; quia per vim ab aliis id facere prohibetur: quædam tamen præcepta versantur circa actiones, quæ in sui executione voluntarium, & liberum intrinsecè includunt, vt propteria à dormiente, ebrio, coacto, &c. non possint præstari, & sic nec pos- 5

sit

sit ab illis legi satisfieri: & huc spectant exempla *supra* posita de auditione Missæ de Horarum recitatione, &c. quæ voluntariam animi attentionem requirere videntur.

Casus tertius.

1 Cùm proponitur quæstio, an in casu, quod præceptum sub excommunicatione, vel alia iuris pœna sit impositum, is qui inuitus, vel coactus illud implet, eam euitet? Ad illam respondetur ex dictis, quod si opus ab Ecclesia præceptum, spectata intentione legislatoris, in executione non requirit concursum actioni voluntariæ, qui illud coactus exequitur, euitat censuram, ac pœnam; vt si, verbi gratiâ, primitiarum, vel decimarum solutio sub excommunicationis pœna præcipiatur, & aliquis vi ductus illas soluat; atque ita docet præter alios, Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 13. *num.* 6. quod si autem opus ab Ecclesia præceptum, spectata eius intentione, in executione reali intrinsecè requirit concursum actionis voluntariæ, sicuti accidit in auditione Missæ, &c. tunc qui inuitus, vel coactus Missæ interest, videtur pœnam impositam contrahere. atque ita docet Sanchez *vbi suprà*, & Salas *disput.* 9. *sect.* 2. *num.* 34. contra Sotum *cit. art* 9. & alios.

2 Cæterùm, qui opus qualecumque sub censura prohibitum inuitus intermittit, pœnam statutam non incurrit; vt si verbi gratiâ, sub excommunicationis pœna interdictum sit alicubi vesci carnibus in diebus prohibitis, & quis per vim ab illis vescendis in illis diebus arceatur; atque ita docet Sotus *loc. cit.* Suar. *cit. cap* 16. *num.* 9. contra Medinam *cit. quæst* 100. *art.* 9. Ratio, quia leges pœnales, vt *suprà* dicebatur, intelliguntur secundùm effectum realem consummatum.

Locutus sum autem *suprà* de inuito, 3 seu coacto: nam qui metu, quamuis graui ductus, opus, quod in præcepto est, exequitur, is censuram euitat, quin satisfacit, & præceptum implet formaliter; vt si verbi gratiâ, puer metu Pedagogi commotus, Missam die festo attentè audiat. Ratio, quia metus non tollit voluntarium, vel liberum simpliciter, sed tantum secundùm quid. Ergo, &c. atque ita docent Sotus *cit. lib.* 2. *quæst.* 3. *art.* 9. Sanchez *cit. cap.* 13. *num.* 7. Suar. *part.* 3. *tom* 5. *disput.* 88. *sect.* 3 Salas *cit. sect.* 2 Azorius *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 12. *quæst.* 9. quamuis contrarium sentiat S. Anton. *part.* 2. *tit.* 9. *cap.* 10. § 2.

Dices, quod si metus sit puero causa 4 principalis audiendi Missam die festo, ita vt expressam intentionem habeat non audiendi Missam, si pedagogus abesset? item quid si oblectatio piscium sit causa principalis ieiunandi, vt si tam boni pisces non haberentur, nollet quis ieiunare? Respondetur, quod in his casibus totum opus, quod ab Ecclesia præcipitur, impleatur, peccatur tamen interno affectu contra Religionis, vel temperantiæ virtutem, cuius intuitu lex ab Ecclesia lata fuit. Ratio, quia Ecclesiæ lex directè tantùm præcipit attentam Missæ auditionem (simile dico de opere ieiunij) quam si puer præstitit, opus totum ab Ecclesia præceptum impleuit, ita vt non teneatur aliam Missam audire, &c. Verùm eadem lex, dum præcipit Missam audiri, indirectè efficit, vt propositum, tam absolutum, quàm conditionatum, imò etiam simplex affectus non audiendi Missam, si non tollat obiecti malitiam, sit prohibitus, atque adeò malus; atqui propositum habet, si pe-

dagogus abesset, vellem negligere Missam: si tam boni pisces non adessent, vellem non ieiunare, is interno affectu versatur circa obiectum prauum, & lege prohibitum, & non tollit malitiam obiecti Ergo committit peccatum internum aduersus religionis vel temperantiæ virtutem ab Ecclesiastica lege præceptam, quam legislator per suam legem hic, & nunc ex iusta causa potest inducere, vt *suprà* dicebatur: simili ratione peccat is, quem posteà sine rationabili causa pœnitet quod Missam die festo audierit: quod sine bonis piscibus ieiunium seruauerit, &c. atque ita docet Suarez *lib*.3. *de leg. cap*. 13. *num*. 9. & *lib*. 4. *cap*. 13. *num*.1. & habetur *in cap. nulli*, *d*.19. vbi dicitur: *nulli fas est, vel velle, vel posse transgredi Apostolicæ Sedis præcepta.*

Casus quartus.

1 Cùm lex Ecclesiastica præcipit orationem externam, præcipit etiam consequenter internam animi intentionem, seu in Deum mentis eleuationem. Item cùm præcipit sacramentalem confessionem præcipit consequenter etiam internam animi contritionem, vel saltem attritionem, &c. Ratio, quia neque essentia orationis potest consistere sine interna animi attentione, neque essentia sacramenti Confessionis consistere potest sine interno animi dolore, & proposito non amplius peccandi, &c. Item cùm Superior præcipit Sacerdoti vt sacrificet, Sacramenta ministret, præcipit consequenter etiam vt habeat internam intentionem sacrificandi, baptizandi, à peccatis absoluendi, & sic de similibus aliis, &c. atque ita docent Maior *in* 4. *d*. 19. *quæst*. 7. Caietan. 2. 2. *quæst*. 83. *artic*. 3. & *in summa*, *verb. hora*, §. *ad tertium*. Sotus *lib*. 10. *de iust. quæst*. 5. *artic*. 5. Nauarr. *tract. de orat. cap*.13. *num*. 18. 19. & 20. Suar. *tom*.2 *de relig. lib*.4. *de horis*, *cap*.16. & *lib*. 3. *de legib. cap*. 13. *num*. 10. Lessius *lib*.2. *de iustit. cap*. 37. *dub*. 11. *num*. 67. Azorius *tom. lib*.10. *cap*.8. *quæst* 7. & *cap*.12. *quæst*.9. Sanchez *lib*. 1. *moral. cap*. 13. *numero* 3. & alij communiter: idemque etiam sentire videtur S. Thom. *in* 4. *distinct*.15. *quæst*. 4. *art*. 2. *quæstiunc*. 4. *ad* 2. & probatur, quia alioquin Ecclesiæ Ministri non verè, sed simulatè orarent, & sacramenta ministrarent. Itemque fideles omnes non verè, sed per fictionem sacramenta postularent: & sic non satisfacerent Ecclesiæ præcepto.

Contrarium tamen, & non improbabiliter, saltem ab extrinseco (dummodo adsit attentio, & deuotio externa, ad quam solum, inquiunt ipsi, potest Ecclesia subditos suos obligare) docent alij quamplures, atque graues Doctores vt gloss. *in clement*.1. *de celebrat. Missarum*, *ver. fructuum* Durand. *lib* 4 *sentent. distinct*.15. *quæst*. 12. Paludan. *ibid. quæst*. 5. *art*. 2. *conclus*. 4. Anton. *part*. 3. *tit*. 13. *cap*. 4. §. 7. vbi pro hac sententia affert Hostiensem, Vmbertum, & Archidiaconum; ita etiam docet Med. *Cod. de orat. quæst*. 15. & 16. Syl. *ver. hora*, *quæst*. 11. Rosella *eod. ver*. §. 3. Angel. §. 27. Tabiena §. 3. Gabr. *in canonem missæ*, *lect*.62. *propos*. 1. Couinch. 3 *part. quæst*.83. *art*.6. *dub. vnic. num*. 292. Ioann. Valerus *in diff. vtriusque fori ver. hora canonica diff*. 1. per totam; aferúntque ad hanc doctrinam explicandam exemplum, tum de præcepto recitandi horas canonicas, & audiendi Missam, tum etiam de præcepto annuæ confessionis, ita vt per talem confessionem, etiam sacrilegam, ne dum contra ius 2

diuinum

diuinum voluntariè nullam, non ſolum vitetur pœna excommunicationis Conſtitutionibus Epiſcopalibus impoſita contra tale præceptum tranſgredientes (vt in terminis docet Henriq. *lib.* 4. *cap.* 4 §. 1.) ſed etiam ſatisfiat præcepto Eccleſiæ de annua Confeſſione; idque etiam ſi abſolutio non conferatur, vel ob defectum contritionis confitentis, vel ob defectum, aut malitiam confeſſoris; ſicuti præter alios docent Palud. *in* 4. *diſtinct.* 17. *quæſt.* 7. Gabriel. *ibid. quæſt.* 1. *art.* 3. *dub.* 5. Syl. *ver. Confeſſio*, 4. *num.* 3. *in fin.* Victoria *num.* 163. *contra Guil. Pariſienſem de ſacram. pœnit. cap.* 14.

Non poteſt tamen legiſlator, aut Prælatus ſub peccato obligare ſubditos ad habendam intentionem, vel aliam diſpoſitionem accidentalem, ſeu non pertinentem ad ſubſtantiam moralem operis præcepti, v. g. vt ieiunia, & orationes fiant in ſtatu gratiæ, vel vt orationes, & ſacrificia Deo afferantur ad particularem aliquam intentionem; quia ceſſat prædicta ratio; atque ita docet Suarez *lib.* 4. *de legib. cap.* 13. *numero* 16. *& de cenſ. diſp.* 6. *ſect.* 3. *num.* 20. & alij.

3 Excipe Prælatos Regulares, quibus competit Maior poteſtas in ſubditos ſuos, ratione voti obediendi Prælato in omnibus, quæ ſecundum regulam, vel ordinis conſuetudinem præcipiuntur, qua de re Suarez *in cit. lib* 4 *de legibus cap.* 12. *in fin* vbi monet differentiam eſſe inter obligationem Regularium ex voto obedientiæ, & obligationem aliorum ex lege ciuili, vel Eccleſiaſtica quia lex fundatur in iuriſdictione, quæ ſolum data eſt, quantum expedit ad bonum communitatis, & ſic ſolum ad actus externos; quapropter ſi detur verbi gratiâ ab Eccleſia in matrimonio diſpenſatio, ſi factum non fuerit ſub ſpe diſpenſationis obtinendæ, vel ſub intentione contrahendi cum coniuge coniugis mortui, aliter diſpenſatio data ſit nulla; locum id habet tantum, ſi ſpes, vel intentio prodierit in externum; nam ſi non prodiit in externum, licèt interuenerit in interno, non officit diſpenſationi prædicto modo conceſſæ, atque ita notauit Hurtad. *de matrim. diſp.* 23. *diffic.* 1. *& diſput.* 26. *diff.* 5. præceptum autem Prælati Regularis fundatur in voluntate vouentis, & pacto, ſeu promiſſione eius, quæ, quia principaliter fit Deo, & ab ipſo vouente, de actu merè interno fieri poteſt: adde quod materia voti latius patet, quàm legis: nam votum maximè eſt de conſiliis, de quibus non eſt lex.

Simili ratione dicendum, quod, 4 quia iuriſdictio non minus ad abſoluendum à peccatis internis, quàm ab externis, conueniente ordine, à ſuperioribus ad inferiores Confeſſarios deſcendit, vtraque poteſtas limitatè, ſeu cum reſtrictione conferri poſſit, & ſic poſſint non ſolum peccata mortalia exterterna, ſed etiam interna reſeruari, quamuis in vſu non ſit, neque expediat, vt reſeruentur interna, quia internorum peccatorum reſeruatio non ita neceſſaria eſt ad gubernationem Eccleſiæ, cum Eccleſia externa potiſſimum ſpectare debeat, qua de re Maior *in* 4 *diſtinct.* 17. *quæſt.* 5. *pro part.* 2. *Barthol.* Medina *lib.* 1. *Inſtruct. cap.* 10. Graff. *part.* 1. *deciſ. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 71. Llamas *part.* 1. *meth. cap.* 7. §. 14. Suarez *de pœnit. diſp.* 29. *ſect.* 3. Tinellius *de caſib. reſer. cap* 5. *num.* 6 Henriq. *lib.* 6. *cap.* 14. §. 3. Sanchez *lib.* 2. *mor. cap.* 8. *num.* 4. & Couinch. *de pœnit. diſp.* 8. *dub.* 11.

Cæterùm

6 Cæterùm quo ad ea, quæ ad naturam corporis conseruandam, & propagandam spectant, homo etiam est sui Iuris, & alteri homini non subiectus, sed soli Deo; atque ita tradit S. Thom. 2. 2. *quæst*. 105. *artic*. 5. *in corp*. Ratio, quia omnes homines natura sunt pares in his, quæ pertinent ad corporis conseruationem, & prolis generationem. Vnde non tenentur nec serui Dominis, nec filij parentibus obedire in matrimonio contrahendo, vel virginitate seruanda, aut aliquo eiusmodi; sed in his, quæ pertinent ad dispositionem actuum, & rerum humanarum, tenetur subditus suo superiori obedire, secundum rationem superioritatis; sicut miles duci exercitus in his, quæ pertinent ad bellum, seruus domino in his, quæ pertinent ad opera seruilia; filius patri in his, quæ pertinent ad disciplinam vitæ, & curam domesticam.

Appendix ad ea quæ suprà dicebantur in Subcorollario octauo.

1 EX octauo igitur Subcorollario præcedenti posito pœnas hæreticorum non incurreret, si quis assentiens huic hæresi, verbi gratiâ, *Christus non est homo*, solum ista verba proferret, *non est homo*. Ratio ex dictis est, quia verba hæc non sufficienter hæresim indicant in externo, ita vt Ecclesia de ea cognoscere, & iudicare possit; quandoquidem qui talia verba profert, non exprimit, de quo subiecto loquatur; nisi forsan id ex adiunctis colligi possit, sicuti notauit Castr. *lib*. 2. *de hæret. punit. cap*. 18. Vasq. *tract. de benef. cap*. 4. *num*. 90. Sanchez *lib*. 2. *mor. cap*. 8. *num*. 8. *&* 10.

Item secundò pœnas hæreticorum non incurreret, si quis hæresim in mente detentam scriberet characteribus, qui à nemine, quàm ab ipso, intelligi possent; ideóque qui scripsit ex tali scriptura ab Ecclesia conuinci, aut iudicari non posset. 2

Item tertiò, non incurreret, si quis interius hæreticus, exterius moueret caput, vnde nemo posset colligere, id fieri ad hæresim profitendam; nisi dixisset prius, se vti velle illo signo ad illam profitendam: tunc enim per id iam satis se explicuisset. 3

Item quartò non incurreret, si quis similiter interius hæreticus, libros hæreticorum legentem audiret, aut eorumdem libros imprimeret, aut imprimi faceret, vt hæreticis faueret in eorum hæresi. 4

Item quintò, non incurreret, si quis etiam interius hæreticus, recitatiuè solum hæresim suam proferret, dicendo in mente habui talem hæresim; nisi ex circunstantiis colligi posset, adhuc talem hæresim ipsum in mente fouere. 5

Item sextò, non incurreret, si quis similiter interius hæreticus, diceret, se hæresim quamdam aliquando sectatum fuisse, vel habere propositum illam sectandi (etsi de hac re meritò puniri posset, sicuti docet Simanca *de cathol. instit. tit*. 41. *num*. 9. *&* 10. Azor. *tom*. 1. *lib*. 8. *cap*. 10. *quæst*. 6. Sanchez *cit. cap*. 8. *num*. 21. *&* 22. Sayr. *de cens. lib*. 3. *cap*. 4. *num*. 31.) Ratio, quia nec talis præsentem hæresim indicat, sed tantum præteritam, aut propositum futuræ; cum quo consistere potest, vt qui ita loquitur veram tunc fidem retineat, sicuti rectè notauit Sanchez *cit. num*. 22. 6

Item septimò, non incurreret, si quis hæresim, quam in animo conceptam gerit, in somno, vel ebrietate proferret: nam 7

nam discrimen est inter homicidium, & similia peccata, quæ opere externo consummantur, & inter hæresim, cuius malitia consummatur in interno: qui enim in ebrietate hominem occidit, cùm sciret, se tunc rixari, & verberare solere, & propterea à vino sibi abstinendum esse, irregularitatem, & excommunicationem incurrit; non autem is, qui in ebrietate hæresim profert, licet sciuerit, se, cum ebrius est, de fide disputare, & hæreticas suas opiniones proferre. Ratio discriminis est, quia hæresis in intellectu consistit, & perficitur; per signa autem exteriora manifestatur tantum; consequenter prolatio dogmatis hæretici non est peccatum externum hæresis, nisi ab interna intellectus hæresi procedat, & exprimatur, in ebrio autem non procedit ab hæresi mentali, sed solum ex imaginatione, & consuetudine, ergo, &c. At homicidium in externo opere consistit, ac perficitur; consequenter est verum peccatum externum homicidij, tamen si fiat ab ebrio, qui tunc nihil aduertit, siue intelligit, dummodo aduerterit prius, cũ causam præbuit, ob quam indirectè, & imputatiuè censetur ipsi voluntarium.

8 Item octauò, pœnas hæreticorum non incurreret, si quis similiter interiùs hæreticus re vera non dormiens, sed (fictione somni occulta per se, & purè mentali, non explicata signo vllo, eam probabiliter indicante) somnum fingens, ita vt omnes astantes sibi persuadeant, eum dormire, hæresim suam internam exterius proferret; sicut nec qui proferret, amentiam ita aptè simulans, vt quamuis in externum proferat, hæreticus tamen ex verbis suis non colligatur, nec qui similiter interius hæreticus, in comœdia hæretici personam agens proferret hæreses, quas in mente habet: ex circunstantiis enim comœdiæ per se hæreticus non apparet; in quo satis differt ab hæretico externo: nam hic ad summum est occultus per accidens, cùm si pro tali non cognoscatur ab aliis, sit ex defectu audientium, non autem ex defectu sui, at in casu nostro nõ est ex defectu audientium, sed ex defectu sui; loquitur enim in circunstantiis, in quibus non manifestantur hæreses ipsius, sed potius eius, cuius personam in comœdia suscepit & ratio horum omnium est, quia sicuti signa imperfecta solent ex circunstantiis hæresim, & animum occultum perfectè significare, ita è contra perfecta signa possunt ob circunstantias eadem occultare. Confirmatur, quia nemo, quamuis fidei studio flagret, hæresim suspicatur in loquente, quem dormire, vel insanire credit, aut facere comœdum videt, sed omnia verba eius cum risu accipit: vt autem hæresis sit externa, opus est, vt ex signo aliquo possimus illam, tanquam quandam rem significatam prudenter colligere: nam si non per accidens, sed per se, non possumus mentem loquentis hæreticam interpretari, hæresis est per se occulta, & interna; interim dicendum tamen est, quod si quis humano modo posset prudenter colligere tales homines non dormire, non insanire, non comœdiam agere, sed simulare; tunc absque dubio essent hæretici externi, & Bullæ pœnas, ac reseruationem incurrerent. Ratio, quia tunc hæresis esset occulte per accidens, non autem per se, sicuti nunc est in casibus positis. Vide Henriq. *lib.* 6. *cap.* 14. *num.* 6. *lit.* 1. Castr. *de iust. hæretic. punit. cap.* 18 Azor. *lib.* 8 *cap.* 10. *quæst.* 6. Granad. *in* 2. 2. *contr.* 1 *tract.* 15. *disp.* 13. *num.* 14. & Simanc. *de catholic. instit. tit.* 42. *numer.* 10. & Merollam *tom.* 1. *disp. cap.* 2. *num.* 387. & 401.

SVBCOROLLARIVM IX.

1 VNde nonò absolui potest à Regularibus, quin imò à quolibet approbato Confessario (modo, quo *suprà* dicebatur) is etiam, qui actu consummauit hæresim perfectè in interno, dummodò eandem, licèt aliquo modo, non tamen omni modo perfectè actu consummauerit in externo, id est, consũmatione externa peccaminosa grauiter. Moueor ad hoc etiam subcorollarium deducendum propter eandem rationem iam *suprà* assignatam: nempe, quia censuræ, & pœnæ delictum aliquod afficientes (cum vtpote odiosæ strictam interpretationem habeant) non contrahuntur, nisi ob delictum verum, & ex omni parte perfectè consummatum. Adde, quòd ex dictis Ecclesia magis attendit actum externum, quàm internum: ergo &c. atque ita docent Suarez *de cens. disp.* 4. *sect.* 3. *num.* 4. Præpos. *in* 3. *part. quæst.* 1. *de cens. in communi, dub.* 6. *num.* 45. Auila *part.* 2. *cap.* 5. *disp.* 3. *dub.* 5. Corduba *lib.* 4 *quæst.* 13. Simanca *de Cathol. instit. tit.* 42. *num.* 9. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 10. *quæst.* 5 Sanchez *de matrim. lib.* 3. *disp.* 2. *num.* 5 *& lib.* 2. *Mor. cap.* 8. *num.* 7. *& seqq.* Sà *verb. hæresis, num.* 2. & Becan. *de fide, cap.* 15. *quæst.* 1. *num.* 8. quapropter quando in iure fertur censura propter aliquod delictum, semper (nisi aliud exprimatur) intelligenda est de delicto in genere suo ex omni parte perfectè consummato: atque ita colligitur *ex. cap. perpetuæ sanctitatis de elect. in 6* vbi habetur, quòd scienter indignum eligentes non incurrant iuris pœnas, nisi adeo in eo perstiterint, vt ex votis ipsorum electio sequatur: vbi apertè innuitur pœnam non incurri ob delictum, quod in genere suo non sit omnino perfectè consũmatum: vnde & dici consueuit, quod lex imponens pœnam strictè sit interpretanda, & meritò, quia odia sunt semper restringenda.

Hinc qui percutit Clericum, si verè non percutit, vel quia errauit, vel quia impeditus fuit, &c. non contrahit excommunicationem Canonis, *si quis suadente Diabolo.* Item qui percutit aliquem, si non sequitur mors, non contrahit censuram (si censura lata est ob homicidium) quousque sequatur mors, quæ si simpliciter non sequitur, quamuis miraculosè impedita, simpliciter censuram non contrahit: quia quamuis ante mortem actio ex parte delinquentis sit consummata, non tamen est consummata, prout significatur nomine homicidij, quod propriè significat actionem delinquentis, prout coniunctam cum morte. Item qui scribit ad aliquem, non contrahit censuram latam ob scribendum ad illum, quousque ad illum scriptura perueniat; sicut qui profert hæresim in externo absque consensu hæretico interno, non contrahit excommunicationem latam contra hæreticos, quia non est perfectè hæreticus, vt *suprà* dicebatur: & ob eandem rationem, qui consulit, aut mandat opus, cui est annexa censura, censuram non contrahit, quamuis ex consilio, aut mandato sequatur opus, nisi extendatur illa ad consulentes, & mandantes; quia qui consulit, aut mandat opus, non efficit in rigore opus, imò addo, quòd quando censura fertur ob consilium, aut mandatum, censura non contrahitur, ni sequatur opus, & non ante, quàm sequatur opus: excipe, nisi censura principaliter feratur ob consilium, aut mandatum: quia tunc statim contrahitur, etiam ante secutum opus, & quamuis 2

nun

nunquam ſequatur opus, ita fertur excommunicatio *in cap. de homicidio in 6.* contra eos, qui mandant aliquem occidi per aſſaſſinos, quamuis excommunicatio iſta non ampliùs habeat locum: ita etiam fertur excommunicatio *in Clem. de pœnis, cap.* 1. contra Religioſos mendicantes, qui animo retrahendi populum à ſolutione decimarum, aliquid docent in concionibus, ſubintellige animo id efficiendi exteriùs expreſſo; & ita etiam fertur excommunicatio in Bulla Gregorij XIII. contra eos, qui cum aliquo influxu, ſeu effectu ſuadent duellum; quam excommunicationem (etſi non contrahant principales, niſi ſequatur duellum, ſicuti probabiliter docent Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 39. & Megalius *in* 3. *part. lib.* 4. *cap.* 4. *quæſt.* 2.) contrahunt tamen ſuadentes, etiamſi non ſequatur duellum, dummodò tamen ex vi ſuaſionis ipſorum fuerit acceſſus vtriuſque principalis ad locum deſtinatum duello, & per ipſos ſuadentes non ſteterit, quominus ſequatur duellum, ſecus ſi per ipſos ſteterit, qua de re vide Sanchez *vbi ſuprà*, Filliucium *tom.* 2. *tract.* 15. *cap.* 1. *quæſt.* 5. & Bonac. *tom.* 3. *diſp.* 2. *quæſt.* 3. *punct.* 48.

Appendix ad ea, quæ ſuprà dicebantur.

1 EX nono igitur ſubcorollario præcedenti poſito pœnas hæreticorum non incurrit, qui hæreſim ſuam manifeſtat solùm ad petendum conſilium, vel ad illam Confeſſario explicandam: vel qui hæreſim ſuam inter peccata ſcribit, vt eam confeſſioni ſubiiciat: & ratio ex dictis eſt; quia tales actus non ſunt mali; ſed potius laudabiles, quos Eccleſia non intendit punire, quin neque impedire. Item hæreticorum pœnas non incurrit, qui hæreſim ſuam iocosè tantùm, & non aſſertiuè profert, & præterea non eſt talis, de quo hæreſis præſumi poſſit; quia huiuſmodi actus, vtpote non mortiferus, non eſt, vt tantæ pœnæ ſubiiciatur. Item nec incurrit, qui profert indeliberatè, & abſque vlla aduertentia; quia huiuſmodi actus non eſt humanus, ac proinde talis, vt ad tantam pœnam contrahendam ſufficiens ſit. Item nec incurrit, qui profert etiam cum deliberatione, quæ tamen solùm ſufficiat ad peccatum veniale: vel (vt docent Henriq *lib.* 6. *cap.* 14. *num.* 6. *lit.* I, Sanchez *vbi ſuprà*, *num.* 17. & Hurtad. de Mendoza *de fide*, *vol.* 1. *diſp.* 83. *ſect.* 3. §. 21.) qui tantùm prodit per opus externum, quod præſcindendo ab actu interno peccatum mortale non eſt: vt ſi quis, v. g. (inquiunt ipſi) motus hæreſi interna comedit in diebus prohibitis carnem in modica quantitate, quæ non ſufficiat ad peccatum mortale; ſicuti incurrit is, qui motus eadem hæreſi interna, carnem comedit in quantitate notabili, & adſint circunſtantiæ, in quibus hîc, & nunc indicium ſufficiens hæreſis poſſit oriri. Ratio, quia factum externum priùs (inquiunt ipſi) non eſt mortale (ſicut poſteriùs) niſi per relationem solùm ad actum internum, quod ad pœnas incurrendas non eſt ſufficiens: & hoc verum eſſe ſubdunt ipſi; etiamſi ſingulis diebus prohibitis modicam partem carnis comederet; quin imò etiamſi à principio ſingulis diebus prohibitis modicam partem carnis comedendi voluntatem expreſſam haberet: cui doctrinæ neque obſtat, quòd præceptum Eccleſiæ de non veſcendo carnibus ſit negatiuum: nam præceptum naturale de non furando

(subdunt iidem) negatiuum est, & tamen in hoc excusat à mortali paruitas materiæ: ergo & in illo: non enim est maior obligatio præcepti positiui, quàm naturalis: quare dicendum (inquiunt ipsi) quòd non incurrat pœnas hæreticorum, qui signa dat hæresis internæ in quantitate tam leui, vt non sit ex se sufficiens ad peccatum mortale contrahendum: quia excommunicatio, & reseruatio non est de peccato mortali interno, sumpto solitariè; sed de peccato mortali interno, prout est coniunctum cum peccato mortali externo, quod explicet internum; & confirmant: quia excommunicationem Canonis, *si quis suadente Diabolo*, non incurrit Clerici percussor, si percussio sit leuis, & venialis, esto mortalis existat per relationem ad prauum actum internum.

2 At hæc doctrina, & exemplum mihi non quadrant: nam fieri potest, quod aliquando tales circumstantiæ concurrant, vt etiam exigua carnis comestio sit sufficiens protestatio hæresis; vt si verbi gratiâ, inter alios cibos proponatur caro, hac expressa intentione, vt qui Lutherani sunt, à Catholicis discernantur: in quo casu occultus hæreticus, si sine contraria protestatione, vel modicum carnis comedat, quàuis peccat quidem venialiter contra Ecclesiasticam legem, ex motiuo temperantiæ latam, peccabit tamen mortaliter, & excommunicationem incurret, quatenus hæresim suam sufficienter manifestat, ac profitetur: quare discrimen est inter externum peccatum percussionis, & externum peccatum hæresis, quo illud in praui propositi executione, hoc verò in internæ animo completæ hæresis manifestatione consistit, sicuti præter alios rectè notauit Viualdus *in explanat. Bullæ, casu 1. num.* 3. & sic retorquetur contra aduersarios argumentum; nempe quod sicut excommunicationem incurrit, qui propositum percutiendi Clericum sufficienter exequitur, ita etiam incurrit, qui hæresim animo consummatam sufficienter significat, & profitetur; secus si significet, & profiteatur insufficienter & imperfectè, vt *suprà* dicebatur.

Hinc soluitur quæstio, an excommunicationem incurrat, qui verbi gratiâ, Lutheri hæresim animo occulte tenens, idcirco à Missæ sacrificio, vel sacra communione abstinet, aut coram sanctissimo Sacramento genu non flectit, aut caput non denudat, &c. nam ex Caietan. 2. 2. *quæst.* 11. *artic.* 4. Azorius *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 9. *quæst. vlt.* Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 8. *num.* 16. & Toletan. *lib.* 1. *cap.* 19. Respondetur, quod si attentis circumstantiis personæ, loci, temporis, &c. talis omissio censeri potest virtualis professio sectæ hæreticæ, excommunicatio incurritur: secus autem si circumstantiæ adsint, vt huiusmodi omissio obliuioni, aut alteri iustæ excusationi probabiliter adscribi possit: etiam si re ipsa ex hæretico animo proficiscatur. 3

Hinc soluitur etiam altera quæstio, an excommunicationem incurrat, qui tenens similiter, verbi gratiâ, hæresim Lutheri, die ab Ecclesia interdicto, carnem comedat; quippe existimans huiusmodi prohibitionem Ecclesiæ illegitimam, & Christianæ libertati repugnantem esse: nam respondetur, quod carnis comestio in die interdicto secundùm se indifferens est, & non protestatiua hæreticæ sectæ: attamen per circumstantias personæ, loci, temporis, &c. determinari potest ad hæreticæ sectæ professionem, siue in parua, siue in magna quantitate fiat, vt *suprà* dicebatur; etsi in magna quantitate faciliùs 4

res

res locum habebit; quod fortasse intelligunt Henriquez, Sanchez & Hurtad. de Mendoza, distinguentes de comestione carnis mortifera, & non mortifera, seu in magna, aut modica quantitate contra præceptum Ecclesiæ eam prohibentis.

SVBCOROLLARIVM X.

1 Vnde decimò absolui potest à Regularibus, quinimò à quolibet approbato Confessario, modo, quo suprà dicebatur, is etiam, qui quamuis certò consummauerit hæresim perfectè in interno, dubitat tamen an eamdem consummauerit perfectè etiam in externo, vel è contra; quamuis certò consummauerit perfectè in externo, dubitat an consummauerit perfectè etiam in interno, verbi gratiâ, si cùm certò protulerit Spiritum sanctum non procedere à Filio, dubitet an tunc in mente ita etiam senserit. Ratio huius Subcorollarij est eadem quæ *suprà* dicebatur.

2 Confirmatur, quia cùm reseruatio sit odiosa, peccata mortalia in reseruatione Prælati non censentur comprehensa, nisi certò fuerint opere perfectè consummata, sicuti docet Sylu. *verb. casus, quæst.* 5. Henriq. *lib.* 6. *capit.* 14. *num.* 5. Graff. *part.* 1. *decis. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 71. Finellius *cap.* 5. *cas. reseru. num.* 4. vbi afferunt exemplum de incestu impuberum, & eorum qui extra vas semen emiserunt: & ratio est, quia crimen non intelligitur, nisi demonstretur, *argum. l. in bello*, §. *facta*, *ff. de captiuis, & postliminio reuersis*, *& l.* 2. *de probat.* & non intelligitur nisi sit perfectè consummatum, iuxta *cap. hac autem, iunct. gloss. dist.* 1. *de pœnit.* attentatio enim, verbi gratiâ, homicidij non est propriè homicidium; neque conatus ad incestum, est propriè incestus. Cæterùm si ipsa quoque criminis attentatio expressis verbis reseruetur, certum est apud omnes, quòd reseruatio sit valida. Ratio, quia de peccatis etiam internis reseruatio fieri potest, vt *suprà* dicebatur, & docent Maior *in* 4. *distinct.* 17. *quæst.* 5. *prop.* 2. Graff. Henriquez, Finellius *in loco suprà cit.* Medina *lib.* 1. *cap.* 10. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 8. *n.* 4. & alij passim.

Confirmatur vndecimò, quia propter eamdem rationem iam dictam, quando dubitatur an peccatum sit reseruatum, & sic absolui posse etiam à Confessariis, qui non habent potestatem suprà casus reseruatos, sicuti habet communis opinio Doctorum contra Armill. *verb. casus, num.* 13. Frias *in tract. de modo audiend Confess.* 2 *part. cap.* 8. *casu* 2. & Cordub. *in regul. sancti Francisc. cap.* 7. *quæst.* 4. *punct.* 1. *casu* 5. & ratio huius communis opinionis est, quia cùm reseruatio, vt *suprà* dicebatur, odiosa sit, strictè interpretanda est: atque ita præter alios docent Henriquez *lib.* 6. *de sacrament. cap.* 26. *num.* 7. Suar. *in* 3. *partem tom.* 5. *disput.* 40. *sect.* 6. *num.* 5. *& tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *de voto, cap.* 5. *num.* 15. Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 10. *num.* 74 Sà *verb. casus reseruatus, num.* 5. Bonacin. *de sacrament. pœnit. quæst.* 7. *punct.* 5. § 4. Graff. *tom.* 1. *cons.* 2 *de pœnitent. & remiss. num.* 13. *& seq.* Zecch. *de casib. reseru. cas.* 13. Galest. *in margar. cas. cons. verb. casus reseruatus.* & alij passim. 3

Nec mihi probatur limitatio, quam adhibent Sanchez & Bonac. *in locis suprà cit.* scilicet nisi esset pro illius peccati commissi veritate præsumptio fori externi; quia tunc stante tali præsumptione possessio est pro certitudine peccati: pro eo enim est possessio, pro quo est fori externi præsumptio, & tali præ- 4

ſcriptioni ſtandum eſt in vtroque foro, donec de veritate in contrarium conſtiterit, v. g. (inquiunt ipſi) ſi quis protulit exteriùs hæreſim, dubitat autem modo, an tunc in mente ita etiam ſenſerit, cenſebitur hæreſis reſeruata, idque ex eo, quia (cum verba ſint naturaliter ſigna intentionis, & nemo præſumatur dicere, quod in corde non habet, nec aliter, quàm in eo habet, *leg. labeo, ff. de ſupell. legat.*) præſumptio, ac poſſeſſio in tali dubio eſt, quòd hæreſis exterius proceſſerit ex vero interiori conſenſu in ipſam hæreſim: tum quia in tali dubio homo iudicaretur hæreticus in foro externo, ergò idem dicendum in foro interno; conſequentiam probant, quia in vtroque foro idem iudicandum eſt, quando forum externum in falſa præſumptione non innititur, ſicuti ex communi docet Bald. *in auth. ingreſſi C. de ſacroſ. Eccleſ. n.* 49.

5 Non (inquam) talis limitatio mihi probatur, quia ex dictis non debet caſus cenſeri reſeruatus, niſi certò conſtet de reſeruatione; nec ſufficit, quod præſumatur reſeruatus; quia cum reſeruatio, (vt *ſuprà* dicebam) ſit odioſa ſtrictè interpretanda eſt; & ſic, quando Pontifex reſeruat ſibi hæreſim, intelligi debet de hæreſi certa non autem de hæreſi præſumpta. Confirmatur à ſimili: nam quamuis, quando quis eſt certus, ſe emiſiſſe votum caſtitatis pertuæ, aut Religionis approbatæ, dubitat autem, an habuerit tunc animum ſe obligandi, teneatur votum ſeruare; quia poſſeſſio, ac præſumptio ſtat pro voto, nihilominus tale votum non cenſetur Pontifici reſeruatum, vt concedit idemmet Sanchez *lib. 4. mor. cap. 40. num. 26.* & *cap. 44. num. 3.* idque non alia ratione, niſi quia, cum reſeruatio ſit odioſa, reſtringenda eſt ad caſus reſeruatos certos, ergò idem propter eandem rationem dicendum eſt in caſu noſtro: & hinc apparet reſponſio ad ſuper adductas rationes aduerſariorum.

Dices, ſi quis percutit clericum, dubium autem poſtea eſt, an percuſſio ſit grauis, & ſic reſeruata Pontifici; vel leuis, & ſic talis, à qua Epiſcopus abſoluere poſſit, iuxta *cap. peruenit de ſentent. excommun.* non poteſt in tali caſu Epiſcopus abſoluere (ſicuti habetur *in extrauag. Perlectis, nondum typis mandata*, quam ad verbum referunt Nauar. *cap 27. num. 91.* & Molin. *tract. 3. de iuſt. diſput. 57.*) ergo ſic, &c. in caſu noſtro. 6

Reſpondetur: tranſeat antecedens; at nego conſequentiam; & diſparitas eſt, quia *in dicta extrauag.* percuſſio clerici reſeruatur Pontifici expreſsè, non ſolum, quando eſt certum, ſed etiam quando eſt dubium, an fuerit grauis. Vnde potius retorquetur contra aduerſarios argumentum; nempè quod per reſeruationem caſus, non veniat reſeruatus caſus dubius, niſi exprimatur. 7

Inſtabis: etiam in decreto Clementis VIII. contra priuilegia Regularium reſeruantur caſus Bullæ Cœnæ, quamuis ſint dubij, ſiuè iuris, ſiue facti, ergò, &c. 8

Reſpondetur: diſtinguo Antecedens; in decreto priori, concedo, in decreto poſteriori moderatorio prioris, vbi dempta ſunt verba iſta; nego. Quare ſimiliter retorquetur contra Aduerſarios argumentum. 9

Aduertendum III.

Aduerte tertiò, quod Regulares tamen degentes in vna diœceſi poſſunt 1

possunt absoluere casum, & excommunicationem specialiter reseruatam à pœnitentis ordinario alterius diœcesis; dummodo non sit reseruata ab ordinario, in cuius diœcesi audiunt Confessiones. Ratio, quia quilibet potest absoluere iuxta leges fori locorum, in quibus versatur; alioquin enim tenerentur scire omnes casus reseruatos Episcoporum, quod esset onus intolerabile: atque ita docent Suarez *in 3: part. 4. disput.* 30 *sect.* 1. *num.* 1. Henriq. *lib. 6. cap.* 14. *num.* 8. *lit. R.* Reginaldus *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 5. *sect.* 3. *num.* 69. quamuis contrarium teneat Comitolus *in respons. moral. lib.* 1. *quæst.* 28. *num.* 2. & alij, quorum opinio est probabilis, quando pœnitens venit in fraudem. Dixi, quod sit probabilis in tali casu talis opinio, quia & probabilis est etiam opinio opposita nostra; cum dici possit, quòd & in prædicto casu pœnitens non veniat in fraudem, sed subtrahat se à lege, & vtatur iure suo, sicut & vtitur confessarius, qui eum absoluit, iuxta regul. 55. *ff. nullus videtur dolo facere, qui iure suo vtitur.* Vide Dianam *part.* 1. *Miscell.* 3. *resol.* Layman 56. *de legib. capit.* 11. *in fin.* Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disput.* 18. *num.* 29. *& lib.* 1. *moral. cap.* 12. *numer.* 35. Suarez *lib.* 2. *de fi. stu, cap.* 13. *num.* 6. vbi propterea docent, quod potest quis egredi ex oppido suo, & conferre se ad locum (vbi lex non obligat) vt soluatur à loci sui lege, v. g. de seruando festo, de ieiunando, de contrahendo matrimonio coram testibus, ac Prælato, & de similibus.

Aduertendum IV.

1 ADuerte quartò; quod Regulares possunt etiam absoluere à casibus Episcopo specialiter reseruatis eos, qui de proximo Religionem ingredi volunt, si fortè casibus illis fuerint irretiti; neque obstat Decretum sacr. Congregationis iussu Clementis VIII. editum, & eius declaratio ab eadem Congregatione edita anno 1602. 26. Nouembris, vbi Regularibus inhibetur absoluere vi priuilegiorum pœnitentes à casibus locorum ordinarijs specialiter reseruatis; quia tam Decretum prædictum, quàm prædicta declaratio loquuntur de iis Confessarijs, qui sæcularium Confessiones audiunt, sub quibus sæcularibus non comprehenduntur illi, qui Religionem de proximo sunt ingressuri, iuxta illud, quod dicitur *in lege Miles, Cod. de milit. testament. proximè accingendus habetur pro accincto:* atque ita fuit responsum Romæ ad mentem Clementis VIII. sicuti testatur Bartholomæus de Vecchis *in praxi nouit. disput.* 9. *dub.* 7. *num.* 5.

Aduertendum V.

1 ADuerte quintò, quòd si fortè quis ex Regularibus absoluat quempiam à casibus bullaribus reseruatis Papæ, vel à casibus specialiter reseruatis Episcopo, & sic incidat ex decreto prædicto Clementis VIII. in excommunicationem Papæ reseruatam (ad quam contrahendam ex dictis non sufficit ignorantia, etiam crassa, siue iuris, siue facti, illa sit; sed requiritur scientia; cum feratur contrà absoluere præsumentes) absolui poterit contrà Comitolum *lib.* 6. *quæst.* 9. (si specialiter ab Episcopo reseruata non fuerit) ab aliis Regularibus vigore suorum priuilegiorum. Ratio, quia excommunicatio hæc Clementis VIII. de qua loquimur, non includitur in casibus Bullæ Cœnæ,

Cœnæ, quin neque in quinque alijs casibus Papæ reseruatis, ergo &c. Consequentia probatur, quia exceptio firmat regulam in contrarium, nempè in casibus non exceptis. Vide Layman *lib. 1. tract. 5. part. 2. cap. 5.*

SVBSECTIO XXXII.

Proponuntur secundi Exempli positi Corollaria.

COROLLARIVM I.

1 HIs itaque prænotatis, possunt primò Regulares ex vi prædicti priuilegij (cùm latè, vtpote fauorabile; ex dictis interpretandum illud sit) tollere per absolutionem, non solùm censuras propriè dictas, quæ ob contumaciam inferuntur; sed etiam suspensiones, & interdicta iuris, quæ ob delictum merè præteritum imposita sunt, seu ad tempus, puta biennium, triennium, &c. seu in perpetuum, & sine spe remissionis, qualis est, v.g. suspensio, vel potiùs depositio à Pio V. lata in sodomiam exercentes; qui sicut & alij incidentes in quinque alios casus Papales, si occulti sunt, ab Episcopis absolui possunt, ex commissione ipsis facta in Tridentino *sess. 24. cap. 6. de reformat.* & à Confessariis Religionum ex virtute dicti priuilegij, modò quoad hoc vltimum, reuocatum illud non sit: qua de re videri poterit Rodriq. *tom. 1. qq. regul. quæst. 8. art. 10.* Sanchez *lib. 3. de matrim. disput. 26. num. 7. & lib. 8. disp. 31. num. 17. & in summa, lib. 2. cap. 39.* Henriq. *lib. 7. cap. 26. num. 3.* Suarez *de pœnit. quæst. 30. sect. 2. num. 14.* Peregr. *de duello, quæst. 37. & in compendio priuileg. verb. absolutio quoad sæculares, §. 1. in fin.* Sayrus *tom. 1. lib. 3. cap. 21. num. 21.* & Floron. *à fol. 14. vsque ad 28.*

COROLLARIVM II.

SEcundò possunt Regulares absoluere ita amplè (vt dicebatur *suprà*) independenter à iurisdictione Episcoporum: Episcopi enim tam amplam iurisdictionem audiendi confessiones omnium fidelium, vndecunque accedentium, eósque à censuris, etiam reseruatis, absoluendi, dare non possunt; sed eam Regulares accipiunt ex vi prædicti priuilegij à summo Pontifice, cum dependentia tamen ab approbatione Episcoporum, & cum dependentia à consensu, & voluntate Superiorum suorum tanquam à conditione sine qua non, qua de re vide *Clemen. dudum, §. statuimus, de sepult.* Palud. *in 4. d. 17. q. 4. art. 3. concl. 5* Rodriq. *tom. 1. regul. 99. quæst. 60. art. 3.* Henriq. *lib. 6. cap 6. num. 6. lit. V,* Mirand. *tom. 1. quæst 45. art. 12.* Llamas *part. 1. cap. 7. §. 4* Ioannem de Lugo *disp. 21. de pœnit. sect. 3. num. 53.* & Pasqualigum *decis. 444. & decis. 500.* 1

Corollarij secundi subcorollarium primum.

HInc sequitur primò; quòd Prælati Regularibus suis semel approbatis, & expositis iurisdictionem, ob causam etiam non notoriam, iterum auferre possunt, quamuis si Prælatus alicui Confessario suo interdicat, ne confessiones audiat, non ideo per hoc statim existimandus est, iurisdictionem auferre velle; sed prohibitione tali solùm efficere, vt illicitè non autem inualidè (ad hoc, vt damnum animarum euitetur exerceatur. Excipe, nisi vel contra 1

contrarium Prælatus exprimat, vel ex circunstantiis, aut causa propter quam prohibuit, aliud præsumi debeat; puta si ob inscitiam eum ab officio suspendit, aut deposuit, qua de re Henriq. *loc. cit.* Rodriq. *art.* 13. vbi tamen benè admonet, quòd si talis suspensio publicè notoria non sit, absolutiones, quæ à semel legitima auctoritate exposito conferuntur, validæ etiam censendæ sint, ex eo, quia error communis cum titulo colorato tribuit iurisdictionem, sicuti habetur *in l. Barbar. ff. de offic. Præt.* & passim docent DD. *in c. nihil de elect.* & ratio est vt euitentur (sicuti *suprà* dicebatur) incommoda, quæ alioquin in communitate sequerentur. Vnde propter eandem rationem docent Basilius Pontius *de matrim. lib.* 3. *cap.* 22. *num.* 46. Ioann. Sancius *in selectis, disp.* 44. *num.* 3. & Molfesius *in sum. tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 13 *num.* 21. quòd etiam error communis sine titulo colorato, tum in foro externo, tum etiam in foro conscientiæ iurisdictionem tribuat: & consequenter repetenda non sit confessio facta cum Confessario, qui cum falsa licentia Ordinarij (& sic intrusus) confessiones aliorum excepit; itémque à fortiori possit pœnitens, si sciat Confessarium iurisdictione priuatum esse (quod ipse Confessarius, & populus ignoret) petere, si sic ipsi expediat, ab illo absolutionem, quia validè propter rationem dictam (præsertim quia in isto vltimo casu adest titulus coloratus) illa conferetur.

2 Adde, quòd non solùm error communis; sed etiam probabilis opinio Doctorum iurisdictionem tribuit, etiamsi opinio illa fortè sit falsa: atque ita docet Henriquez *libro secundo de pœnitentia, capite decimoquarto, numero tertio & quarto.* & Sanchez *lib.* 3. *de matrimonio, disp.* 20. *num.* 65. vt si probabile sit, v. g. talem posse absoluere à reseruatis, vel à censuris, matrimonio assistere, excommunicare; Confessorem eligere, priuilegium non esse reuocatum, & similia, & ille ex hac opinione operetur, valida sunt acta, Ecclesia scilicet supplente defectum, si fortè defectus subsit: & ratio est, quia cùm licitum sit operari ex opinione probabili, si omnia illa essent irrita, grauia incommoda etiam in communitate sequerentur: vnde dicendum, quòd non peccabit Sacerdos simplex absoluens constitutum in periculo mortis, præsente Sacerdote approbato: neque Parochus excipiens in aliena Diœcesi confessiones, absque noua Episcopi approbatione; nec Sacerdos approbatus absoluens ex opinione probabili à reseruatis, &c. cum de his omnibus sit opinio probabilis, quin imò, vt ait Panormit. *in cap. nihil* 44. *de elect.* quem refert, & sequitur Rosella *verb. Confessor* 3. *in fin.* Syl. *verb. eod.* 1. *quæst.* 19 Sanchez *num.* 56. valent acta in vtroque foro, etiamsi populus dubitet, an superior sit officio priuatus: & ratio est, quia cùm antea fuerit habitus pro superiori, non debent subditi propter dubium superueniens, cùm in officio perseueret, eum reiicere: in dubio enim nemo est suo iure spoliandus, cùm in dubio melior sit conditio possidentis.

Ex dictis patet, quod etsi illi, qui habent titulum coloratum, & multo magis, qui illum non habent, peccent vsurpatione iudicij (quia quantum in ipsis est, vsurpant potestatem, quam non habent) tamen illorum sententia, si adsit error communis, non est irrita; quia (vt dicebatur) dum hoc attentant, Ecclesia propter bonum commune iurisdictionem extraordinariè in ipso actu 3

ſubminiſtrat. Hinc multi ſoluuntur caſus, quorum eſt

Caſus primus.

Quod valida ſunt acta Prælati qui accepit Prælaturam in excommunicatione, irregularitate, vel alio impedimento occulto (ratione cuius collatio ſit irrita, vel interuentu ſimoniæ realis completæ, aut confidentialis) ſi communi errore facti habeatur pro vero Prę̨lato v. g. valida eſt ſententia excommunicationis, & abſolutionis ab eo lata, & collatio beneficij, & delegatio iuriſdictionis, & ſimilia.

Caſus ſecundus.

Quod idem dicendum eſt de eo, cui collata eſt poteſtas delegata, præſertim ad vniuerſitatem cauſarum, vt rectè docet Palud. *in 4. d. 17. quæſt. 6. art. 2.* quales ſunt Commiſſarij, Vicarij, Foranei, Pœnitentiarij, &c. quia horum iuriſdictio non minus, quàm eorum, qui habent poteſtatem ordinariam, ſpectat ad communem vtilitatem, cùm plures cauſæ ad ipſos deferantur. An autem idem dicendum ſit de eo, qui eſt delegatus ad cauſam particularem, quidam negant, quia non agitur, inquiunt ipſi, de bono communi, at probabilius etiam affirmatur, quod tenet Paludan. *vbi ſuprà*, & alij Doctores qui eamdem doctrinam de delegato ad confeſſiones tradunt. Probatur, quia *in cap. famis* apertè agitur de delegato, & quidem, vt videtur, ad cauſam particularem, tum quia quamuis ſinguli tales non deputentur, niſi ad cauſas certas, nec de quorumlibet quæſtionibus cognoſcere poſſint, tamen quamplurimum intereſt Reipublicæ, vt horum etiam acta valeant, cum ſæpe, & variis caſibus deputentur. Non obſtat, quod dicitur *in l. fin. Cod. ſi non à compet. Iud. eſſe dic.* vbi ſic habetur, *& in priuatorum cauſis huiuſmodi forma ſeruetur, ne quemquam litigatorum ſententia, non à ſuo Iudice dicta, conſtringat:* Nam intelligitur, quando non eſt occultum, non eſſe verum Iudicem: quod generaliter in omnibus cauſis, etiam publicis, verum eſt.

Caſus tertius.

Quod idem dicendum eſt, etiam ſi ſuperior conferens officium, vel iuriſdictionem, ſciat impedimentum alterius, aut collationem eſſe inualidam, modò adſit communis error populi, vt *ſuprà* dicebatur: nec opus eſt vt ipſe poſſit impedimentum auferre, vt rectè docent Paludan. & Caietan. *in locis ſuprà cit.* & patet cùm Epiſcopus confert illegitimo, vel occulto homicidæ beneficium parochiale; requiritur tamen, vt ſupremus Princeps poſſit illud auferre, & perſonam capacem efficere: nam ſi ſit impedimentum iuris diuini, vel naturalis, ſuprà quod Princeps non poteſt, nihil fiet, vt ſi v. g. ſit fœmina, vel non ſit ſacerdos is, cui poteſtas abſoluendi commiſſa eſt; tunc enim communis error, etiam cum titulo colorato, nihil iuuabit. Ratio, quia poteſtas humana hunc defectum non poteſt ſupplere, nec vllo modo talibus hanc poteſtatem conferre.

Caſus quartus.

Quod idem dicendum eſt, etiamſi litigatores, vel quorum cauſa agitur, impedimentum nouerint. Ratio, quia hæc iuriſdictio conceſſa eſt generatim propter errorem communem; ergo priuata ſcientia illam non impedit. quapropter abſolutio

absolutio data à Parocho, quem nosti occultè simoniacum, vel ex alio capite iurisdictione priuatum, valet, vt passim Doctores fatentur, nisi fortè tu alterius copiam haberes, & extra necessitatem illum induxeris, & sic illi confitendo, pecces mortiferè; quia tunc absolutio, etsi non sit irrita defectu iurisdictionis, erit tamen irrita defectu tuæ dispositionis, quæ ad valorem sacramenti requiritur.

Casus quintus.

1 Quod idem dicendum est quando alicui iurisdictio occultè est sublata, & ille nihilominus pro superiore per communem errorem habetur, quod quatuor modis potest contingere. Primò, si ipso iure beneficium vacet. Secundò, si per sententiam ei sit abrogatum, vel si sit potestas delegati reuocata. Tertiò, si delegans sit mortuus. Quartò, si iurisdictio delegantis sit suspensa.

2 De primo modo ita docet expressè Paludanus *vbi suprà*, Panormitan. *in d. cap. nihil*, Nauar. *in cap. placuit*, *num.* 180. Aragon. *quæst. 60. art. 6.* Syluest. *verb. Confessor*, 1. *quæst.* 19. & passim Canonistæ: & ratio est, quia in tali casu adest error communis, quin & titulus etiam publici officij coloratus, vt quia ab Episcopo institutus: nec refert, quod titulus, & possessio iuris sint ei adempta, quia omnò occultum est; quin non ita sunt adempta, vt non maneant de iis aliquæ reliquiæ: retinet enim possessionem facti, vt Nauar. ait, omitto, quod hoc necessarium non sit vt ad mentem Molfesij, Pontij, & Sancij *in selectis quæstionibus suprà* dicebatur.

3 Non obstat *cap. dudum* 22. *de elect.* vbi insinuatur, absolutiones datas ab eo, qui simul plures parochiales Ecclesias retinebat absque dispensatione, fuisse irritas, cum obtenta secunda, vacet prior, iuxta dispositionem Concilij generalis, *cap. de multa, de præbendis*, non obstat (inquam) quia publicè notum erat, illos vacare, quod si id occultum fuisset, ratione erroris communis non fuissent irritæ, vt ibidem aduertit Panormitan. & alij; nec refert quòd id proueniat ex errore iuris, modò error iuris causet errorem facti; quia tunc militat eadem ratio, quæ *suprà* dicebatur.

De secundo modo, licet contra quosdam, ita docet Paludan. *in loc. suprà cit.* vbi id affirmat de eo cui commissio est occultè rèuocata, ita etiam docet Henriquez *lib. 3. de pœnitent. cap. 6.* vbi dicit, *valere absolutionem, si non scitur de reuocatione*, & *lib.* 2. *cap.* 4. vbi ait, *valere confessiones factas virtute Bullæ, vel facultatis, quæ nescitur esse reuocata.* ita etiam docet Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disput.* 20 *num.* 58. citans pro se Baldum, Iasonem, Corneum, Mascardum, Henriq. & Manuelem, qui Sanchez *in primo tomo summæ cap.* 60. *num.* 3. dicit, valere confessiones Religiosis semel approbatis factas, quamuis occultè facultate audiendi illas sint priuati. 4

De tertio modo ita etiam docet idem Sanchez citans pro se multos Doctores; & probatur, quia quamuis morte vel priuatione officij delegantis expiret potestas delegati, re adhuc integra, *l. more* 5. *ff. de iurisd. omn. Iud. cap. licet* 30. *cap. gratum* 20. *cap. relatum* 19. de officio delegati, tamen quamdiu hoc communiter ignoratur, est eadem ratio, quæ in supradictis dicebatur; ergo &c. non enim hic est magis priuatus, quam in primò, & secundo casu, & tamen *ibi* valent acta, ergo & hîc. 5

6 Confirmatur, quia potestas Vicarij generalis magis pendet à iurisdictione Episcopi, quàm potestas delegati à delegante: nam à Vicario ad Episcopum non datur appellatio, eo quod sit vnum tribunal, vna iurisdictio, & veluti vna persona, vt apertè colligitur *ex cap. 2. de consuetud. in 6.* vbi per Officialem Episcopi intelligitur Officialis (vt exponit *ibi* gloss. communiter recepta) quem vocamus Vicarium generalem;& à delegato ad delegantem datur appellatio, vt *ibidem* gloss. affirmat, eo quod diuersum tribunal habent, & diuersi Iudices reputantur; vnde mortuo Episcopo expirat potestas Vicarij, etiam causa integra, vt docent Ioan. Andreas, & Hostiens. *in cap. 1. de offic. Vicarij in 6.* & tamen valent acta Vicarij, & literæ dimissoriæ ab eo datæ, si communiter mors Episcopi ignoretur, sicuti præter alios docet Henriq. *lib. 3. de pœnit. cap. 13.* neque desinunt valere prædictæ litteræ, etiamsi postea re integra, sciatur mortem Episcopi præcessisse, vt docet idem Henriq. *de ordine cap. 22.* & Sanchez *in loc. suprà cit.* Ergo &c.

7 De quarto modo idem dicitur, nam si suspensio primaria, quæ est in ipso delegante, non inualidat acta ipsius, dum communiter ignoratur, multò minus inualidabit acta delegati, qui solum secundatio suspensus est (si similiter res communiter ignoretur) ergo &c.

Casus sextus

1 Quod idem dicendum est, non solum in foro contentioso, sed etiam in foro Sacramentali; atque ita docent Palud. Caiet. Nauar. Pontius, Sanchez *in locis. suprà cit.* & alij passim, & ratio est, quia bonum commune hic etiam ita postulat; & Ecclesia defectum iurisdictionis non minus hic, quam in foro externo supplere potest, & vult, concurrente errore communi, ergo &c.

Neque obstat, quod expressum ius hac de re non habeatur; quia quod iura disposuerunt in vno casu, id meritò intelligendum est in alijs, si par, vel maior ratio adsit, vt est in casu nostro. Confirmatur, quia supposita potestate Ordinis, in omnibus vtriusque fori, est omnimoda paritas; nec plus requirit hoc forum, quàm illud: sufficit enim in vtroque eadem iurisdictio quare proposita potestate Ordinis, quicumque potest absoluere, & ligare in foro externo, potest etiam in interno, vt rectè præter alios notauit Paludan. *in loco suprà cit.* 2

Casus septimus.

Quod idem dicendum in iis, quæ geruntur ex officio publico; quamuis non sint actus iurisdictionis, vt in instrumento tabellionis, in electione, & præsentatione ad beneficia, & officia, in actu Parochi assistentis contractui matrimonij, &c. hic enim non est actus iurisdictionis, sed exhibitionis tantum præsentiæ sui, tanquam testis iure requisiti. Vnde alij soluuntur casus, quare sit 1

Casus octauus.

Quod validum est matrimonium, etsi Parochus matrimonio assistens, sit administratione interdictus (siue in genere, ob imperitiam, ne ministret sacramenta, siue in specie, ne assistat matrimonio) vel sit suspensus. vel excommunicatus, etiam non toleratus, vel per sententiam officio priuatus, modò non sit actualiter depositus, sed titulum 2

tulum, ac possessionem beneficij retineat; atque ita contra Auilam docet Ledesma *quaest.* 45. *de matrim. art.* 5. *punct.* 3. *dub.* 3 Henriq. *lib.* 11. *cap.* 3. *num.* 4. *&* 5. Rodriq. *tom.* 1. *cap.* 219. *concl.* 10. Sanchez *de matrim. lib.* 3. *disput.* 21. *num.* 4. Coninch. *disput.* 27. *dub.* 7. *conclus.* 7. & Pontius *de matrim. lib.* 5. *cap.* 17. *num.* 13. (vbi idem docet de Vicario ad nutum amouibili; adducitque pro hac sententia Cardinalium declarationes) & ratio est, quia assistere matrimonio: vti *suprà* dicebatur) non est actus iurisdictionis; vel administrationis (cum etiam ab inuito, seu coacto validè præstari possit) sed est tantùm actus testimonij, ex iuris dispositione ad matrimonij substantiam requisitus.

3 Confirmatur, quia verba correctoria Concilij Tridentin. strictè interpretanda sunt, retenta verborum proprietate, *qui aliter, quàm præsente Parocho*, &c. ergò quamdiu verus Parochus manet, assistere, & matrimonio authoritatem præbere, saltem validè, poterit.

4 Contrà verò validum non est matrimonium, si Parochus excommunicatus, aut alio modo censuratus non toleratus, alteri Sacerdoti, etiam non censurato assistendi licentiam concedere intentet, sicuti docent Ledesma *cit. dub.* 4. & Coninch. *conclus.* 8. contra Henriq. *lib.* 11. *cap.* 3. *num.* 5. *in comment. lit. Q.* & Sanchez *cit. disput.* 21. *num.* 7. & ratio est, quia dare alteri licentiam, qua is, alioquin non qualificatus, reddatur idoneus ad legitimum valorem actus, non est substitutio testis, vt aduersarij contendunt, sed est exercitium iurisdictionis, (sicuti notauit Nauar. *consil.* 14. *de clandest. desponsat. num.* 6. *ad tertium*) quod exercitium censuratus non toleratus exercere non potest, sicut nec dare licentiam audiendi confessiones, vel ministrandi sacramenta, & similia; validum tamen ex dictis matrimonium est, si ipse Parochus non sit excommunicatus, vel alia censura detentus, & substituat, vt assistat; alium sacerdotem excommunicatum, aut alia censura innodatum, etiam non toleratum: nam, vt dicebatur, id effici potest, saltem validè, quin addo, & licitè, in casu scilicet necessitatis, vt si v.g. tempore pestis ipse Parochus non possit assistere, nec substituere alium sacerdotem, quàm notorium clerici percussorem, aut censuratum alium toleratum, sicuti præter alios rectè notauit Chapeauille *cap.* 6. *quaest.* 3.

Casus nonus.

Quod item validum est matrimonium, etsi Parochus, dummodo sit proprius, vel vtriusque, vel saltem alterius sponsorum, (qua de re videri potest Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disput.* 19. *&* 25. *num* 14. vbi docet, si vnus sponsorum vagus sit, posse eius matrimonio quemcumque Parochum assistere; quia vagorum quicumque Parochus censetur esse proprius in loco, vbi illi pro tunc temporis versantur, quod verum est, si loquamur de matrimonij valore: nam licitè non potest Parochus vagorum matrimonijs assistere, nisi potius ab Ordinario licentiam obtinuerit, ob Trident. constitutionem *sess.* 14. *cap.* 6. vbi Parochis præcipit, ne vagorum matrimonijs intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata ab eo licentiam id faciendi obtinuerint) in Parochia aliena assistat matrimonio;

atque ita docent Hentiq. *lib.* 11. *cap.* 3. *num.* 2 Rodriq. *tom.* 1. *cap.* 219. *conclus.* 5. Sanchez *cit. disp.* 19. *num.* 11. contra Nauarrum *cap.* 25. *in fin.* & *lib.* 4. *consil.* 4. & 14. *de clandest. desponsat. edit.* 2. idque ob eandem rationem, quæ *supra* dicebatur: quia scilicet assistere matrimonio est tantum actus exhibitionis præsentiæ sui, tanquam testis iure requisiti.

2 Confirmatur, quia lex correctoria debet esse strictæ interpretationis; sed Tridentini constitutio correctoria est iuris antiqui; ergo non est extendenda, sed potius strictè interpretanda, salua verborum proprietate, quæ hîc seruatur, quandoquidem Concilium requirit tãtùm proprij Parochi præsentiam, quæ etiam extra Parochiam benè consistit, cùm non agatur de exercenda iurisdictione, vt *supra* dicebatur; vel si agatur, non agitur de exercenda iurisdictione contentiosa, sed ad summum voluntaria, quæ etiam in alieno territorio potest exerceri: ergo &c peccat tamen Parochus, si in aliena Parochia sponsis suis solemniter, ac publicè assistat, vt communiter Doctores *in materia de matrimonio.*

Casus decimus.

1 Quod item validum, quin & licitum, est matrimonium, etsi Parochus assistens non sit Sacerdos: quamuis ex decreto Tridentini alteri, quàm Sacerdoti, assistendi licentiam dare non possit: atque ita docet Nauar. *lib.* 4. *consil.* 6. & *quest. de clandest. desponsat. edit.* 2. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 3. *num.* 5. Ledesma *quest.* 45. *de matrim. artic.* 5. *punct.* 3. Sanchez *lib.* 3. *disp.* 20. *num.* 3. & 10. & Pontius *de matrim. lib.* 5. *cap.* 17. vbi refert pro hac sententia quandam Cardinalium declarationem, & probatur ex ratione, quæ *suprà* dicebatur: quia scilicet assistere matrimonio est tantùm actus exhibitionis præsentiæ sui, tanquam testis iure requisiti; ergo &c.

Confirmatur ex verbis Concilij: *qui aliter quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi licentia,* &c. & sensus est, quod matrimonium contrahi debeat coram Parocho, vel alio quodam licentiam à Parocho, vel Ordinario habente, dúmodo is Sacerdos sit. 2

Vbi aduerte, quòd tamen si particula *alius* eiusdem qualitatis personam referre soleat: quia est repetitiua similium, id tamen non semper verum est; vt cùm dicitur *crucifixi sunt cum eo alij duo latrones*: Concilium autem ita locutum est, quia communiter Parochi solent esse Sacerdotes: vnde *in cap. omnis, de pœnit. & remissione*, requiritur licentia Sacerdotis proprij, vt quis alteri Sacerdoti confiteri possit, & tamen ibi Doctores communiter docent talem licentiam à quocunque Parocho, vel proprio Pastore, etsi Sacerdos non sit, concedi posse, sicuti etiam notauit Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quest.* 4. *art.* 3. Sanchez *cit. disp.* 20. *num.* 3. & in simili docuit Suar. *p.* 3. *tom.* 3. *disp.* 72. *sect.* 2. *col.* 3. 3

Casus vndecimus.

Quòd Parochus non sit irregularis, etsi excommunicatus assistat matrimonio; quia assistens is matrimonio (vt *suprà* dicebatur) exercet tantùm actum exhibitionis præsentiæ sui, tanquam testis iure requisiti, non autem actum iurisdictionis, vel actum ordinis, quem solùm exercendo fieret irregularis; an autem irregularis fiat, si sponsos benedicar, commodiùs dicetur *alibi*; videtur tamen in tali casu peccare mortaliter, quia 1

quia communicat in sacris: atque ita docet Pontius *lib. 5. cap. 17. num. 12.* quamuis oppositum etiam dici possit cum Sanchez *de matrim. disput. 21.* ex eo, quia communicat in re necessaria, præsertim in casu, quòd vrgeat matrimonium, vt in articulo mortis, ob salutem morientis, vel ob bonum prolis, &c. quando etiam sine peccato absoluere potest, quamuis censuratus, & non toleratus: quia in tali casu Ecclesia suspendit censuram, cùm positiua lex non obliget cum tanto rigore: imò & non contritus, si ita arctetur angustiis temporis, vt non possit attendere ad habendam contritionem de peccatis. Vide Vasq. *tom. 3. disp. 207. de Eucharistia, cap. 1. num. 3. & 4.* & Ioannem de Lugo *vbi infrà disp. 9. sect. 2. in fin.* Vnde nec peccabit Parochus, si etiam assistat metu mortis inductus, & multò minus peccabit, si assistat censuratus toleratus non se ingerens, sed requisitus: nam cùm nulla (sicut rectè tradunt Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 4. concl. 1.* Sanchez *de matrim. lib. 7. disp. 9. num. 18.* Ioann. Præpositus *in 3. part. quæst. 7. de impedimentis matrimonij, dub. 24.* & Ioann. de Lugo *de sacrament. disp. 8. sect. 14. num. 225.*) culpa sit, petere, etiam Sacramentorum administrationem ab huiusmodi excommunicatis toleratis: ex eo, quòd Concilium Constantiense fidelibus absolutè concesserit facultatem communicandi cum talibus, tam in sacris, quàm in politicis rebus. Consequens est neque ipsos excommunicatos, præcisè ob censuram, peccare, si rogati Sacramenta etiam ministrent, modò non se ingerant, vt *suprà* dicebamus: nam quamuis ipsis excommunicatis toleratis in dicta extrauagante nulla gratia directè facta sit, ideóque ipsi peccent, spectato iure communi, si fidelium communioni, seu in sacris, seu in politicis negotiis, extra casus concessos, se ingerant, indirectè tamen; & per accidens etiam ipsi excommunicati tolerati (idémque dico de suspensis, interdictis, &c. si ab Ecclesia tolerentur) ex Constantiensi illo decreto commodum reparant. Primò enim, ne gratia, seu licentia aliis fidelibus facta cum excommunicato tolerato communicandi inutilis, aut noxia sit, necesse est dicere, etiam ipsi excommunicato ad communicationem legitimè inducto, permissum esse communicare, quin imò addo, interdum obligari, vt si v.g. Parochiani à Parocho administrationem Sacramenti, vel subditi à Iudice excommunicato administrationem iustitiæ exigant, modò per illos non stet, quominus (si id fieri potest) ab excommunicatione, vel alia censura, ante præstitum officium absoluantur. Secundò cùm ius concedat subditis, vt à iudice excommunicato, vel suspenso, &c. tolerato iustitiam, & à Pastore ordinario absolutionem, &c. petere possint, ne frustratoria sit hæc concessio, seu indulgentia, dicendum est, huiusmodi toleratis exercitium iurisdictionis suæ nequaquam ademptum esse, sicuti notauit Couar. *in cap. alma, part. 1. §. 7. num. 9.* Suarez *de cens. disp. 11. sect. 4 num. 9.* Auila *part. 2. cap. 6. disp. 3. dub. 2. concl. 3.* & Nauar. *lib. 5 consil. 15. de hæret. quæst. 2.* vbi rectè resoluit licitum esse à Parochis in hæresim, aut schisma notoriè lapsis, antequam denunciati sint, Sacramenta omnia suscipere, quod non rectè refutat Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 11. quæst. 7.* ex S. Thom. *2. 2. quæst. 39. art. 3.* vbi ait, eiusmodi hæreticos iurisdictione priuatos esse: nam id procedit, spectato iure veteri, non autem spectato iure nouo: ergo &c.

Appendix

Appendix ad ea quæ suprà dicebantur.

1 PORRÒ quod dixi de Parocho, si excommunicatus, suspensus, vel interdictus, siue toleratus, siue non toleratus sit, idem dico de omni alio, qui instar Parochi matrimonio assistere potest; cùm certum sit, præter Parochum, etiam proprium Episcopum, vel alium Episcopali iurisdictione præditum, eiusque in spiritualibus Vicarium generalem, item Legatum Sedis Apostolicæ in prouincia ad quam destinatus est, ac denique in omnium fidelium matrimoniis Summum Pontificem assistere, vel assistendi licentiam dare posse; si quidem nomine ordinarij Pastoris veniunt hi omnes, quibus addo Capitulum Sede vacante, cùm succedat illud in iurisdictionem Episcopi, sicuti colligitur ex *cap. cùm olim, de maior. & obed.*

2 Idem etiam dico de testibus, si similiter censurati, etiam non tolerati sint; sicut & Parochus; quorum præsentia tamen, sicut & Parochi, debet esse moralis; vt scilicet intelligant quod agitur; ideoque testificari possint, matrimonium consensu vtriusque initum esse, *argum. l. 209. ff. de verbor. signific.* vbi habetur: *coram Titio aliquid facere iussus, non videtur præsente eo fecisse, nisi is intelligat; itaque si furiosus, aut infans sit, vel dormiens, non videtur coram eo fecisse*; idémque dicendum de illo, qui præsens corpore est, sed animo nihil omnino aduertit, sicuti docet Sanchez *de matrimon. lib. 3. disp. 39. num. 5.*

3 Non tamen requiritur, Parochum, aliosque testes ad id vocatos, seu rogatos, esse; sed sufficit, si casu matrimonio interueniant, *argum. l. 11. ff. de testibus*, vbi habetur: *ad fidem rei gestæ faciendam, etiam non rogatus testis intelligitur.* & *argum. cit. l. 209.* vbi dicitur: *scire autem testis, non etiam velle debet, num & inuito eo rectè fit, quod iussum est*; atque ita ex communi docet Nauarr. *consil. 11. de clandest. desponsat. edit. 2.* esset tamen peccatum mortale, Parochum, quippe qui personam Ecclesiæ repræsentat, vi, aut dolo inducere, vt matrimonio assistat; excepto casu necessitatis, si is sine iusta causa renuat, & ad Superiorem recursus non adsit: nam tunc astutia aliqua, sine mendacio, eum adduci liceret, sicuti rectè notauit Coninch *disp. 27. dub. 4. in fin.*

Non requiritur secundò, testes habere 4
eas qualitates, quæ in causis tam ciuilibus, quàm criminalibus iure ordinario necessariæ sunt, verbi gratiâ, non requiritur quod non sint impuberes, fœminæ, infames, infideles, parentes, liberi, serui, &c. sicuti non requiritur quod non sint excommunicati, vel alia censura detenti, siue tolerati, siue non tolerati, vt *suprà* dicebatur; atque ita docet Henriquez *cit. cap. 3. num. 9.* Rodriq. *cit. cap. 219. conclus. 18.* Petrus Ledesma *cit. quæst. 45. art. 5. p. 3.* Veracrux *in append. speculi, dub. 7.* Sanchez *de matrimon. lib. 3. disput. 41. num. 5.* & Coninch *disput. 27. dub. 4. conclus. 2.* & ratio est, quia Tridentini constitutio cùm sit iuris veteris correctoria, non debet extendi, præsertim cùm procedat contra valorem matrimonij, cuius causa fauorabilis est. *cap. vlt. de sentent. & re iudicata.* Confirmatur, quia propter eamdem rationem in fidei fauorem huiusmodi testes admitti consuerunt, *cap. in fidei, de hæret. in 6.*

Adde primò, quòd testes alioquin in- 5
habiles, seu exceptione remouibiles, validè adhibentur, vt instrumentarij ad rei

rei gestæ probationem, ex partium consensu, sicuti docet gloss. *in Authentic. de testib. §. neque igitur, verb. & supplicijs*, Sanchez *in loc. cit.* & Coninch *numero* 4. quin etiam validè adhibentur ad actus iudiciales, si à Iudice, vel parte aduersa non repellantur, sicuti colligitur *ex cap* 1. *de except. in 6.*

6 Adde secundò, quòd authoritas Episcopi aliorum testium defectum supplet, argum. *cap. cum esses, de testam.* præsertim si Parochus testium nomina, ac locum contracti matrimonij in libro describit, sicuti iubetur in Tridentini decreto *de reformat. matrimon. cap.* 1. *sect.* 24. quare propter has easdem rationes dicendum est, quod si de matrimonij valore posteà in iudicio lis oriatur, ordinariè sufficiant etiam huiusmodi testes ad fidem rei gestæ faciendam, sicuti docuit Sanchez *cit. disput.* 41. *num.* 6. licèt aliter sentire videatur Couarr. *in epitom. part.* 2. *cap.* 8. §. 12. *num.* 17.

7 Adde tertiò, quod etiamsi contrahentes principales excommunicati, vel alia censura censurati sint, etiam non tolerati, adhuc matrimonium validum est, etsi non licitum: atque ita docet Pontius *lib.* 5. *cap.* 17. & ratio est, quia excommunicatio non est vnum ex impedimentis ab Ecclesia statutum in contrahentibus, sicut nec in Parocho, & testibus, vt *suprà* dicebatur; idque in fauorem matrimonij, cuius causa fauorabilis est, *cit. cap. vlt. de sentent. & re iudicata.*

8 Atque hinc patet responsio ad ea, quæ Auila, aliique aduersarij adducunt in contrarium à pari, quod scilicet actus, quos exercet excommunicatus non toleratus, ratione publici officij, sint nulli: itemque nulli sint contractus, in quibus de substantia requiritur præsentia notarij, si hic similiter excommunicatus, non toleratus, sit, ergò sic à pari in casu nostro: nam facilè respondetur ex dictis, disparitatem esse: quia non extat hic, sicuti *ib*, ius irritans matrimonium, si contrahentes, Parochus, vel cæteri testes excommunicati, vel alia censura censurati, non tolerati sint. Adde, quod doctrina de notario excommunicato non tolerato, non est vera in foro interno, sed solum in externo: quare cum matrimonium, non obstante excommunicatione notarij, subsistat in foro interno, consequens est, vt sit sacramentum in foro interno: & sic non mirum, si prout tale agnoscatur etiam in foro externo.

Porro, an sacerdos Catholicus assistere possit matrimonijs Hæreticorum, quos in sua Parochia habet: qui casus in Germania frequens est. Respondetur affirmatiuè, (præsertim si excuset necessitas, vt *suprà* dicebatur) ratio, quia non prohibetur id propter vitandam communicationem: nam Hæretici post Concilium Constantiense, nec in sacris, nec in politicis negotijs vitandi sunt, nisi denuncientur, vel sint publici Clericorum percussores: neque propter reuerentiam sacramenti, quod Hæretici indignè suscipiunt: quia Parochus, vel sacerdos assistens matrimonio, non est matrimonij minister, sed tantum testis: vt *suprà* dicebamus. Vnde, si in statu peccati assistat matrimonio, non peccat: sicut nec quando Eucharistiam ministrat, quia non fuit sacramentum, sed applicat iam factum: vt ex Vasq. docet Ioan. de Lugo *vbi infrà sect.* 9. *num.* 155. Adde, quod non rarò contingit, vt sacerdos assistat matrimonio aliquorum, qui notorij peccatores sunt; quando non patiuntur si- 9

bi persuaderi, vt ad sacramentum dignè suscipiendum se disponant. Vide Ioan. Præpositum *in 3. part. quæst. 7. de impedimentis Matrimonij dub. 24.* & Ioannem *de Lugo de sacramentis disp. 8. sect. 13. & 14.*

COROLLARII II.

SVBOROLLARIVM II.

1 SEquitur secundũ, quod si Regularis sacerdos ab Ordinario approbatus sit ad audiendas Confessiones in sua diœcesi, inscio, vel inuito Prælato Ordinis sui; quamuis non possit licitè (quia in omnibus à Prælati sui voluntate, & imperio dependere debet) validè tamen ea potestate absoluendi pœnitentes, quam ipsi Episcopus, aliúsve Ordinarius delegat, vti possit. Ratio, quia in tali casu adsunt omnia ad Ministrum huius sacramenti requisita; videlicet Ordo sacerdotalis, approbatio Episcopi, & iurisdictio Episcopi delegata, ergò, &c.

Excipe, nisi in Religionibus recepta sit constitutio Iulij III. facta ad instantiam Generalis Ordinis Prædicatorum, per quam eiusmodi absolutiones irritæ declarantur apud Mirandam *loco citato.*

Vbi tamen aduerte quod (etiam in casu, quod prædicta Iulij III. constitutio recepta non sit, sicuti re vera recepta vt plurimum apud Religiones, in beneficium pœnitentium, non est) non potest prædictus Regularis Sacerdos, non solùm licitè, sed nec etiam validè absoluere ab aliis casibus, à quibus virtute prædicti priuilegij Regularibus à Pontifice concessi, absoluere posset, si cum consensu sui Superioris confessiones audiret. Ratio, quia Pontifex prædictum priuilegium absoluendi in forma tam ampla non concedit Regularibus, nisi dependenter à consensu suorum Superiorum, vt *suprà* dicebatur. Ergo, &c.

COROLLARIVM III.

Tertiò, possunt Regulares ex vi prædicti priuilegij absoluere ab alia omni excommunicatione, aliáque censura dummodo ab Episcopis specialiter reseruata, vel particulatim inflicta non sit, quamuis Sedi Apostolicæ reseruata; atque ita docet præter alios Eman. Rodriquez *tom. 1. regul. 99. quæst. 20. art. 4.* additque *art.* 8. eiusmodi priuilegium absoluendi ab omni censura, etiam Sedi Apostolicæ reseruata, extendi ad censuras, quæ futuro tempore à Pontifice sibi reseruabuntur, iuxta doctrinam gloss. *in cap. quia circa, de priuil.* & ratio est, quia priuilegium indefinitè concessum, si alteri non est onerosum, sed est merum beneficium Principis, amplè accipiendum, & ad futura etiam extendendum sit.

COROLLARIVM. IV.

Quartò, possunt Regulares absoluere à censuris, etiam extra sacramentum Pœnitentiæ, id est, possunt absoluere etiam eos qui ipsis sacramentaliter non confitentur, non obstante quod in prædicto priuilegio dicatur, *confessionibus auditis*, atque ita contra Nauarr. *in summa, cap. 26. num. 31.* & Suar. *tom. 5. disput. 7. sect. 5. num. 36.* docent Henriquez *lib. 7. cap. 13. num. 2. & cap. 30. num. 6.* Rodriquez *quæst. 61. artic. 7.* Auila *part. 2. de censur. cap. 7. dub. 13.* 1

Diana

Diana *part. 3. tract. 2. resolut. 9. & 20. & tract 4. resolut. 63.* Coninch *de sacrament. disput. 14. dub. 16. num. 253.* & etiam idem Nauarr. *lib 5 consil. 11. numero 2. de priuileg. edit. 2* & Suar. *de legib. lib. 8. cap. 6. num. 15. & 16.* Probatur, quia etsi priuilegium loquatur tantum de foro pœnitentiali, non tamen propterea necessariò restringendum est forum sacramenti; cùm vinculum censuræ in foro conscientiæ tolli possit iniuncta pœnitentia salutari, sine absolutione sacramentali; & ratio horum est, quia priuilegium, siue gratia à Principe data, interpretanda est secundùm naturam rei, quæ conceditur, sed absolutio ab excommunicatione, vel alia censura non dependet à peccatis: potest enim aliquis absolui à censura in foro conscientiæ, ita vt interim non absoluatur à peccatis, quomodo certum est, ait Auila, Henriquez *cit. num 2. in comment. lit. O.* & etiam Suar. *in cit. disput. 7. sect. 4. num. 19.* Parochos ab excommunicatione non reseruata absoluere posse; ergo idem præstare poterunt delegati, nisi ipsis potestas limitetur, qualis limitatio in casu nostro non apparet; quia verba priuilegij intelligi debent accommodatè, nempe vt singula singulis respondeant, secundum naturam rei subiectæ; ideoque absolutio à peccatis requirat antecedentem peccatorum confessionem, non item absolutio à censuris; si quidem ab iis tantum absoluere ordinariè non solemus nisi audita priùs confessione. Ergo, &c.

2 Confirmatur, quia sæpè fieri solet, quòd Confessarij etiam delegati separēt absolutionem à censura, & absolutionem à peccatis; vt si, verbi gratiâ, Prælatus quempiam à censura absolutum, ad alterum Confessarium pro confessione facienda mittat; vel idem Confessarius quempiam hodie à censura, post aliquos verò dies eumdem magis dispositum, à peccatis absoluat. Ergo, &c.

Confirmatur secundò, quia quamuis priuilegia iuri communi derogantia, odia iuris dicantur, & sic restringenda sint, tamen id locum non habet, quando priuilegium (vt est in casu nostro) in fauorem publicum concessum est; tunc enim non odium, sed fauor, & Principis beneficium censetur, ideóque latè (quantum eius verba patiuntur) interpretandum est, sicuti rectè docet gloss. & Abbas *in cap. fin. num. 1. de simon.* quod multò magis procedit, quando huiusmodi facultas non particulari alicui, sed toti Ordini (vt etiam est in casu nostro) concessa est: tunc enim multò magis est fauorabilis, & sic multò magis extendenda, sicuti rectè præter alios docet Tamburin. *de iur. Abbat. tom. 2. disput. 19. quæst. 2. num. 2.* qui citat Lessium, & Sanchez néque obstat, quod in priuilegio dicatur, *confessionibus auditis*, quia cum (sicuti *suprà* dicebam) adeò distent inter se absoluere à peccatis, & absoluere à censuris (idémque dico de commutare, seu dispensare vota, irregularitates, iuramenta, petitiones debiti, &c.) vt hoc non indigeat confessione, non est censendus Pontifex velle totum priuilegium coarctare per illum ablatiuum absolutum, *confessionibus auditis*; sed singula singulis referenda sunt; ita vt verba illa referantur ad absolutionem à peccatis, quæ immediatè sequitur, vt *suprà* dicebatur; siquidem quamuis regula sit, vt clausula posita in vna parte propositionis (siue in principio, siue in medio, siue in fine illa ponatur) putetur referri ad omnia membra dictæ propositionis *ex cap. secundò requiris, de appell.* id tamen intelligitur, quando omnium est

eadem ratio, quæ non est in casu nostro, vt patet ex dictis: & hæc omnia confirmantur magis ex eo, quia antequam in literis S. Pœnitentiariæ poneretur illa clausula, *audita confessione, nec aliter, nec alio modo*, satis probabiliter (vt notat Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 10. *num.* 353.) asserebant nonnulli dispensationes emanatas ex dicta S. Pœnitentiaria potuisse fieri extra confessionem; & ita docebat præter alios Salas *de legibus, disp.* 20. *sect.* 10. *num.* 98. Sanchez *de matrim. lib.* 8. *disp.* 34. *num.* 29. & Paulus *tom.* 1. *tract.* 10. *disp.* 6. *punct.* 15. §. 1. *num.* 6. quod hodie impeditum est à S. Pœnitentiaria, quia dictæ literæ ipsius S. Pœnitentiariæ emanant in fauorem particularium personarum, & ideo non mirum, si summus Pontifex tales gratias velit coarctare, & cum illo onere, & conditione concedere, quod non est in casu nostro, sed potiùs oppositum: sicuti rectè docebat Tamburin. *in loco supra cit.*

4 Porrò, quod dixi de censuris, idem multò magis intelligas de dispositionibus super irregularitate, voto, iuramento, petitione debiti, &c. quarum facultates, etiam delegatæ, faciùs extra Sacramentum pœnitentiæ exerceri poterunt, quia à Sacramentali absolutione nullo modo dependent, qua de re vide præter Doctores *suprà* citatos Sotum *de iust. lib.* 7. *q.* 4. *art.* 3. Sanchez *lib.* 4. *mor. cap.* 54 *num.* 16. Villalob *tom.* 2. *tract.* 34. *diffic.* 29. *num.* 7 Tamburin. *de iure Abbatum, tom.* 2. *disp.* 19. *quæst.* 2. *num.* 5. Sancium *in selectis, disp.* 14. *num.* 2 Bariolam *in aphorism. lit. V, verb. votum*, dixi tamen multò magis idem de dispensationibus intelligas: nam Confessarij Religionum sine scrupulo possunt, ac solent dispensare in votis, iuramentis, debiti petitione, irregularitate (vt ex violatione censuræ) &c. sine ordine ad sacramentalem confessionem: at non facilè solent absoluere à censuris, nisi vel audita confessione, vel saltem cum ordine ad confessionem faciendam. Ratio, quia id tutius, & vsitatius est: ergo &c.

Aduerte tamen hic, quod dicto priuilegio Regularibus concesso absoluendi omnes fideles modo, quo *suprà* dicebatur, &c. non comprehenduntur Religiosi, quibus secundum propria statuta, extra suum ordinem, aut alteri, quàm ei, quem Prælatus ad hoc munus destinauit, confiteri permissum non est; atque ita ex communi tradit Rodriq. *tom.* 1. *quæst.* 62. *art.* 4 & probatur, quia per priuilegium generale non censetur derogari consuetudini, vel statuto particulari, nisi exprimatur, tum quia alioquin obseruantia regularis in collapsum iret, & multa scandala sequerentur, ergò, &c. 5

Aduerte secundò, quod de Religiosis iter facientibus; an scilicet alieno Sacerdoti possint confiteri, & an cuicumque exposito regulari, vel sæculari, an verò alicui ex suo Ordine, eique, qui in monasterio, vel Collegio (vbi hospitantur) pro confessionibus Regularium expositus est, confiteri debeant, id ex consuetudine cuiuscumque ordinis, vel ex Prælatorum voluntate iudicandum est; qua de re videatur Rodriq. *quæst.* 61. *art.* 5. & Llamas *part.* 1. *meth. cap.* 5. §. 14. illud verò in omnibus Ordinibus receptum esse videtur; quod si plures eiusdem Ordinis Religiosi iter faciant, vnus alteri (qui confessiones audire solet, vel saltem Sacerdos est) confiteri possit, item, quod si Religiosi, præsertim Sacerdotes, iter faciant, aut extrà Monasterium aliquamdiu 6

quamdiu morentur in loco, vbi copiam non habent Confessarij ordinis sui, ex præsumpta licentia Prælati confiteri possint alteri Sacerdoti Regulari, aut sæculari (etiam non approbato,) propter ipsorum priuilegium, vt ex communi docet Nauarr. *cap.* 4. *num.* 7. Sà *verb. confessor*, *numer.* 6. Rodriq. *cit. quæst.* 62. *art.* 4. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* saltem ea peccata, quæ in Ordine illo reseruata non sunt; atque ita docet Rodriq. *in loc. suprà cit. articu.* 5. dixi, *saltem non reseruata*, quia de reseruatis est hinc, & inde opinio, in praxi vtraque mihi probabilis, qua de re vide Doctores, quos pro vtraque opinione refert Diana *in loc. suprà cit. resol.* 119.

Corollarivm V.

1 A Censura autem iuris, vel sententiæ generalis, quam Author sibi reseruauit; item ab ea, quæ in aliquem nominatim, seu per particularem Iudicis sententiam inflicta est, (siue reseruata hæc, siue non reseruata ab Authore explicitè fuerit) non possunt Regulares, nec Iudex inferior vllus absoluere; atque ita habetur *in cap. nuper de sent. excommun.* & ex communi docent S. Bonauent. *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 6. cum aliis scholasticis *ibidem*, & Abbas *in cap. ex frequentibus numer.* 7. *de instit.* cum Canonistis.

2 Excipe mortis articulum, in quo quiuis Sacerdos, etiam excommunicatus non toleratus, ab omnibus censuris, tam ab homine, quam à Iure latis, etiam in Bulla Cœnæ Domini, vt hæresis, &c. absoluere potest, non solùm, si non sit præsens, nec adsit accessus ad eum, ad quem de Iure competit absolutio, in quo conueniunt Doctores, sed etiam probabiliter, si sit presens, sicuti contra Doctores quos citat, & sequitur Sanchez *lib.* 2. *mor. capit.* 13. *numer.* 7. & contra Vasquez *in* 3. *part. tom.* 4. *quæst.* 93. *art.* 1. *dub.* 4. *num.* 18. Nugnum *in addit. ad* 3. *part. tom.* 2. *quæst.* 8. *art.* 6. *dub.* 3. Auilam *de cens. part.* 2. *cap.* 6. *disp.* 3. *dub.* 1. *concl.* 4. Coninch *de Sacram. disp.* 8. *dub.* 2. *numer.* 16. Reginaldum *in praxi tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 7. *numer.* 61, Puteanum *in* 3. *part. S. Thom. part.* 2. *quæst.* 3. *concl.* 1. Bonacinam *de sacram. disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 1. *num.* 10. *& de cens. disput.* 9. *quæst.* 3. *punct.* 3. *numer.* 3. Sanctarellum *in tract. de heresi capit.* 6. *dub.* 1. *numer.* 2. Santorium *de cas. Pap. & Episc. num.* 146. Benzonium *in tract. de fug. lib.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 6. docebimus iterum nos *infrà subsect.* 35. & docent Nauarr. Vega Henriq. Rodriq. apud Sanchez, vbi *suprà num.* 6. Item Anglesi. *in* 4. *tom.* 2. *quæst. de confess. art. de ministro diff. in articulo mortis Episcop.* Zerola *in praxi de pœnit. cap.* 15. *num.* 4. Finellius *de cas. reseru. cap.* 7. *in fin.* Petrus de Ledesma *tom.* 1. *tract. de sacram. pœnit. cap.* 14. *diffi.* 2. Comitolus *lib.* 1. *quæst.* 21. *num.* 2. Coriolan. *de cas. re part.* 1. *sect.* 2. *art.* 16. *num.* 7. & 8. Valer. *ver. excommun. diffin.* 23. *num.* 1. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 27. *claus.* 1. §. 2. *num.* 7. Barbosa *de potest Episc. part.* 2. *allegat.* 25. *num.* 51. Conradus *part.* 1. *quæst.* 12. Ludouic. de S. Iuan. *part.* 1. *tract. de pœnit. quæst.* 6. *art.* 6. *dub* 4. Sa *ver. absolutio*, *num.* 3. & alij & ratio esse potest, quia cum in articulo, seu in periculo mortis, cesset ex Trid. *sess.* 14. *cap.* 7. omnis reseruatio casuum, & censurarum, consequens est, vt pro tunc temporis cesset etiam reseruator, ergò, &c.

Confirmatur primò, quia subdit 3

ibid. Concilium, in tali tempore propter rationem dictam omnes sacerdotes posse quoslibet pœnitentes à peccatis, & censuris absoluere; in quibus verbis cum Concilium absolutè, & indistinctè dicat, *omnes sacerdotes pro tunc temporis ea potestate gaudere*, videtur omnibus illis parem iurisdictionem illo articulo concedere: nam vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, præsertim in fauoribus, & fauoribus animæ.

4 Confirmatur secundò, quia par est, vt pro tunc temporis monituro omnis satisfactio concedatur, ergò, &c.

5 Aduerte tamen hîc, supradictum hæreticum v.g. in articulo mortis, vt *suprà*, absolutum, debere postea, si non obierit, præsentare se summo Pontifici; quia cum hoc onere in articulo mortis absolutus censetur, vt si scilicet superuixerit, sub pœna reincidentiæ in similem censuram, habeat se sistere coram summo Pontifice, non vt iterum absoluatur, quia iam est absolutus sed vt mandatis eius obediat; atque ita docet Henriq. *lib.* 13. *cap.* 29. *num.* 4. Suarez *tom.* 4. *disp.* 30. *sect.* 3. *num.* 6. Barbosa *in collect. tom.* 2. *lib.* 5 *art.* 39. *cap.* 11. *num.* 5. & alij communiter quamuis in casu, quod censura non habet onus satisfaciendi causæ, propter quam incurritur, vt est in casu nostro, oppositum non improbabiliter doceant Nauar. *cap.* 26. *num.* 27. Auila *de cens. part.* 2. *cap.* 7. *disp.* 3. *dub.* 4. *concl.* 2. §. 2. Gamba rupta *in tract. de cas. reser. cap.* 2. *num.* 65. & probabile putet Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 13. *cap.* 7. *num.* 141. At quidquid sit de hac opinione, illud tamen interim dicendum est, quod esto opinio Henriq. Suarij, Barbosæ, quæ est communis, sit absolutè vera, non oportet, vt talis hæreticus ad summum Pontificem recurrat, sed sufficiet, vt ab Episcopo vel Inquisitore (qui à casu hæresis absoluere possunt; vt *infrà subsect.* 35. dicetur) denuo absoluatur, Ratio, quia prior absolutio, modo quo *suprà* ad mentem Henriq. Suarij, & Barbosæ data, non impedit, quo minus pœnitens nouam absolutionem absolutam obtinere possit ab eo, qui eam absolutam præstare potest; atque ita docet Henriq. *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 3. *in gloss. lit.* G. Bonacin. *de cens. disp.* 1. *quæst.* 3. *num.* 15. & alij.

Dixi, quod quiuis sacerdos, etiam excommunicatus non toleratus, ab omnibus censuris, tam ab homine, quàm à iure latis, etiam Bullaribus, & hæresis absoluere possit; idque verum est, etiamsi sacerdos ille positum in articulo mortis à peccatis sacramentaliter non absoluat. Ratio, quia absolutio ab excommunicatione, aliisque censuris, & multò magis dispensatio ab irregularitate, aliisque pœnis ex delicto contractis, non pendet ab absolutione à peccatis, sicuti in Corollario præcedenti *suprà* dicebatur: nam quamuis causa, siue occasio (cur talis à censuris absoluendi potestas sacerdotibus omnibus in mortis articulo committeretur) fuerit, quia ea sæpè necessaria est ad sacramentalem absolutionem conferendam, nihilominus per se, & simpliciter, atque sine necessaria connexione ad sacramentum pœnitentiæ, concessa videtur, sicuti verba Tridentini Concilij significant, & nos *suprà* dicebamus ex eo, quia cum talis concessio gratiam & fauorem contineat, latè interpretanda est, quod similiter de Parochis, aliisque dicendum; posse eos ex concessione citati *cap. nuper*, ab excommunicationibus, non reseruatis scilicet; extra 6

sacramen-

sacramentum pœnitentiæ etiam absoluere. Vide Nauarr. *in cap.* 17. *num.* 272. Suarez *de cens. disp.* 7. *sect.* 4. *numero* 19. *& sect.* 6. *num.* 7. & Sà *ver. excommunicatio num.* 1. Vide etiam, quæ *suprà* in Corollario præcedenti dicebantur.

Appendix ad ea, quæ suprà dicebantur.

1 POrrò nonnulli Doctores vt gloss. Abb. *in cap. à nobis* 2. *de sentent. excommun.* Sylu. *ver. absolutio,* 1. *num.* 8. Armilla *num.* 39. Auila *de cens. part.* 2. *cap.* 7. *disput.* 1. *dub.* 3. Ledesma *tom.* 1. *de excommun. cap.* 8. *dub.* 4. & alter Ledesma *part.* 4. *quæst.* 26. *art.* 1. Io. de la Crux *part.* 2. *de excommun. dub.* 4. *concl.* 1. Sancius *in select. disp.* 44. *num.* 7. Regucius *de absolutione quæst.* 124. Valerus 1, *ver. absolutio* 4. *diff.* 13. & alij, quos ipse citat, docent, in defectum sacerdotis, etiam alium inferiorem Clericum, imò, & laicum, à censura excommunicationis, &c. in mortis articulo absoluere posse (sicut & indulgentias applicare) ad hoc, vt defunctus possit sepeliri in loco sacro, & pro ipso publicè Missa celebrari.

2 At contraria sententia videtur mihi magis recepta, & probabilior, quam docent Palud. *in* 4. *distinct.* 20. *quæst.* 1. *art.* 2. Sot. *distinct.* 18. *quæst.* 4. *art.* 4. Nauar. *cap.* 26. *num.* 26 *& in cap.* 1. *princ. num.* 84. *distinct.* 6. *de pœnit.* Couar. *in cap. alma, part.* 1. §. 11. *num.* 9. Suarez *de cens. disp.* 7. *sect.* 6. *num.* 6. Garsias *de benefic. tom.* 1. *part.* 12. *capit.* 5. *num.* 351. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 16. *diffic.* 20. *num.* 14. Coninch. *disp.* 14. *dub.* 16. *num.* 236. & ratio est, quia licèt Ecclesia talem potestatem cuique Clerico, imò etiam cuique fideli laico, quamuis hæretico, & præciso, & (vt docent Sayr. *lib.* 1. *cap.* 5. & Filliuc. *tract.* 11. *cap.* 2.) etiam infideli, vel fœminæ, committere possit, tamen re ipsa commisisse, nullo iure, vel consuetudine Ecclesiastica ostendi potest, ergò, &c.

Confirmatur, quia ad maiorem æstimationem censuræ pertinet; si eius absolutio non ab alio, quàm à Sacerdote, sine concessione speciali conferatur, præsertim; quia rarò accidit, vt Sacerdos haberi non possit, qui excommunicatum absoluat; quod etiamsi aliquando accidat, poterit tamen tunc moriturus per contritionem à peccatis suis liberari: atque post mortem à censuris absolui, saltem impropriè, in quantum sufficiat, vt pro ipso ab Ecclesia orari possit. 3

Non obstat *cap. sanctum, dist.* 4. *de consecrar.* adductum pro priori sententia à gloss. *in cap. pastoralis,* §. *præterea, de offic. Ordinarij* in quo ex S. August. refert, quòd quum fidelis aliquis, qui ex numero pœnitentium erat, cùm infidelibus naui veheretur, acciderit, vt vnus illorum à pœnitente baptismum peteret, hoc ipsi collato, pœnitens vicissim à recens baptizato reconciliationem petiit, & accepit. 4

Nam respondetur reconciliationem illam non fuisse veram absolutionem à censuris, multóque minus sacramentalem à peccatis, sed fuisse deprecatoriam orationem hominis, iam membri Ecclesiæ per baptismum effecti, vt scilicet Deus attendens animum, ac desiderium pœnitentis, etiam sine Sacerdotis ministerio, reconciliationem tribueret, atque ita explicat Author *de vera, & falsa pœnit. cap. quem pœnitet,* 5

dist. 1 *de pœnit.* vbi sic ait: *qui confiteri vult peccata, vt inueniat gratiam, quærat Sacerdotem scientem ligare, & soluere:*& paulò pòst: *tanta est vis confessionis, vt si deest Sacerdos, confiteatur proximo; sæpe enim contingit, quod pœnitens non potest confiteri coram Sacerdote, quem desideranti nec locus, nec tempus offert, etsi ille, cui confitebitur, potestatem soluendi non habet, fit tamen dignus venia ex Sacerdotis desiderio, qui socio confitetur turpitudinem criminis*: sic ille.

COROLLARIVM. VI.

A Censura itaque iuris, vel sententiæ generalis, quam author sibi reseruauit; item ab ea, quæ in aliquem nominatim, seu per particularem Iudicis sententiam inflicta est (siuè reseruata, siuè non reseruata ab Authore explicitè fuerit) is solùm absoluere potest, qui eam tulit, vel eius superior, vel successor, vel delegatus, atque ita habetur *in cap. pastoralis*, §. *præterea*, vbi id notat Abb. *num.* 1. *de off. ordin.* ita etiam habetur *in Can.* 47. *Concil. Nicæni*, vbi sic habetur: *nullus Episcopus soluat, quem alius Episcopus ligauit, quamdiù ille, qui ligauit, vixerit.* vide etiam *Can.* 5. *&* 16. *Concil. Carthaginensis* 6.

De Authore.

1 De Authore, inquam, seu de eo qui censuram tulit, patet ex regula recepta illa: *eiusdem est soluere, & ligare*, & patet ex eo, quod dicitur *in cap. verbum, dist.* 1. *de pœnit. par. est ius soluendi, & ligandi.* quod verum est, dummodò iurisdictio in illo duret.

2 Secus dicendum primo, si extincta sit Iurisdictio per depositionem, vel impedita per censuram excommunicationis, suspensionis, &c. non toleratam.

Dixi, *non toleratam*: nam quamuis 3 actus proficiscentes ab excommunicato, vel suspenso, &c. non tolerato (quia priuatur omni Iurisdictione) nulli, nedum illiciti sint, actus tamen proficiscentes ab excómunicato tolerato sunt validi, nisi per oppositam prius exceptionem infirmati fuerint; quin sunt, & liciti, si ad eos non se ingerat, sed exerceat requisitus ab aliis, non excommunicatis, v. g. valida est præsentatio, electio, vel collatio alicuius muneris, dignitatis, vel Beneficij, &c. facta ab excommunicato, vel suspenso, &c. tolerato, nisi per appositam prius exceptionem infirmata fuerit; idémque dicendum de dispensatione in voto, iuramento; item de absolutione à peccatis, censuris, & aliis eiusmodi actibus iurisdictionis, quæ ob fauorem, vel petitionem alterius non excommunicati exerceri licitè potest, & aliquando debet, vt *suprà* dicebatur, & ex communi docet Suarez *de cens. disput.* 14. *sect.* 2. Auila *part.* 2. *cap.* 6. *disp.* 6. *dub.* 3. & Coninch *disput.* 14. *dub.* 10.

Quin etiam ex officio Iudicem ex- 4 communicatum, vel suspensum, &c. toleratum, actus Iurisdictionis directiuæ, & coactiuæ validè exercere posse, v. g. inobedientem excommunicando, existimat Coninch, *vbi suprà num.* 9. & Guttierez *lib.* 1. *can.* 99. *cap.* 1. *num.* 82. *in fine*, moti ex eo, quia Iudex, quamdiu ab Ecclesia toleratur, exercitium iurisdictionis retinet; tum ex eo, quia ad bonum publicum spectare videtur, vt Iudicis tolerati acta publica subsistant, & valeant, *arg. cap. ad probandum, iuncta gloss. de sent. & re iudicata.*

Sed

5 Sed contrarium probabilius videtur mihi dicendum cum Suare *cit. sect. 2. num 15.* nempe non esse validam excommunicationis sententiam latam à Iudice notoriè excommunicato tolerato, seu non vitando: & ratio est, quia incursio censuræ supponit inobedientiam, & contumaciam, quæ inuoluat peccatum mortale, quod non est, quando non obeditur præcepto excommunicari, aut suspensi, &c. etiam tolerati; quia etsi possimus, non tamen tenemur, cum illo communicare. Secundò, quia in extrauagante Constantiensi nullum ius, fauor, aut licentia data est ipsis excommunicatis, nisi quatenus cedit in gratiam, beneficium, commodum, vel petitionem reliquorum fidelium: ergo actus iurisdictionis coactiuæ, quos Iudex ex officio exercet in subditum inuitum, non minus nunc inefficaces, seu irriti sunt, quàm erant priùs ante dictam extrauag. Constantiensem, & ex his patet responsio ad primum argumentum: ad alterum autem respondetur, quòd ad publicum bonum spectet, vt acta excommunicati tolerati subsistant, & valeant: distinguo; si impedimentum eius, qui publicum officium gerit, occultum sit, concedo: si publicum, nego: atque ita notauit gloss. *in cit. cap. ad probandum.*

6 Secus dicendum secundò, si in iudice delegato finitum sit tempus delegationis, iuxta *cap. querenti, de offic. delegat.*: nam tunc etiam author, qui censuram tulit, non potest ab illa absoluere, qua de re Nauar. *in cit. cap. verbum, resp. ad secundum*, & Suar. *de cens. disp. 7. sect. 2. num. 7.* vel si certa ipsi causa delegata tulit sententiam definitiuam, quamquam etiam tunc ad eius executionem totius anni spatium conceditur, vt proinde, si reus à Iudice delegato ante, vel post sententiam definitiuam excommunicatus sit; atque intra annum à definitiua sententia numerandum, deposita contumacia sententiæ parere velit, adhuc ab illo absolui possit; sed post annum ad delegantem remitti debet, sicuti habetur *in cit. cap. querenti, de offic. deleg.* & explicat *ibidem*, gloss. & Abb. *num. 7.* Nauar. *in summa, cap. 27. num. 40.* & Conich. *de ce s. disput. 14. dub. 16. quæst. 14. num. 256.*

Secus dicendum tertiò, si superior censuram ferentis ex certa scientia expressè, vel tacitè (puta per illius confirmationem) ad se reuocet, sibique propriam faciat; & sic absolutionem illius sibi reseruet, quia tunc inferior, qui eam tulit, auferre neque etiam potest, sicuti docent Doctores *in cap. ex frequentibus, de instit.* Syluest. *verb. absolutio 2. quæst. 4* Nauar. *loco suprà cit.* & Suarez *disp. 7 sect 2. num. 14.* exemplum huiusmodi auocationis generalis habetur *in cap. tua nos de sent. excommun.* vbi habetur, vt incendiarij, si nominatim excommunicati, & publicè denunciati sint, pro absolutione ad Sedem Apostolicam mittantur. Vide gloss. *ibidem, verb. publicati in fin.* 7

Hinc sequitur primò, quod quamuis ad Conciliorum nationalium, quæ conuocatis eiusdem nationis Episcopis, & Archiepiscopis, à Primate, seu Patriarcha indicuntur, & prouincialium, quæ olim bis in anno, vere, & autumno, per prouincias singulas ab Archiepiscopo, siue Metropolitano, conuocatis Coepiscopis celebrari debebant, sicuti constant *ex can. 1. Concil. Nicæni primi, & epist. 4. Leonis I. cap. 7.* vel saltem semel in anno, iuxta epistolam decretalem Hilarij Papæ ad Episcopos Galliæ, secundùm Tridentinum autem *sess. 24. cap. 2. de reform.* quolibet saltem trien- 8

nio institui deberent) & diœcesalium, quæ authoritate Episcopi, conuocatis eiusdem Diœcesis Prælatis, & Parochis, quot annis ex Tridentini ordinatione celebranda essent; ad quæ Concilia Prælati etiam, alioquin exempti, qui tamen generalibus Capitulis non subiiciuntur, accedere tenentur, authoritatem in natione, prouincia, vel diœcesi obtinendam consensus, vel approbatio Summi Pontificis non requiratur, dummodo nihil in iis contra vniuersales canones, vel Ecclesiæ vniuersæ consuetudines decernantur, tamen si Pontifex aliquod ex illis, seu aliquam legem in illis latam approbet, aut confirmet, eo ipso, quod & de quolibet superiore legem inferioris approbante, aut confirmante, dicendum est, ad se reuocat, & propriam sibi facit, vt deinde inferior Pontifice legem illam abrogare, vel in ea dispensare non possit; atque ita docent Sanchez *lib.*8. *de matrimon. disput.* 27.*num.*30. & Azorius *tom.*1. *lib.*5. *cap.*15. *quæst.* 7. quod tamen intelligerem ego, si confirmatio legis, quam ei Superior dat, substantialis sit; quia scilicet ab Inferiore cum tali authoritate condi non posset; vt si, verbi gratiâ, Pontifex alicuius ex dictis Concilij canones, siue statuta velit in tota Ecclesia seruari; secus autem dicendum, si sit approbatio solum accidentalis, & ad maiorem securitatem, ne ab aliquo statutum oppugnari possit; sicuti rectè notauit Suar. *lib.*6. *de legib. cap.*26. *num.* 16.

9 Sequitur secundò, quod si Superior confirmet statutum concernens fauorem aliorum, aut fauorem publicum, non possit deinde ab inferioribus, qui illud condiderunt, infringi, aut mutari, quia, vt dicebatur, Superior, ad quem spectat cura boni communis, & subditorum, illud confirmando, fecit quasi proprium; atque ita docent Bart. *in l. omnes populi, ff. de iustit. & iur.* & Abbas *in cap. cum accessissent, num.*2. *de constit.* quod tamen intelligerem ego, si statutum non sit à Superiore confirmatum in gratiam & fauorem ipsorum statuentium: nam in tali casu possunt ij recedere, eique perinde, atque alteri gratiæ, seu priuilegio sibi concesso renunciare, *arg. cap. per illorum, de prabendis.*

Aduerte tamen hîc, quod si è contra Inferior, verbi gratiâ, Episcopus excommunicationem, quam in aliquem infert, Superiori, verbi gratiâ, Pontifici reseruet: quamuis virtute talis renunciationis factæ, non possit ipse posteà ab illa absoluere, non tamen sequitur quod nec possit Archiepiscopus, seu Metropolitanus, in casibus sibi permissis à iure. Ratio, quia etsi quilibet possit sibi præiudicare, non tamen potest alteri; & sic, etsi possit fauori suo renunciare, non tamen potest in præiudicium alterius. Vnde vassallus non potest in præiudicium domini, sine eius consensu, alterius iurisdictioni consentire. Item non possunt Ecclesiastici priuilegiis suis renuere. Item non potest pater donationi inofficiosæ renunciare. Item non firmat iuramentum contractum in præiudicium tertij. Item tandem clausula *motu proprio* non operatur in præiudicium alterius, nec adimit ius in re acquisitum alteri, atque ita præter alios docet Io. Maria Nouarius *in quæstionib. forens. part.* 1. *quæst.* 66. contra Campanil. *in diuers. iur. can. rub.* 11. *cap.* 15. *numero* 132. 10

Dixi, *in casibus sibi permissis à iure,* quia quamuis Coepiscoporum subditos Archiepiscopus iurisdictionem non obtineat, sicuti constat *ex cap. nullus Primas, cap. conquestus, 9. quæst.* 3. *& cap.* 1. *de offic. legati, cap. duo simul, de offic. Ordinarij,* 11

Ordinarij, quare ait Abbas *in cap. cùm ad quorumdam, num. 4. de excess. Prælator.* quod Archiepiscopus, seu Metropolitanus nihil possit in diœcesi Suffraganeorum, tamen potest in illos iurisdictionem exercere in casibus expressis à iure.

12 Primò, si ab Episcopo ad Archiepiscopum appellatum sit, iuxta *cit. cap. conquestus, iunct. gloss. & cap. peruenit 11. quæst. 1. & cit. cap. duo simul, & cap. 1. de offic. legati.* non tamen ob solam negligentiam Episcopi, nulla interposita à partibus appellatione, ad Archiepiscopum deuoluitur iurisdictio, vt ait Abbas *in cit. cap. duo simul, & cap. pastoralis, de offic. ordin. & in cap. nullus, num. 2. de iur. patron.* vbi rectè docet, si Episcopus requisitus in aliqua re consensum sine causa rationabili deneget, posse adiri Archiepiscopum; non vt ipse consensum suppleat, sed vt Episcopum compellat ad consentiendum.

13 Secundò, dum prouinciam visitat, quod liberè facere potest communi iure, etiamsi nulla Episcopi negligentia intercedat, sed cum limitatione Concilij Trident. *sess. 24. cap. 3. de reformat.* quia tunc potest etiam prouincialium confessiones audire, iuxta *cap. vlt. de censur. in 6.* Item iubere crucem ante se ferri, & populo benedicere; idque etiam in locis prouinciæ alioquin exemptis, iuxta *clement. Archiepiscopo, de priuileg.* Item concedere indulgentias intra suam prouinciam, cum limitatione tamen Concilij Lateranensis, iuxta *cap. nostro, de pœnitent.*

14 Porrò, si Archiepiscopus prouincialia statuta condere velit, Episcoporum synodum eius rei causa cogere debet, vt *suprà* dicebatur, in eáque præsidere tanquam Decanus in Capitulo, sicuti constat *ex cap. nullus Primas, & aliis quæstionib. quæst. 3.* at quod in prouinciali Synodo decretum fuerit, reuocare, immutare, vel in eo dispensare non potest. Ratio, quia ipse est inferior Synodo, siue Concilio Episcoporum, à quibus propterea iudicari potest; atque ita docet Nauarr. *lib. 1. consil. 6. de maior. & obed. edit. 2* Sanchez *lib. 8. de matrim. disput. 17. num. 36.* & Suar. *lib. 6. de leg. cap. 15.*

De Superiore.

De Superiore, inquam, quod à censura Iudicis inferioris absoluere possit intelligi debet, non de quolibet, sed de eo tantum, qui plenam & ipse iurisdictionem obtinet in eos, qui censura legati sunt, qualem habet summus Pontifex in omnes excommunicatos, & Prælatus Religionis Superior in omnes subditos Prælati inferioris: quare Prouincialis v. g. absoluere potest, quem Prior, Præpositus, aut Guardianus excommunicauit, sicut & potest causam ab inferiore Prælato inchoatam ad se aduocare; atque ita docet Suarez *cit. sect. numer. 18.* Sylu. *verb. absolutio, 2. in princ.* Auila *de cens. part. 2. cap. 7. disput. 1. dub. 11.* vide etiam Pasqualigum *in suis decisionibus decis. 57.* At verò ligatos censura Episcopi non potest Archiepiscopus, seu Metropolitanus absoluere, nisi ad ipsum appellatum sit, & tunc vocatis partibus, ac cognita causa appellandi, si ea in dubium reuocetur, sicuti habetur *in cap. Romana, §. cum autem, & seqq. de appellat. in 6.* & docet Pasqualigus *in loc. suprà cit.* idémque dicendum de Legato sedis Apostolicæ, qui licet aliquo modo superior sit Episcopi, non tamen est Superior in ordine ad subditorum causas, quippe quæ in prima instantia coram Episco-

po ex Tridentino terminari debent. Episcopus etiam non potest absoluere Regulares excommunicatos à proprio Prælato ex causa pertinente ad regularem disciplinam; quia correctio Monachi primo loco ad Abbatem pertinet, ait gloss. *in cap. quanto, verb. si Prelati, de offic. Ordinarij*, & colligitur *ex cap. reprehensibilis de appellat.* quamuis si Regulares exempti non sint, ab iniusta sententia Prælati ad Episcopum appellare non prohibeantur; sicuti notauit Abb. *in cit. cap. reprehensibilis, num.* 11. & per sensum contrarium colligitur *ex cap. ad nostram de appellat.*

Limito doctrinam *suprà* traditam, nisi alicubi consuetudo sit, vt causa à Prælato inferiore cœpta, & præuenta, Superior in ea intromittere se non debeat, si ad ipsum appellatum non sit, sicuti notauit gloss. *in cit. cap. quanto*, Sylu. & Suarez *in locis suprà cit.* Porrò statutum est *in cap. cum ab Ecclesiarum de offic. Ordin.* vt Prælatus Superior, v.g. Episcopus inferioris Prælati, v.g. Archidiaconi, vel Archipræsbyteri (cui ratione beneficij sui iurisdictio competit) sententiam non relaxet, nisi cum conscientia eiusdem, & congrua satisfactione imposita reo: verum si relaxatio, seu absolutio aliter fiat, rata censeri debet, etsi illicita sit, secundum gloss. *ibidem* quam communiter receptam testatur Couarr. *in cap. alma, part.* 1. §. 12. *num.* 3. & Sylu. *loc. suprà cit.*

De Successore.

De Successore, inquam, quod absoluere possit à censura, quam Antecessor tulit, habetur clarè *in cap. si Episcopus*, 11. *quæst.* 3. *& in cap.* 1. *de maior. & obed. in* 6. vbi dicitur: *Episcopali sede vacante, potest Capitulum, seu is, ad quem Episcopalis iurisdictio tunc temporis noscitur pertinere iis, quibus posset Episcopus, si viueret, ab excommunicationis, sententia, siuè iuris, siue hominis fuerit, absolutionis beneficium impartiri.* Et ratio est, quia potestas per censuram ligandi, & soluendi competit Prælato ratione beneficij, muneris, aut dignitatis suæ, quæ cum illius morte, aut depositione non extinguuntur, sed transeunt ad successorem; idémque locum habet in Iudicibus delegatis, si vnus alteri in delegatione succedit, iuxta *c. pastoralis*, § *præterea de offic. Ordin.* vbi habetur, quod si delegatus Papæ, qui reú contumacem excommunicauerat, mortuus sit, non possit excómunicatus extra mortis articulum, vel ab Ordinario loci (cùm Delegatus, quantum ad hoc, sit maior Ordinario) vel ab alio quouis, præter Romanum Pontificem, absolui, nisi fortè Delegatus talis extiterit, cui alius succedat in onere, & honore.

De Delegato.

De Delegato, inquam, quod possit absoluere à censuris, si qui eas tulit Iudex Ordinarius, aut Delegatus subdelegandi potestate præditus, talem illi absoluendi facultatem committit, clarum per se est, vt authoritates, vel rationes ad id probandum necessariæ non sint.

Vbi aduerte, quòd si Papa, aliúsve Ordinarius alicui mandet, vt certum hominem excommunicet, sine alia commissione causæ, non potest eum deinde absoluere, eo quòd non Iudex delegatus; sed merus executor censetur; sicuti notauit Nauar. *cap.* 27. *num.* 44. Auila *part.* 2. *cap.* 7. *disp.* 1. *dub.* 9. *cas.* 4. Suarez *cit. sect.* 2. *num.* 8.

Aduerte secundò, quòd potestas absoluendi

soluendi à censuris reseruatis delegari potest variis modis: interdum enim facta est delegatio particularis determinatæ personæ, & in ordine ad certam causam, v.g committo tibi, vt causa cognita, hunc ab excommunicatione absoluas: interdum verò est delegatio generalis, vt quæ fit omnibus Episcopis, aut Confessariis, aut certo Confessariorum ordini: eáque vel ad certum tempus, ob publicam aliquam censuram, & sicut fieri solet in Iubilæo, &c. vel per modum priuilegij perpetui, quale est priuilegium Religiosis concessum absoluendi à quibuscunque censuris iuris, iis exceptis, quæ in Bulla Cœnæ Domini continentur, & quæ specialiter ab Episcopis reseruatæ fuerint, in qua generali concessione (qualis etiam in Iubilæis fieri solet) absque dubio comprehenduntur censuræ, quas Episcopi diocœsano statuto, vel generali sententia sibi reseruant, vt *suprà* diffusè dicebatur: & ex communi testatur Suarez *disp. 7. sect. 5. num.* 14.

12 Præterea interdum delegatur absolutio à censuris, vt valeat solum in foro conscientiæ, cuiusmodi est priuilegium Regularium *suprà* dictum: interdum verò, vt valeat in vtroque foro, tam interno, quàm externo; quòd si autem in Bulla nihil exprimitur, sed absolutè conceditur facultas absoluendi à censuris in dubio sumi debet de vtroque foro Ratio, quia gratia, seu beneficium Principis latissimè interpretandum est, *leg. beneficium, ff. de constit.* quamuis interdum ex circumstantiis, & subiecta materia coniectura fieri debeat, non fuisse mentem Pontificis delegare potestatem absoluendi à censuris cum præiudicio fori externi; sed tantùm in fauorem animæ; vt cùm in Bulla Iubilæi, aut Cruciatæ datur potestas Confessariis absoluendi ab omnibus peccatis, & censuris, intelligi debet in ordine ad forum internum tantùm, sicuti docet Couar. *in cap. alma, part.* 1. §. 11. *num.* 16. Auila *part. 2. cap. 7. disp. 3. dub.* 12. Gutierrez *lib. 1. can. 99. cap. 2. num.* 10. contra Medinam *in summa, lib. 2. cap.* 12. & Suarez *disput. 7. sect. 5. num.* 21 & ratio est, quia sicuti virtute Bullæ absolutus à peccatis, tamen in foro externo accusari, & puniri potest, vt docet gloss. *in cap. de his, de accusat.* & Couar. 2. *resol. cap.* 20. *num.* 3. ita etiamsi quis virtute eiusdem Bullæ à censura absolutus est, tale beneficium ad forum externum non extenditur: quia forum conscientiæ, & forum externum iudicij valdè distincta sunt: siquidem in illo præcipuè spectatur salus animæ, & compensatio diuinæ offensæ, in hoc verò ad publicam etiam vindictam, & Reipublicæ satisfactionem attendi debet, sicuti præter alios docet Miranda *tom. 1. man. Prælat. quæst.* 46. *art.* 7. vbi rectè docet, quòd absolutio in foro conscientiæ dicitur, non quod fieri debeat in secreta confessione; sed quòd fiat sine strepitu iudicij, & sine derogatione iuris alterius, ac denique duntaxat, vt anima, quæ excommunicationis, vel alterius censuræ vinculo ligata erat, absoluta maneat coram Deo.

Petitio vnica, eiusque Resolutio.

PEtes, an & quãtum absolutio à censura in foro conscientiæ data, pro foro etiam externo prodesse possit? 1

Respondetur, quod qui in foro conscientiæ per Bullam, Iubilæum, aut priuilegium ab excommunicatione v.g. absolutus est, is in facie Ecclesiæ si

excommunicatio ipsius notoria fuit, perinde à sacris, & alijs rebus, quæ excommunicato prohibentur, abstinere debet, ac si absolutus non esset, quamdiu de legitima eius absolutione publicè non constat; quapropter si interim publicè celebrare præsumit, ab Ecclesiastico iudice, perinde, ac irregularis, puniri poterit, quamuis si velit Iudex, huiusmodi absolutionem in foro conscientiæ datam, etiam pro foro externo possit acceptare, atque accusationem Fiscalis, quod reus in excommunicatione celebrarit, repellere; atque ita docet Henriq. *lib.* 13. *cap.* 27. *num.* 5. *lit.* *V*, & Auila *de cens. part.* 2. *cap.* 7. *disp.* 3. *dub.* 12. idémque (vt monet Nauar. *lib.* 2. *cons. vlt. de iudic. num.* 7. *edit.* 2) dicendum est de dispensationibus concessis pro foro conscientiæ tantum.

2 Quod si excommunicationis censura occulta fecit, tunc non prohibetur, qui ab ea in foro conscientiæ absolutus fuit, publicè etiam celebrare; At si accidat, eius excommunicationem postea innotescere, & causam ad forum externum deuenire, poterit propter crimen, cuius causa censuram contraxerat, puniri, & satisfactio eidem imperari, sed non debet tanquam irregularis propter celebrationem condemnari, dummodò de absolutione fidem facere possit, per Confessarij, vel testium testimonium, sicuti docent Nauar. *lib.* 2. *cons.* 3. *de fide instrument. edit.* 2. & Suar. *disp.* 7. *cit. sect.* 5. *num.* 26. eademque ratio esse videtur, si excommunicatio notoria fuit, dummodò tamen absolutus in foro conscientiæ, occultè, & sine scandalo celebrarit; etsi hic cautiùs agendum sit, præsertim si causa ad forum iudiciale deducta fuerat: nam tunc absolutio, & multò magis celebratio cedit aliquo modo in in præiudicium externi fori, vt proinde Iudex talem absolutionem non admittere cogatur, sed celebrantem, tanquam irregularem punire possit; quapropter priuilegiatus non debet facilè sine consensu Ordinarij absoluere à censuris notorijs, si eæ ad forum iudiciale deductæ sunt, vel probabiliter deduci poterunt, sicuti præter alios docet Henriquez *lib.* 13. *cap.* 28. & Coninch. *de sacrament. disp.* 14 *dub.* 16. *num.* 207. Ratio, quia absolutio danda non est, antequam parti læsæ (& sic Ecclesiæ, si Ecclesia, aut status clericalis notoria v. g. Clerici percussione læsus fuit) satisfactum sit: nam Reus, postquam absolutionem à censura v. g. excommunicationis consecutus est, non ita facilè, & efficaciter ad præstandam satisfactionem, & emendationem, vrgeri poterit.

Simili ratione dicendum, quod 3 quamuis virtute Bullæ, Iubilæi, &c. liceat absoluere pro foro conscientiæ excommunicatos nominatim, vel publicos Clericorum percussores, vel alium, cuius excommunicatio deducta est ad forum contentiosum, & lis in tali foro adhuc finita non est (sicuti contra Doctores quos citat, & sequitur Auila *de cens. part.* 2. *cap.* 7. *disp.* 3. *dub.* 10. *conclus.* 1. & contra Vasq. *in* 3. *part. tom.* 4. *tract. de excommun. dub.* 20. *num.* 8. & Vegam *in summa tom.* 1. *cap.* 6. *cas.* 52. docent Sanchez *lib.* 6. *mor. cap.* 17. *num.* 44. Acosta *quæst.* 50. Sayrus *de cens. lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 29. & Henriq. *lib.* 8. *cap.* 60. *num.* 4. vbi expresè ait, nominatim denunciatum posse pro foro interno absolui per Bullam, eique virtute Bullæ, sicut & virtute priuilegij Regularium absoluto, si petat communionem in loco, vbi cessat

cessat scandali periculum, licere ministrari: & ratio est, quia cum in Bulla absolutè sine restrictione, & limitatione facultas absoluendi à censuris concedatur, restringenda, & limitanda non est; præsertim quia ex alio capite talis absolutio non perturbat simpliciter iurisdictionem Iudicis, coram quo lis pendet: nam solum est illa pro foro interno;& sic potest Iudex contra illum procedere in foro externo ita, ac si nunquam absolutus fuisset in foro interno) non sit tamen facilè danda talis absolutio; quia, etsi non simpliciter, tamen aliquo modo (vt dicebatur *supra*) perturbat illa iurisdictionem fori externi; quamuis aliqui sentiant oppositum quia putant, talem absolutionem prodesse etiam in foro externo; atque ita docent Medina *in summa lib. 1. cap. 12.* Rodriquez *in Bull. §. 9. num. 55. in fin.* Io. de la Crux *in direct. consc. part. 2. tract. de excommun. dub. 5. conclus. 3.* & alij, qui & volunt in tali casu, quod Confessor absoluens det absolutionis schedulam, vt per eam reus se defendat in foro externo; vel (vt docuit Nauar. apud Acostam *in expl. Bull. quæst. 50. per totam*) postquam Confessor absoluit, tradat pœnitenti coram Notario, & testibus schedulam absolutionis, in qua affirmet, illum à censuris absolutum esse, virtute Bullæ, & satisfacta parte; & Notarius in fine schedulæ testetur, à confessore prædicto, tali tempore, die, ac loco illam absolutionis schedulam pœnitenti datam fuisse.

5 Contrarium tamen, vt *suprà*, his non obstantibus docent communiter Doctores; absolutionem scilicet Bullæ, Iubilæi, & multò magis priuilegij Regularium non prodesse in foro externo; & consequenter ita absolutum debere, vt scandalum euitet, gerere se in publico, tanquam si excommunicatus esset; quamuis possit secreto sine scandalo Missam audire (quin & dicere) sacramenta recipere,& cum alijs colloqui, explicando se per Bullam, vel Iubilæum, &c. absolutum esse; atque ita ex communi contra suprà citatos Doctores docent Auila *part. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 12.* Acosta *vbi suprà* & Villalob. *tom. 1. tract. 27. clausf. 9. §. 2. num. 24.* qui citat Couarruuiam, Gutierez Lopez, Henriquez, & alios.

Aduertenda quædam.

Aduertunt hîc primò, prædicti Doctores quod contra ita absolutum per Bullam, aut Iubilæum, &c. Iudex non tenetur in foro externo procedere;sed si benignus esse velit, possit acceptare talem absolutionem, etiam pro foro externo, & repellere accusationem fiscalis accusantis illum, quod celebrauerit v. g. &c. vel temperare, in ferenda contra eum sententia, rigorem, & pœnam vide Henriq. *lib. 13. cap. 27. num. 5.* Auilam, & Acostam, *vbi suprà*. 1

Aduertunt secundò, quod suprà dicta procedant solùm quo ad absolutionem censurarum ab homine, non item quoad absolutionem censurarũ à iure;& sic quod virtute Bullæ, vel Iubilæi &c. absolutio data à censuris latis à iure, valeat etiam in foro externo. Ratio, quia summus Pontifex ait, super censuras ab homine latas non cadere in foro exteriori absolutionem virtute Bullæ; ergò cadet super censuras latas à iure; quare virtute Bullæ absolutus à censuris latis à iure, debet secundùm *suprà* dictum Nauarri Concilium petere à Confessore absolutionis schedulam, qua, si opus fuerit, se defendat in foro exteriori, quo minus possit ipsum fiscalis 2

calis Curiæ vel alter accusare, & pœnas excommunicationis exigere; nam per absolutionem Bullæ liberatus est, etiam in foro exteriori; cum illa quo ad censuras latas à iure, prosit (vt *suprà* dicebatur) non solùm pro foro interno, sed etiam pro externo; vide Acostam *in loc. suprà cit.* & Fillucium *tom. 1. tract. 11. cap. 9. num. 291.*

3 Aduertunt tertiò, quòd si quis excommunicatus excommunicatione exigente satisfactionem partis, obligatus sit confiteri talem censuram; per generalem absolutionem, quæ datur ad cautelam, non maneat absolutus à dicta censura. Ratio, quia præsumendum non est Confessorem velle absoluere à tali censura, quam si pœnitens manifestaret, & Confessor sine satisfactione partis absolueret, grauiter peccaret. Vide Auilam *part. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 9. concl. 2. in fin. & dub. 14* quamuis opinionem contrariam etiam putet ipse probabilem.

4 Aduertunt quartò, quòd si tamen quis excommunicatus similiter excommunicatione exigente satisfactionem partis, scienter, vel aduertenter absoluatur, non satisfacta parte, non teneatur, quasi nulliter absolutus fuisset, iterum ab illa absolui. Ratio, quia per illam clausulam, *priùs satisfacta parte*, non intendit summus Pontifex (vt ex multis probat Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 3. disput. 33. num. 3.*) inducere nouam formam, & limitare potestatem absoluentis, sed tantùm admonere Confessarium de sua obligatione, vt scilicet absoluat excommunicatum, si realiter satisfecerit, vel si non potest realiter satisfacere, det cautionem satisfaciendi, modo, seu ordine, quo *infrà* dicetur: atque ita docent Sanchez *vbi suprà*, Auila *part. 2. cap. 7. disput. 3. dub. 9. concl. 2* qui citat Pegn. & Acostam, ita etiam docet Barbosa *in collect. tom. 2. tit. 40. cap. 23. num. 3.* & Valerus *in diff. vtriusque for. verb. absolutio, diff. 5. num. 5.* contra Henriq. *lib. 7. de indulg. cap. 13 num. 2.* Suarez *in 3. part. tom. 5. disp. 7. sect. 6. num. 41* Sayr. *de censur. lib 2. cap. 18. num. 10.* Filliuc. *tom. 1. tract. 11. cap. 9 num. 295.* & Coninch. *de Sacrament. disp. 14. dub 16. num. 211.* Vnde sequitur supradictum excommunicatum, iniustè cum peccati sacrilegio, quamuis validè (vt dicebatur) à censuris absolutum, posse licitè absolui à peccatis ab alio ordinario Confessore, qui poterit se gerere cum illo, tanquam cum non excommunicato; & quantum ad satisfactionem obseruare regulas generales circa debitores in ordine ad eorum creditores.

Aduertunt quintò, quòd cùm dicitur, *satisfacta priùs parte*, nomine *partis*, intelligatur tantùm ille, cui per delictum, propter quod inflicta fuit excommunicatio, facta est iniuria (siue persona publica is sit, siue priuata) non autem intelligatur Iudex, cui ipso iure applicatur pœna pecuniaria Vnde absolui poterit pœnitens per Bullam, vel Iubilæum, &c. antequam soluat iura Iudici, vel Tabellioni. Vide Sotum *in 4. d. 22. quæst. 2. art. 3. post 3 concl.* Henriq. *lib. 13. cap. 28. num. 1* & Bonacinam *de cens. disp. 1 quæst. 3. punct. 9.* 5

An autem absolui possit etiam antequam satisfecerit Ecclesiæ, vel monasterio, satisfacto tamen percusso clerico, vel Monacho? 6

Affirmant Auila *de cens. part. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 11. concl. 2.* quia licet percutiens Clericum, vel Monachum faciat iniuriam etiam Ecclesiæ, vel Monasterio, satisfacto tamen, vel remittente iniuriam percusso, censetur satisfacta 7

facta pars, ergo, &c. & ratio est, quia quando dammum infamiæ (vt notat Nauar. *in cap. inter verba, corol. vlt. num.376. & in summa, cap.18.num.46.*) tangit principaliter infamatum, & minus principaliter bonum publicum, sufficit tunc condonatio tantùm eius, ad quem dammum spectat principaliter, sicuti habetur *in cap. quamuis pactum, iunct. gloss. de pactis in 6.*

8 Negant autem Riccius *in decis. Curiæ Archiepisc. Neap. part.1. decis.86. num. 4. & part.3. decis.34. num.3.* & Bonacina *de censur. disput.2. quæst.4.punct.5.* & ita fuisse decisum in Curia Archiepiscopali Neapolitana, testatur idem Riccius in casu cuiusdam, qui percussit Monasterij conuersum, vbi fuit resolutum, talem debuisse satisfacere Abbati, & Monasterio; quia iniuria facta Monacho, censetur facta Abbati, & Monasterio, iuxta *l. in personam, ff. de pactis,* & *ibi* Doctores, atque Gomesium *tom. 3. variar. resolut. cap. 6. num.5.* idem dicitur de clerico, vt videre est apud Bonacinam *in loco suprà cit.* vbi subdit satisfaciendi modum, qui in tali materia debeat adhiberi: vtraque hæc opinio Doctorum est mihi probabilis. At in eo conueniunt omnes, quòd si iniuria principaliter illata sit Ecclesiæ (sicuti contingit in casu extractionis rei ab Ecclesia) in tali casu, cùm iniuria illata sit principaliter loco sacro Ecclesiæ, & non personæ abstractæ ab Ecclesia, satisfactio præstari debeat Rectori Ecclesiæ. Vide Alphonsum de Leone *in tract. de potest. confess.*

9 Aduertunt sextò, quod nomine satisfactionis intelligatur restitutio honoris, vel famæ, vel bonorum, ita vt pœnitens debeat satisfacere in totum, vel si non potest in totum, debeat satisfacere in partem; quod si non potest, neque in totum, neque in partem; vel simpliciter, vel propter detrimentum famæ, vel status, vel etiam propter grauem iacturam suorum bonorum, vendendo ea notabiliter viliùs quàm valent, licitè tunc poterit absolui absque vlla reali satisfactione, dummodo creditor etiam æquale detrimentum non patiatur; in quibus & similibus casibus non potens is realiter satisfacere, non sufficit quod præstet cautionem iuratoriam, sed dare debet pignoratitiam, vel fideiussoriam, disiunctiuè, ita vt sufficiat, sicuti contra Caietan. *verb. excommunicatio, cap.77.* docent Henriquez *lib.15. cap.28. num.1.* & Auila *de cens. part. 2. cap. 7. disput. 3. dub. 5. conclus. 1.*) dare fideiussoriam, quamuis dare possit pignoratitiam; quod si neutram hanc dare poterit, dare debet, iuxta *cap. solet, de sent. excommunic. in 6.* cautionem iuratoriam de satisfaciendo, cùm primò potuerit: quod ego tamen intelligerem in foro externo: nam in foro interno, cùm in tali foro pœnitenti credatur, sufficiet deficiente possibilitate firmum propositum satisfaciendi, cùm primò potuerit sine aliquo iuramento. Vide Nauar. *cap.27. num.278.* Henriquez *lib. 7. cap. 13. numero 2. in gloss. lit. I,* & *cap. 28. num. 3. in gloss. lit. A,* & Valer. *verbo absolutio, diffic. 5. num. 3. & diffic.11. in fin.* adeò verum est, vt contra Suar. *in 3. part. tom.5. disput. 23. sect. 5. num. 27.* docuerit Sanchez *lib. 2. moral. cap. 10. num.19.* quod etiamsi in Bulla, Iubilæo, vel priuilegio excipiatur solus mortis articulus, vt scilicet tunc solum quis, non satisfacta parte, absoluatur, adhuc posita impotentia ex parte pœnitentis, absolui is possit extra talem articulum, modo seu ordine, quo *suprà* dicebatur: & ratio esse potest, quia credendum non est, Pontificem per illam

clausulam *satisfacta parte*, voluisse excludere à beneficio absolutionis eum, qui non potest satisfacere; cùm verisimile non sit conditionem impossibilem à Pontifice postulari, *argum. clement. multorum, & element. nolentes, de hereticis*, vbi similes conditiones in hunc sensum, & non in alium, accipiuntur.

10 Confirmatur quia (vt contra Auilam *part. 2. cap. 7. in fin.* docent Zanardus *part. 2. præcept. 2. capit. 11. in fin.* Rodriq. *tom. 2. cap. 34. numer. 6.* Peirinus *tom. 1. constit. 4.* Gregor. XV. *§. 9. num. 24.* & Sanctarellus *de heresi capit. 9. dub. vn. num. 16. in fin.* & Nauarro testante *de praxi S. Penitentiarie*, potest quis in foro conscientiæ, ante quam denunciet, absolui, si firmum propositum habeat denunciandi (quamuis in edicto Inquisitorum dicatur, vt prius denunciet) ergò, &c. vide etiam Sancium *in selectis disput. 11. num. 62.* Portel. *in addit. ad dubia Regul. verb. sollicitare fœminas numer. 24.* & Ortiz. *in summa cap. 24. num. 11.*

Confirmatur secundò, quia (vt ex communi docet Nauarr. *cap. 26. in fin. argum. cap. clericos de cohabit. cleric. & mulierum*, potest, quin & debet, pœnitens absolui, absque eo, quod iuret, vel voueat, se in posterum satisfacturum, vel non admissurum amplius tale peccatum, ergò, &c.

Appendix ad ea, quæ suprà dicebantur.

1 CÆterùm quod præter hos, qui numerati sunt, nemo alius à censura per sententiam particularem lata absoluere possit, inde probatur; quia iudicialis causa per rei citationem, quæ necessariò sententiam censuræ antecedere debet, coram proprio Iudice cœpta est. Ergo si alius Iudex quicumque (præter superiorem, successorem, vel delegatum) se intromittat, & reum absoluere tentet, manifestò eius iurisdictionem violabit. Verùm, si ligatus excommunicatione, seu ab homine, seu à iure inflicta, satisfacere paratus sit, sed longissimè distet ab Authore, cui absolutio reseruatur, potest interdum ab inferiore absolui, præstita cautione, quòd quamprimùm poterit, conspectu eius, ad quem iure ordinario spectat absolutio, se præsentare velit, sicuti colligitur *ex cap. qua fronte, de appellat* & tradit Nauarr. *lib. 5. consil 45. num. 2. & consil. 49. num. 6. de sentent. excomm. edit. 2.*

Quæ autem dixi de censura iuris, vel sententiæ generalis, quam author sibi reseruauit, & de censura lata per sententiam particularem (etiam si non reseruauerit) non habent locum in censura lata ab homine per sententiam generalem, si eam author sibi non reseruauit: ab hac enim absoluere potest omnis ille, vel iure ordinario, vel ex priuilegio concessum est absoluere à censuris, iure, seu statuto impositis, sicuti *suprà* dicebatur, & docent post Imolam *in cap. graue. de preb. &c. ex frequentibus, de Institut.* Nauar. *in cit. num. 44. & in cap. ita quorumdam, gloss. vlt. de Iudæis*, Couar. *part. 1. §. 12. num. 4.* Henriquez *lib. 13. cap. 28. num. 5.* Auila *part. 2. cap. 7. disput. 1. dub. 9.* Tol. *lib. 1. capit. 16. numer. 7.* Coninch. *disput. 14. dubit. 16. conclus. 15.* contra gloss. & Hostiensem *in cit. cap. ex frequentibus de Institut.* & Vgolinum *tab. 1. cap. 3. § 4. num. 4* Et ratio est, quia censura, ita generaliter lata, non continet propriè sententiam Iudicis, 2

quam

quam rescindere alius non possit, sine violatione iurisdictionis, vt *supra* dicebatur, sed continet potius praeceptum sub tali poena, seu censura impositum; ideóque æquiparatur ex parte censuræ iuris, siuè statuti, sumpto argum. *ex cap. nuper de sententia excom.* vbi excommunicationis sententia bimembris tantùm traditur, vna Iudicis, & altera iuris, & quod ab illa absoluere debeat Iudex, qui eam tulit, ab hac verò possit quicumque ordinarius, si author eam sibi non reseruauit.

3 Hinc sequitur, quod si quis alicui Episcopo subditus, siue ratione domicilij, siuè ratione solius delicti, ab illo propter crimen, & contumaciam nominatim excommunicatus fuit, tamen si postea aliò proficiscens domicilium mutet, vel Religionem ingrediatur, non potest ab altero Episcopo, vel Prælato Religionis absolutionis beneficium consequi; eo quod prior Episcopus, qui excommunicauit, propter causam in suo tribunali cœptam, & nondum absolutam, ius in excommunicatum adhuc retineat, sicuti colligitur *ex capit. proposuisti de foro compet.* vnde generalis hæc regula sumitur; *quod prauentus à Iudice, forum ipsius in ea causa declinare non potest.* At verò è contra, si quis in propria diœcesi excommunicationem iuris, vel sententiæ generalis contraxit, ac postea domicilium alio transfert, potest is ab Episcopo huius domicilij absolutionem consequi; quin etiam à Parocho eiusdem domicilij, talis excommunicatio ibi reseruata non sit, sicuti colligitur *ex citat. cap. nuper*, eademque ratio est, si ciuis Neapolitanus dum negotij causa Mediolani maiorem anni partem moratus, censuram excommunicationis ibi generaliter latæ contraxit & postea in patriam redijt: nam potest & is etiam ab Archiepiscopo Neapolitano absolui, quin etiam à proprio Parocho si similiter hic reseruata non fuerit, sicuti notauit Coninch. *disp.* 14. *dub.* 16. *quæst.* 15. *num.* 258. vide quæ dicentur *infrà subsect.* 35.

SVBSECTIO XXXIII.

Proponitur, & explicatur tertium Exemplum cum multis Corollarijs.

QVod de concessione indulgentiarum, & de priuilegio concesso Religionum Confessarijs absoluendi quoscumque Christi fideles à quibuscumque peccatis, & à quibuscumque inde resultantibus censuris, & pœnis, quod latè scilicet interpretanda sint, quia sunt fauor, & beneficium idem etiam intelligas de priuilegio à Trid. *sess.* 14. *capit.* 6. *de reform.* Episcopis concesso dispensandi super omni irregularitate proueniente ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario, & exceptis alijs delictis deductis ad forum contentiosum. 1

Ratio, quia quamuis huiusmodi priuilegium dispensandi, sicut & prædictum priuilegium absoluendi & aliæ multæ Principis gratiæ, seu beneficia, iis concessa, quibus lege communi, & ordinaria non competunt, sint præter ius, siue (vt alij loquuntur) vltra ius; priuilegium autem præter ius, seu vltra ius, ex eo, quia iuri communi derogat, plerumque strictæ interpretationis esse debet (sicuti habetur *in cap. porrò, cap. sanè de priuilegiis*, & docent In- 2

S 2 noc.

noc. Abbas *in cap. quòd dilectio, de consang. & affinit.* Nauarr. *cap.* 12. *num.* 79. Syluest. *verb. priuilegium, quæst.* 3. Sanch. *lib.* 8. *de matrim. disp.* 1. *num.* 1. Suarez *lib.* 8. *de legibus, disp.* 27. *num.* 5. & ratio est, quia priuilegium huiusmodi, licèt sit fauorabile, quatenus ad priuilegiatum refertur, tamen quatenus à iure communi exorbitat, odiosum censeri debet, & consequenter, cùm fauor iuris communis præferatur fauori priuato, fit, quod priuilegium à iure communi exorbitans, strictam potiùs interpretationem habere debeat) tamen ab hoc dicto, seu ab hac regula (vt habet communis opinio Doctorum) excipitur primò, si priuilegium in fauorem causæ publicæ, piæ, religiosæ, alteriúsve fauorabilis (sicuti contingit in casu nostro) datum sit, de qua re Sylu. *cit. quæst.* 3. Tiraquel. *de priuilegiis piæ causæ, priuileg.* 162. *cap* 27. *num.* 7. vbi docent priuilegium exemptionis Clericorum à iurisdictione Principum sæcularium, & Religiosorum à iurisdictione Ordinariorum, amplè interpretandum esse in Religionis fauorem: quia summa ratio est, quæ pro Religione facit, sicuti habetur *in l. sunt personæ, ff. de religios. & sumptib. funerum.* Adde, quod priuilegia, vel dispensationis, non vni personæ; sed toti communitati in perpetuum concessæ, æquantur legibus publico iuris corpori insertis, quæ latam interpretationem habent, sicuti docet præter alios Sanchez *lib.* 8. *disput.* 1. *num.* 3. Henriq. *lib.* 7. *cap.* 22. *num.* 16. Excipitur secundò, si priuilegium, quãuis sit contra ius commune, motu proprio Principis, concessum sit: tunc enim amplam etiam habet interpretationem, veluti quod proprium Principis beneficium est, & ex certa scientia datum censetur, *arg. cap. si motu, de præbend. in* 6. & docet Abbas *in cap. vlt. num. vlt. de translat. Episcop.* Suarez *in cap.* 27. *num.* 8. videatur etiam *cap. quia circa de priuileg. cap. olim de verb. significat. & lex* 3. *ff. de constit. Principum.*

Corollarium I.

Itaque ob rationem dictam (quod scilicet prædictum priuilegium à Tridentino Episcopis concessum latè interpretandum sit) possunt ex vi illius dispensare super omni irregularitate prouenientе ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario, & exceptis aliis delictis deductis ad forum contentiosum (id est, exceptis iis, super quibus trahitur quis ad Tribunal, quousque absoluatur ab instantia) tum non solùm Episcopi consecrati, sed etiam confirmati, etsi nondum consecrati. Item Abbates, & Priores, qui in Diœcesi aliqua iurisdictionem Episcopalem habent, ita Hurtad. *de irregularit. disp.* 2. *diffic.* 20. Item Prælati exempti ab Episcopi iurisdictione: ita Sanchez *cit. lib.* 8. *disput.* 2. *num.* 12. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 18. *num.* 2 *lit. P*, & indicat Nauarr. *cap.* 12. *num.* 75. contra Suar. *loco cit. num.* 7. & ratio est, quia Prælati exempti iurisdictionem Episcopali æqualem in suo territorio habent: quare & Confessarios etiam approbare possunt, teste Suar. 3. *part. tom.* 4. *disp.* 28. *sect.* 5. Item, qui Episcopo in iurisdictione æquiparantur, nempe Capitulum Sede vacante, ita Sanchez *loco cit. num.* 10. Rodriq. *tom.* 1. *regul. quæst. quæst.* 61. *artic.* 9. contra Suar. *de cens. disp.* 41. *sect.* 2. *num.* 13. & ratio est, quia Capitulum Sede vacante, omnem ordinariam Episcopi iurisdictionem exercere potest, sicuti videre est apud Abb. *in cap. verum, num.* 9. *de foro compet.* & Rodrig. *loco cit.* sed hæc

hæc dispensandi, & absoluendi facultas Episcopis ratione suæ dignitatis perpetuo iure concessa, censenda est ordinaria: ergo &c.

Corollarium. II.

Secundò possunt dispensare super irregularitate proueniente ex omni delicto non notorio; aut famoso., id est, non patenti maiori parti viciniæ Collegij, Monasterij, aut alterius communitatis, in qua ad minus decem personæ habitent, quamuis à tribus, aut quatuor (ita vt iudicialiter per testes probari possit) in occulto sciatur: qua de re Nauar. *cap.* 27. *num.* 254 Auila *part.* 7. *disp.* 10. *dub.* 6.

Vbi aduerte, dici etiam occultum crimen, si fiat domi coram multis, vel noctu, vel secundùm quosdam cum stabularij in itinere blasphemant, qua de re Grassius *de casibus reseruatis.*

Corollarium III.

Tertiò possunt dispensare super irregularitate orta ex delicto etiam notorio, dummodò notorium sit crimen tantùm sumptum materialiter, occultum autem sumptum formaliter; vt si notorium sit factum, quia scilicet multi præsentes erant, tamen nesciebant hi id esse prohibitum, ideóque crimen sumptum formaliter occultum remansit, v, g. si Diaconus solemniter infantem baptizauit coram multis nescientibus Diaconum commissionem legitimam non habuisse, aut sine commissione tale ministerium ipsi prohibitum esse: atque ita præter alios docent Auila *loco suprà citato*, & Rodriq. *part.* 1. *summ. cap.* 166. *concl.* 3.

Corollarium IV.

Quartò possunt dispensare super irregularitate proueniente ex delicto occulto, si vbi ipsi dispensant, occultum sit, etsi notorium, aut famosum alibi; atque ita contra Suarez docet Auila *part.* 2. *disput.* 1. *cap.* 7. *dub.* 11. qui citat Sanchez, & alios Doctores Iuristas Salmanticenses consultos de hac re.

Corollarium V.

Quintò licet dispensare non possint super irregularitate orta ex delicto, quamdiu illud sub foro contentioso versatur (etsi, vt docet Henriquez *lib.* 14. *cap.* 7. *num.* 5. non videatur illud plenè probari posse) tamen dispensare possunt, postquam iudicium est finitum; siue quia Reus sit absolutus, esto iniquis, & falsis remedijs, vt falsis testibus, absolutionem obtinuerit, sicuti docet Rodriq. *cap.* 167. *concl.* 4. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 4. *num.* 5. Auila *part.* 7. *disp.* 10. *dub.* 6. moti ex eo, quia in tali casu crimen manet occultum, cessat ratio deducti ad forum contentiosum; siue quia Reus sit cum sufficienti satisfactione punitus, dummodo delictum publicum, aut famosum non sit, sicuti contra Rodriq. *cap.* 168. *concl.* 16. docent Auila *dub.* 7. & alij graues Theologi apud Gutierrez *lib.* 1. *canon.* 99. *cap.* 3. *in fin.* moti ex eo, quia Concilium vetat dispensari super delicto ad forum contentiosum deducto, ad finem, ne iudiciarius processus impediatur, aut imminuatur; quæ ratio cessat, si iudicio finito Reus punitus in Ecclesia toleratur, ideóque delictum occultum manet; quin imò

addo, quod & dispensare etiam probabiliter possunt, quotiescumque iudicium est finitum, & delictum punitum, licèt iam ob id supponatur delictum notorium. Ratio; quia in tali casu etiam non turbatur per dispensationem tribunal Iudicis, quod vitare intendit Tridentinum per dictam exceptionem; atque ita præter alios docet Hurtad. *de irregular. disput. 2. diffic.* 20. vide etiam Auilam *in loco suprà citat.*

Non obstat, quod delictum sit notorium, seu publicum; quia Concilium requirit, ideò esse secretum, vt vitetur publicum scandalum, quod cessat per punitionem, ergò, &c.

COROLLARIVM VI.

SExtò possunt dispensare super irregularitate orta ex mutilatione illicita; atque ita docent Rodriq. *tom.* 1. *summ. cap.* 181. *concl.* 1. Sà *ver. irregularitas ex deformat. illicita, numer.* 7. Auila *part.* 7. *disput.* 6. *sect* 5. *dub.* 4. & alij contra Medinam *lib.* 1. *summ. cap.* 11. *num.* 12. Henriq. *cap.* 9 *num.* 3. *lit. Z*, Sanchez 1. *moral. cap.* 10. *numer.* 49. & ratio est, quia Tridentinum excipit tantùm homicidium, qualis non est mutilatio, ergò &c. Adde quod exceptio firmat regulam in contrarium. Adde secundò, quod huiusmodi exceptiones facultatis Ordinariæ (cuiusmodi est ista dispensandi super omni irregularitate) non sunt extendēdæ vltra verborum proprietatem, sed potius restringendæ; sicuti patet ex dictis; & notauit Finellius *cas.* 3. *num.* 16. Vnde licet homicidium, & mutilatio in iure æquiparentur, quatenus spectat ad causas incurrendi irregularitatem, non tamen æquiparantur, quo ad cætera. Ratio; quia illud, non item hoc, reperitur expressum in iure, ergò, &c.

COROLLARIVM VII.

SEptimò possunt dispensare super irregularitate proueniente ex homicidio occulto; si quis scilicet necem hominis non directè intendit, sed indirectè, seu in causa v. g. si quis mulierem grauidam incautè percussit, & abortum induxit. 1

Item secundò, si quis graui ligno, aut lapide volens solum percutere, occidit. 2

Item tertiò, si quis volens occidere clericum A; & adhibita diligentia, ne occidat Clericum B. occidit Clericum B. seu putans occidere Clericum A. occidit Clericum B. quem adhibita debita diligentia certò putabat esse Clericum A. in quo casu neque etiam incurrit excommunicationem, *si quis suadente Diabolo*, sicuti docet Suarez *de cens. disp.* 22. *sect.* 1. *num.* 14. & ratio est, quia licet in dicto casu homicidium Clerici sit volitum, non tamen est voluntarium; excommunicatio autem annexa est, non homicidio Clerici volito, sed voluntario, ergo, &c. Vnde etiam sequitur, quod si quis velit occidere vtrumque Clericum A. & B. & incidens in Clericum A. putando inuincibiliter esse Clericum B illum occidat, quem etiam occidisset, si cognouisset eum pro Clerico A. neque etiam incurrit excommunicationem. Ratio, quia in hoc casu est ignorantia concomitans, quæ licet non faciat inuoluntarium, facit tamen non voluntarium, & sic eximit ab excommunicatione, quæ annexa est Clericidio voluntario. Vnde etiam sequitur, quod si vtrumque Clericum 3

ricum A. & B. occidat, sed A. putans esse inuincibiliter B. & B. putans esse inuincibiliter A. nunquam etiam excommunicationem incurrit: vtrumque enim Clericidium per ignorantiam concomitantem est non voluntarium: verumtamen est, quod in his casibus, præter Clericidium internè volitum, tenetur is confiteri actum externum: nam licet occisio non sit voluntaria, conatus tamen occidendi illum Clericum, qui ex errore adesse putatur, est voluntarius (est enim ex odio talis Clerici vt præcogniti) excommunicatio autem non est annexa conatui percutiendi, vel occidendi Clericum, sed percussioni, vel occisioni Clerici, quæ in talibus casibus non est voluntaria, ergò, &c.

4 Item quartò, si quis tegulam è tecto improuide deiecit, & hominem occidit.

Item quintò, si quis iniquè alterum verberari mandauit, & prohibuit, vt occideretur; mandatarius autem terminos mandati excedens homicidium effecit, iuxta *capit. vlt. de homicid. in 6.*

5 Item sextò, si quis ad rixam prouocatus, accessit animo percutiendi tantùm, postea autem, ne à prouocante occideretur, occidit; & idem dico de similibus aliis casibus, licet proueniant ex opere, cum quo frequenter coniuncta est hominis occisio: atque ita docent Nauarr. *cap.* 27. *num.* 140. *&* *lib.* 5. *consil.* 27. *de homicid. edit.* 2. Suar. *disput.* 44. *sect.* 1. *num* 4. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 19. *num.* 2. Sà *verbo homicidium*, *num.* 6. Auila *part.* 7. *disput.* 6. *sect.* 5. *dub.* 5. *contra Caietan.* 2. 2. *quæst.* 64. *artic.* 8. Couar. *part.* 2 *clement. initio*, *num.* 1, & Azor. *tom* 3. *lib.* 2. *cap.* 14 & ratio est, quia ex dictis per homicidium voluntarium indispensabile intelligi videtur tantum, quod est simpliciter ac perfectè voluntarium: huiusmodi autem dicta homicidia, cùm non sint ex proposito directo, ac formali occidendi, non sunt simpliciter ac perfectè voluntaria, sed veluti mixta ex voluntario & casuali (sicuti docet S.Thom. *cit. quæst.* 64. *art.* 8. & Nauarr. *cit. cap.* 27. *num.* 219. Ergo, &c.

Corollarium VIII.

Octauò possunt dispensare super irregularitate orta ex homicidio occulto, causa defensionis facto, etsi cum excessu moderaminis inculpatæ tutelæ, atque ita docent Nauarr. *cit. cap.* 27 *num.* 140. *&* *consil.* 36. *de homicid. edit.* 2. Henriq. *cap.* 19. *num.* 3. Auila *dub.* 5. Et ratio est, quia huiusmodi homicidium etiam non est simpliciter & perfectè voluntarium. Ergo, &c. Idemque dico de homicidio facto ex subita ira: quapropter & super tali homicidio etiam dispensare possunt, sicut in specie notauit Hurtad. *disput.* 2. *de irregular. difficult.* 20.

Corollarium IX.

Nonò, possunt dispensare super irregularitate proueniente ex homicidio occulto, quod commisit is, qui verbi gratiâ, ex commiserationis affectu motus infirmum vertit, vt liberet eum ab angustiis mortis: atque ita docet Auila *in fine disput.* 6. contra Henriq. *cap.* 19. *num* 3. & ratio est, quia ex dictis etiam, per homicidium voluntarium indispensabile intelligi videtur solùm, quod simpliciter, & perfectè voluntarium est: & præterea fit animo crudeli, vel inimico. Ergo, &c. videatur etiam

etiam Victoria *de sacrament. ordin. num.*139.

Corollarivm X.

Decimò, etsi non possint dispensare cum homicida perfectè voluntario occulto, quoad ordines minores, seu accipiendos, seu exercendos, neque ad beneficium simplex (cùm id in Tridentino clarè prohibeatur iis verbis: *Omni ordine, ac beneficio careat*, sicuti notauit præter alios Nauarr. *num.*240. Lopez *part.* 2. *instruct. cap.*93. Sayrus *lib.* 7. *thes. cap.*7. *num.*14. Auila *part.*7. *disput.* 6. *sect.* 5. *dub.*3. contrà Sà *verbo irregularitas ex deform. illicita*, *num.* 7. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 57. *num.* 1. *&* *lib.* 14. *cap.* 19. *num.*11.) tamen in homicidio casuali mixto, siue indirectè voluntario, quamuis notorium sit, dispensare possunt, saltem ad Ordines minores, & beneficium simplex, non curatum: atque ita docent Doctores *in cap.* 2. *de clericu pugnant. in duello.* Syluest. *verbo homicidium* 3. *quæst.*8. Nauar.*cap.* 27. *num.* 240. Sayrus *num.* 20. Henriq. *num.* 2. Auila *cit. sect.* 5. *dub.*2 *ex cit. cap.*2. *&* *cap. ad audientiam*, *de homicid.* & ratio est, quia huiusmodi iura per Concilium Tridentinum nullatenus mutata sunt, quantum spectat ad homicidium indirectè voluntarium. Ergo, &c. quin addunt Nauarr. & Auila *in loc. suprà cit.* quod Episcopi, & qui in diœcesi iurisdictionem Episcopalem habent (vt *suprà* dicebatur) dispensare possint etiam cum eiusmodi homicida ad retinendum beneficium curatum, anteà obtentum.

Svbsectio XXXIV.

Proponitur circa tertium exemplum positum Aduertenda quædam.

1 Aduerte tamen hîc, quod qui habent priuilegium dispensandi super omni irregularitate, excepto homicidio, bigamia, &c. ij dispensare possunt in irregularitatibus prouenientibus ex homicidio indirectè, vel imperfectè voluntario; & in eo, quod factum est causa defensionis, quamuis cum excessu moderaminis inculpatæ tutelæ, sicuti constat ex iis quæ in subsectione præcedenti dicebantur, & videri potest Caietan. 2. 2. *quæst.* 64. *art.*8. Item dispensare possunt in irregularitate proueniente ex homicidio iusto, ob defectum perfectæ lenitatis, vt in Milite, Iudice, Assessore, Accusatore, Aduocato, Teste, &c. sicuti docet Caietan. *verbo irregularitas*, Armilla *eodem vers. numero* 13. Henriquez *cap.* 13. *num.*5. *lit.R*, *&* *cap.* 19. *num.*2. *lit. F*, Auila *sect.* 5. *dub.* 1. Rodriq. *tom.*1. *reg.* 99. *quæst.* 24. *art.*8. & ratio est, quia ex dictis nomine homicidij indispensabilis, id est, super cuius irregularitate dispensationem Papa in omnibus priuilegiis sibi reseruare solet, intelligitur solum homicidium voluntarium iniustum. Dixi, *iniustum:* nam si verbi gratiâ, clericus contra canones in bello iusto pugnasset, & propria manu occidisset, possent cum eo dispensare ij, qui habent priuilegium dispensandi super omni irregularitate, excepto homicidio, bigamia, &c. sicuti docent Rodriq. & Auila *in loc. suprà cit.* quamuis si facultas dispensandi priuilegiatis

giatis concessa tantum sit pro foro conscientiæ, ea illi non facilè vti debent, si factum notorium sit: quia in externo foro Episcopi talem dispensationem admittere non coguntur; vide quæ Nauar. tradit *lib. 5. consil. 39. de homicid. adit. 2.* & *quæ suprà subsect. 32.* dicebantur.

2 Hinc tamen non infertur, quod Episcopi, seu qui Episcopalem iurisdictionem habent, ex vi facultatis sibi à Tridentino concessæ dispensandi super omni irregularitate proueniente ex delicto occulto, dispensare etiam possint cum Milite, Iudice, Accusatore, &c.& in similibus aliis irregularitatibus absque delicto contractis, ob lenitatis defectum; atque ita ex communi docent Nauarr. *cap. 27 num. 194. & cit. consil. 39 de homicid* Henriq. *cap. 19. num 4. lit. L,* Auila *cit. dub. 1. §. ex dictis,* Rodriq. *in summa, pars. 1. c. 174. conclus. 3.* Hurtad. *de irregular. disput. 2. diffic. 20.* contra Couarr. *in clement. pars. 1 §. 3 in fine*, & aliquos alios innominatos apud Hurtad. *in loc. suprà cit.* & ratio est, quia talis irregularitas non prouenit ex delicto, super quam possunt Episcopi, si delictum sit occultum, sed ex defectu perfectæ lenitatis. Ergo, &c.

3 Aduerte secundò, quod Religionum Prælati ex vi suorum priuilegiorum magnam potestatem habent dispensandi cum suis, super omnibus irregularitatibus, excepta ea, quæ ex homicidio voluntario, aut bigamia vera, vel interpretatiua prouenit, sicuti videre est apud Rodriq. *tom. 1. regul. 99. quæst. 24. art. 2. & seqq.* quamuis Henriq. *lib. 12. cap. 6. num. 11.* Auila *disput. 8. dub. 4. conclus. 8.* existiment etiam in bigamia illos per priuilegia sua dispensare posse, quin & in homicidio, ad Missæ tamen celebrationem, præsertim quia Mendicantes speciale priuilegium habent à Martino V. concessum, dispensandi cum suis super irregularitate ex homicidio non notorio, sicut videre est apud Rodriq. *cit. quæst. 24 art. 12.*

At quidquid sit de istis priuilegiis, 4 illud tamen omnibus fatendum est, quòd per professionem in Religione approbata tollitur irregularitas, quæ est ex defectu natalium, quantum spectat ad ordinis susceptionem, etsi non etiam quantum spectat ad prælationem, vt sumitur *ex cap. 1. de filiis Presbyter.* vbi dicitur, *quod si ij illegitimè nati ad sacros ordines non promoueantur, nisi aut monachi fiant, aut in Congregatione canonica regulariter viuant; prælationem verò nullatenus habeant.* qua de re vide Sotum *in 4. distinct. 25. quæst. 1. art. 3.* Henriquez *lib. 14. cap. 8 num. 10.* Auilam *part. 7. disput. 10. dub. 3.* & Medinam *in instruct. cap. 11. §. 12.*

Item fatendum est, quod si in priuilegio dispensandi super irregularitatibus excipiatur bigamia, non est intelligendum de similitudinaria, quia hæc indispensabilis non censetur; sicut præter alios notat Layman *lib. 1. tract. 5. part. 5. cap 6. num. 6.* Item si excipiatur homicidium voluntarium, non intelligitur de imperfectè, & indirectè, sed tantum de perfectè, & directè, volito; quodque sit (licet occultum) iniustum, seu malum quoad substantiam; vt patet ex iis, quæ *suprà in primo aduertendo* dicebantur.

Aduerte tertiò, quòd cùm in priuilegiis, quin etiam in Bulla Cruciatæ, vel Iubileo, &c. datur facultas absoluendi ab omnibus censuris, pœnis, & sententiis, non venit facultas tollendi irregularitatem ex defectu (vt omnes conueniunt) nec etiam venit facultas tollendi irregularitatem ex delicto, & ratio est, 5

quia irregularitas non tollitur absolutione, seu solutione, sed dispensatione; tum quià talis irregularitas non est censura, neque pœna, neque sententia; cum solo iure inducatur, ergo, &c. atque ita docent Molina *de iust. & iur. tom. 4. tract. 3. disp.* 8. Henriquez *lib. 14. cap.* 17. *num.* 4. *in gloss. lit. L.* Reginald. *tom.* 2. *lib.* 30. *tract.* 2 *cap.* 3. *sect.* 3. *num.* 24. Suarez *in* 3. *part. tom.* 5. *disp.* 40. *sect.* 3. *num.* 3. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 11. *cap.* 1. *num.* 9. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 85. *num.* 7. Graffius *de casibus reseruatis lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 35. Sanctarellus *de iubil. cap.* 7. *dub.* 5. Beia *part.* 1. *cas.* 17. Zerola *in praxi Episcop. part.* 1. *verb. irregularitas, num.* 13. *& part.* 2. *eod. vers. num.* 7. Chapeuilla *de casibus reseruatis part.* 1. *cap.* 4. *dub.* 5. Fabrus *de sacr. ordin. dist.* 25. *quæst.* 1. *disp.* 3. *num.* 35. Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 17. *num.* 43. Miranda *tom.* 2. *quæst.* 33. *art.* 11. *conclus.* 3. Parisius *de resignatione benef. lib.* 8. *quæst.* 7. *num.* 213 Homobonus *part.* 1. *tract* 5. *cap.* 6. *quæst.* 36. qui citat Caietanum, Nauarrum, Sotum, Viualdum, Sayrum, & Maiolum; ita etiam docet Auila *de cens. part.* 7. *disput.* 10. *dub.* 4. *conclus.* 2. qui citat Villadieg. Lopez & Ledesma, ita etiam docent Acosta *in bulla quæst.* 48. Hurtadus *de irregul. disp.* 2. *difficult.* 20. & alij contra Bañes, Salonium, Aragonium *in* 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 8. Sotum *in* 4. *d.* 22. *quæst.* 3. *art.* 1. Nugn. *in* 3. *part. tom.* 2. *tract. de Bulla* § *vltimo* Medina *part.* 2. *quæst.* 99. *art.* 4. Ledesmam *tomo* 1. *tract. de cens. cap.* 1. *conclus.* 3. Corduba *quæst.* 28. Fernandez *part.* 3. *cap.* 9. §. 14. *num* 1 Vegam *in spec. curat. tom.* 2. *cap.* 12. *num.* 323. *& in summa tom.* 2. *cap.* 15. *cas.* 8. Guttierrez *lib.* 1. *cap.* 37. *num.* 6. Salas *de legibus tract.* 15. *sect.* 1. *concl.* 2. *num.* 16. Carb. *de legib. lib.* 8. *disp.* 5. Naldum *in summa vers. irregularitas, num.* 25. Ioan. de la Cruz *part.* 2. *tract. de irregular. dub.* 15. *concl.* 2. & Rodriquez *in Bulla* §. 9. *num.* 19.

7 Aduerte quartò, quod Religionum Prælati: itémque de consensu ipsorum cæteri religiosi Confessarij, possunt ex vi suorum priuilegiorum (quando absoluunt siue similes Regulares, siue etiã Sæculares) vti formula dispensandi ab omni irregularitate; quin & dispensare cum iisdem super irregularitate contracta ob violationem censuræ, sicuti videre est apud Peregrinum *in compendio priuilegiorum vers. absolutio, & vers. dispensatio.*

8 Aduerte quintò, quatenus spectat ad corporis vitium, quod quum teste Auila *part.* 7. *disp.* 3. *dub.* 3. *in tractatu de irregularitate* doctrina tradatur, quod si nimis magna sit corporis deformitas, ita vt populo Christiano scandalum generare possit, Papa non dispenset, secus si deformitas non sit magna, qualis est, v. g. macula albuginis in oculo, iuxta *cap.* 2. *de corp. vitiatis* cum quo tamen, si Religiosus fieri vult, dispensari posse, docet Syluest. *ver. corpore vitiatus, quæst.* 4. §. 6. Angelus *numero* 2. quamuis melius sentiat Maiolus *lib.* 18. *cap.* 20. quod si magna sit deformitas, casus sit Papæ reseruatus; & quod num deformitas illa sit magna, necne spectet ad arbitrium Episcopi, qui faciliùs etiam ad ordines admittere potest eum, qui Religionem ingredi vult; Itemque quum ibidem teste Maiolo *lib.* 1. *cap.* 18. doctrina etiam tradatur, quod si talis deformitas, verbi gratia. oculi cæci, aut maculosi, superueniat Clerico post Sacerdotij susceptionem sine culpa eius, celebrare possit, donec ipsi ab Episcopo prohibeatur; quamuis tutius

tutius sit, vt petatur arbitrium Episcopi, qui considerata causa, licentiam plerumque dare poterit, saltem vt priuatim celebretur, vel etiam publicè, si scilicet non tam magna sit deformitas, vt scandalum possit generare, (idemque dico de claudicatione, gibbo, &c.) & ratio est, quia longè maior deformitas requiritur, ob quam aliquis, postquam ordinatus est, à ministerio repelli debeat, quàm vt ad ordinationem admittatur; quum (inquam) *in tractatu de irregularitate* doctrina, vt *suprà*, tradatur, dicendum consequenter est, quòd si valdè magna deformitas sit, ita vt Papa dispensare non soleat, Prælatus priuilegiatus non possit dispensare ad ordines suscipiendum, vel susceptis vtendum, quod si autem deformitas tanta non sit, quin Papa soleat dispensare, puta si sit oculi deformitas, claudicatio, seu priuatio pedis, vt cum ligneo pede ad altare accedere oporteat, cum tali dictus Prælatus dispensare possit, saltem vt susceptis ordinibus vti, & sacerdoti celebrare liceat; atque ita docet Rosella *vers. vitiatus, num.* 1. Maiolus *lib.* 1. *de irregular. cap.* 18. Auila *part.* 7. *disp.* 3. *dub.* 3. qui cum Syluest. *vers. corpore vitiatus, quæst. vltim.* Angelo *vers. eod. num.* 1. eamdem facultatem, in hoc claudicationis casu, dispensandi cum sacerdote religioso concedunt Episcopo, cauenda tamen est in vsu harum dispēsationum Ordinariorum offensio, populi admiratio, vel scandalum.

9 Aduerte sextò, quod si Sacerdos, qui occultum homicidium commisit, si non celebret, in suspicionem sceleris venit cum vitæ periculo, vel graui dispendio famæ, aut bonorum, debet in tali casu in primis operam dare, vt quamprimum à summo Pontifice dispensationem obtineat, interim tamen post peractam pœnitentiam celebrare potest, quoties necessitas sic exiget, ad vitandam infamiam, vel aliud vitæ, aut bonorum graue periculum; atque ita docet Nauar. *cap.* 27. *num.* 239. Castro *lib.* 2. *de lege pœnali, cap.* 15. Molina *tract.* 3. *disp.* 79. Gutierez *lib.* 1. *canon.* 99. *cap.* 13. *numer.* 21. & ratio est, quia lex naturalis, & diuina de defendenda propria fama, &c. præstat legi humanæ de abstinendo à sacro in irregularitate: nam lex illa fortiùs ligat, quàm ista, quæ quinimò non obligat cum magno rigore; eadémque (etsi contrarium doceat Couarr. *cap. alma part.* 1. §. 2. *num.* 11. *in fine*) ratio est de alijs irregularitatibus, & censuris: vnde quamuis excommunicato interdicta sit susceptio, siue vsus passiuus sacramentorum, *cap. cum illorum cap. si quem de sentent. excommun.* tamen, si excusat grauis necessitas, ad euitandum periculum mortis, mutilationis, infamiæ, iacturæ bonorum, scandali, & similium, poterit is, non obstante occulta censura licitè, ne dum validè sacramenta suscipere, v. g. si vrgeat prædicta, vel similis alia necessitas ad excommunicandum, celebrandum, &c. poterit, qui habet casus reseruatos cum censura, simplici Confessario omnia peccata, tam non reseruata, quàm reseruata (ad hoc vt Confessio sit integra) confiteri; vel (ne habeat bis eadem peccata, scilicet reseruata, confiteri, quod est magnum onus, & à nemine impositum) confiteri tantùm non reseruata, & reticere reseruata; vel si hoc etiam facere non velit, elicere, tanquam non habens copiam Confessoris, solùm actum contritionis, & sic communicare, vel celebrare &c. Vide Durandum *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 19. Richard. *ibid. art.* 2. *quæst.*

8. *ad* 2. Adrian. *quæst.* 4. *de Confessione* Alensem *part.* 4. *quæst.* 18. *membr.* 4. *art.* 5. §. 2. *ad vlt.* Angelum, *ver. Confessio*, 1. §. 7. Caiet. *verf. absolut. impedimenta*, *& in opusc. quæst.* 1. *de qualit. Confess.* Suar. *in* 3. *part. tom.* 4. *disp.* 31. *sect.* 3. *num.* 6. *& tom.* 5. *disp.* 10. *sect.* 3. *num.* 9. Nauar. *cap.* 9. *num.* 3. Couar. *in cap. alma mater*, *part.* 1. §. 2. *num.* 5. Petrum de Soto *lect.* 10. *de Confess.* Filliucium *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 7. *num.* 213. Vegam *tom.* 1. *cap.* 11. *num.* 273. Chapeuill. *de cas. reser. cap.* 8. Sancium *in select. disp.* 32. *num.* 10. Ioannem de Lugo *de sacramento Eucharistiæ disput.* 14. *sect.* 5. Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 2. *cap.* 2. *num.* 1. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 9. *diff.* 40 *numer.* 7. quamuis alij non improbabiliter contrarium sentiant, vt Palud. *in* 4. *distinct.* 17. *quæst.* 6. *art.* 1. & alterum Ledesmam *de pœnit. cap.* 20. *dub.* 2. Vasq. *in* 3. *part. tom.* 4. *de excommunic. dub.* 4. *num.* 8. & Tolet. *lib.* 3. *cap.* 8. §. *tertius casus.* Item si Diacono recenter ordinato, qui se ab ordine suspensum nouit, offeratur in Missa Episcopi Euangelium canere, quod commodè sine infamia, scandalo, vel alio periculo graui, &c. (vt suprà dicebatur) declinare non potest, poterit is, nihil impediente censura occulta, Euangelium canere; idémque dico de alijs similibus casibus: Vide Layman *loc. suprà cit. par.* 5. *cap.* 3. *in fine.*

10 Adde, quod si Sacerdos, qui occultum homicidium commisit, non habet facilem recursum ad Papam, potest Episcopus ob rationem dictam in tali casu cum illo dispensare, vt scilicet in susceptis Ordinibus ministrare liceat; atque ita docet Sylu. *ver. dispensatio*, *num.* 15. Henriq. *cap.* 19. *num.* 1. *&* 2. Auila *part.* 7. *disput.* 6. *sect.* 5. *dub.* 3. *conclus.* 1. quamuis tunc Episcopus non tollat simpliciter irregularitatem, sed tollat solum eius effectum suspensioni similem, vt nimirum interim Sacerdos celebrare possit, donec culpa, & defectus occultus manet, & à Papa dispensatio impetrabitur.

SVBSECTIO XXXV.

Proponitur, & explicatur IV. exemplum.

QVod dixi de concessione indulgentiarum; item de priuilegio concesso Religionum Confessarijs absoluendi quoscumque Christi fideles à quibuscumque peccatis, & à quibuscumque censuris, ac pœnis inde resultantibus, exceptis, &c. Item de priuilegio Episcopis concesso dispensandi super omni irregularitate proueniente ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario, &c. quod latè scilicet talia priuilegia interpretanda sint, quia sunt fauor, & beneficium; idem intelligas etiam de priuilegio à Tridentino *cit. sess.* 24. *cap.* 6. *de reform.* Episcopis concesso absoluendi in foro conscientiæ subditos suos à quibuscumque casibus occultis, etiam si sedi Apostolicæ reseruati fuerint. 1

Vnde quamuis ex vi reseruationis Bullæ Cœnæ à casibus eiusdem Bullæ Cœnæ, & annexa ibi excommunicatione nemo, quamuis Episcopali, aut maiori dignitate Ecclesiastica prædítus præter summum Pontificem, eiúsque specialiter delegatum absoluere possit, tali tamen Bullæ reseruatione, non est prædicto priuilegio à Tridentino Episcopis concesso derogatum, ita vt non possint 2

possint in posterum in foro conscientiæ absoluere subditos suos à casibus Bullæ Cœnæ, si illi occulti fuerint; idque propter rationem, quam *suprà* dicebamus.

3 Confirmatur, quia vitanda est, quantum fieri potest, correctio iuris, præsertim Concilij Tridentini, quod tantæ authoritatis est, & tanti æstimatur à summis Pontificibus, qui post illud Ecclesiam gubernarunt; cum ergò tam disertè prædictum Concilium det Episcopis facultatem absoluendi ab hæresi occulta, & cæteris casibus occultis in Bulla Cœnæ contentis, non est credendum Episcopis eam facultatem fuisse reuocatam virtute Bullæ Cœnæ postea promulgatæ, si cum ista consiliari potest; quod autem consiliari possit, probatur; quia sic sentiunt tot graues Authores *infrà* citandi, quorum in explicando ius magna authoritas est. Secundò, quia licèt in Bulla Cœnæ nouissimè à Gregorio XV. edita perspicuis, disertísque verbis negetur facultas absoluendi à casibus in illa contentis, & consequenter ab hæresi, etiam virtute clausulæ Concilij generalis, quamuis in illa in genere, vel in specie oppositum concessum fuerit; tamen adhuc dici potest, quod Bulla Cœnæ tantùm prohibeat absolutionem hæresis, & aliorum criminum in ipsa contentorum, quando publica sunt, non item quando occulta; & ideò non deroget facultatem Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est.

4 Neque obstat, si dicas, Pium V. Gregor. XIII. & Clementem VIII. contrarium declarasse: nam respondetur cum Fagundez, & Sousa in locis *infrà* citandis, quod de eorum declarationibus Pontificijs non constet authenticè; & cum res sit ita grauis, & illam scientibus Pontificibus controuersa, deberent illam expressiùs; aliquo speciali decreto declarare; quod adhuc factum non est, ergò &c. Adde quod cum aliunde tam perspicuè constet de facultate Tridentini, & non constet de illius reuocatione, non cogimur credere illam esse reuocatam.

Neque obstat secundò, si dicas, in generalis Inquisitionis Prætorio Romano sæpè pronunciatum esse quod iam non possint Episcopi absoluere ab hæresi occulta: nam respondetur, sic ibi pronunciatum esse secundum oppositam sententiam, quæ probabilissima est: sed quoniam nondum nobis præcepit eam amplecti, licitum est adhuc contrariam etiam reputare probabilem, sicut & reputarunt alij non modicæ notæ Doctores mox *infrà* citandi. 5

Neque obstat tertiò, si dicas, extare de hoc duo responsa Congregationis Cardinalium, in quibus (vt videre est apud Suarez in loc. *infrà* citando) declaratur, facultatem Tridentini Episcopis ablatam esse: nam respondetur similiter, responsa esse quidem magnæ authoritatis, sed non sufficere ad tollendam contrariæ sententiæ probabilitatem. 6

Quapropter sententiam hanc in Episcoporum fauorem contra Doctores, quos citat & sequitur Barbosa *de potest. Episcop. part. 2. allegat.* 40. *num.* 21. & Ricciullus *in tract. de iure pers. lib.* 5. *cap.* 14. *num.* 9 & contra Suarium *part.* 3. *tom.* 4. *disput.* 30. *sect.* 2. *& tom.* 5. *disput.* 21. *sect.* 3. *num.* 5. Toletum *lib.* 1. *cap.* 41. Syluium *in* 2. 2. *quæst.* 11 *art.* 3. *queritur* 2. *in fin.* Fabrum *de sacrament. Ordin. distinct.* 15. *quæst.* 1. *disput.* 3. *cap.* 4. *num.* 126 Riccium *part.* 3. *decis.* 280. *num.* 1. Gratianum *in disceptat.* 7

tom. 3. *cap.* 414. *num.* 20. Bellocchium *de casib. reseru. part.* 2. *quæst.* 1. *numero* 275. Homobonum *de exam. Eccles. part* 2. *tract.* 12. *cap.* 4. *quæst.* 16. & *de statibus part.* 1. *cap.* 8. Garſ. *de benefic. part.* 11. *cap.* 10. *num* 115 Megalium *part.* 1 *lib.* 1. *cap.* 13. *numero* 10 & 15. Torreblancam *de magia lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 17. Valerum *verbo hæresis*, *diffic.* 5. *num.* 1 Villalobum *part.* 1 *tract.* 9. *dub.* 6. *num.* 2 & 5. Sanctarellum *in tract. de hæresi*, *cap.* 5. *dub.* 5. *num.* 21. Scortiam *in Constit. Pontif. epitom.* 166. *theorem.* 431 Ragucium *in lucerna Paroch. quæst.* 125. *num.* 5. Nouarium *in singul. conclus.* 3. *num.* 1. Antonucium *lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 9 & Floronum *de casib. reseruat. part* 1. *cap.* 4 § 22. *num.* 2. & 4. docent probabiliter Bañes 2.2. *quæst.* 11. *art.* 4. *post* 2. *conclus.* Lorca *ibidem quæst.* 11. *art.* 4. *disput.* 45. *num.* 10. Nauarr. *lib.* 1. *consil. tit. de constitut. consil.* 1. *quæst. vlt.* Simancas *tit.* 3. *numer.* 6. Guttierrez *lib.* 1. *quæstionum canonic. cap.* 13. *ad fin.* Granad. *in* 2.2. S.Thom. *controuers.* 1. *tract.* 15. *disput.* 14. *sect.* 2. *num.* 8. & *seq.* Nugnus *tom.* 2. *in addit. ad* 3. *part. quæst.* 8. *art.* 5. *dub.* 10. *in fin.* Ledesma *in summa, tom* 2. *tract.* 1. *cap.* 6. *conclus.* 20. *difficult.* 7. Sà *verb. Episcopus*, *num.* 37. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 14. *num.* 7. & *in gloss. M*, & *lib.* 13. *cap* 27. *num.* 5. *litt. Q*, Auila *part.* 2. *cap.* 7. *disput.* 1. *dub.* 6. Rodriquez *tom.* 1. *regul.* 99. *quæst.* 20. *art.* 10. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 15. *num.* 27. Fagundez *de præcept. Eccles. tract.* 2. *lib.* 8. *cap.* 8. *num.* 32. & 33. Puteanus *in* 2.2. *quæst.* 11. *art.* 4. *dub.* 2. Portell. *in addit. ad dubia Regul. verbo Episcopus*, *num.* 1. Souza *in Bull. Cœn. cap.* 23. *disput.* 100. *conclus.* 3. *num.* 7. & Sancius *in select. disput.* 50. *num.* 32. quorum ſententiam tutius in praxi ſequi poſſunt Epiſcopi in regionibus ab vrbe diſtantibus gubernantes, ſicuti ſpeciatim de abſolutione ab hæreſi occulta docuit Nauarr. *lib.* 5. *consil.* 11. *de priuileg. edit.* 2. vbi ſubdit, quod cùm Tridentinum *in loc. cit.* facultatem abſoluendi ab hæreſi occulta Epiſcopis tantum, non etiam eorum Vicariis generalibus concedit, intelligendum id ſit de iure ordinario, ac veluti ex officio, generaliter ad omnes caſus; ita vt interim nihil obſtet, quominus Epiſcopus Vicario ſuo, vel alteri idoneo viro talem facultatem ſpecialiter ad caſum particularem hîc, & nunc occurrentem, committere poſſit *argum. cap. vlt. de offic. ordinarij*, *in gloss.* vbi dicitur: *si cui ex officio, vel priuilegio dignitatis sua competit absoluere, aliúmve iurisdictionis actum exercere, potest id etiam per alium facere*: correctio enim iuris antiqui ſine neceſſitate introducenda non eſt; quare hanc Nauarri ſententiam cum aliis ſecutus eſt Azorius *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 10. *quæst.* 11. Sà, *verb. Episcopus num.* 37. Emanuel Rodriquez *cit. quæst.* 20. *art.* 11. Henriquez *lib.* 6. *capit.* 14. *num.* 7. & *in gloss. litt.* O Sanchez *in cit. cap.* 15. *num.* 23. Granad. *in loc suprà cit. num.* 7. & complures alij contra Lorcam *in* 2.2. *disput.* 45. *num* 29. Molinam *de iustitia*, *tract.* 5. *disput.* 18. *num.* 1. Garſ. *de beneficiis*, *tom.* 2. *part.* 1. *cap.* 10. *num.* 113. Guttierrez *lib.* 1. *can.* 99. *cap.* 13. *num.* 19. & Suarez *in* 3. *part. tom.* 4. *disp.* 30. *sect.* 2. *num* 9. & 15.

Addendum primum.

Adde primò, quòd Epiſcopi abſoluere poſſunt ab hæreſi, etiamſi coram quinque, vel ſex (ita vt probari poſſit in iudicio) illam quis protulerit, dummodò tamen crimen ſit occultum, id

eſt,

est, non pateat maiori parti Communitatis, quæ saltem decem personis constet: atque ita contra Rodriq. *in addit. ad Bullam Cruciatæ*, §.9.*num.69.suprà* dicebamus, & docet Granad. 2. 2. *S. Thomæ,contra* 1. *tract.*15 *disp.*14 *sect.*2. *num.* 6. & Fagundez *vbi suprà.* Vide etiam Portel,*addit.ad dubia Regul.verb. dispensare*, *num.9.*

Addendum secundum.

Adde secundò, quòd Episcopi absoluere possunt ab hæresi omnes,qui quomodocumque ad suam diœcesim pertinent, siue quia domicilium in illa habeant, siue quia ibi sint tanquam peregrini;siue quia ipsi Episcopi existentes extra diœcesim velint alicui sibi subdito, in hæresim lapso, absolutionis beneficium impedire.Vide, quæ mox *infra* dicentur, & Granad. *in loco suprà cit.*

Addendum tertium.

Adde tertiò, quòd Episcopi absoluere possunt ab excommunicatione hæresis, etiam extra Sacramentum Confessionis: nam cùm dicitur, quòd possint in foro conscientiæ, per talem particulam non intelligitur forum Sacramentale, audita confessione; sed tantum denotatur, vt absolutiò (si contingat hæresim in iudicium deduci) in foro externo non prosit: atque ita docent Claudius Soleri *de potest. Confess. cap.* 30.§.1.Homobon. *de exam. Eccles.part.* 1.*tract.* 5. *cap.* 5. *quæst.* 31. & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.* 2. *mor. cap.* 11. *num.* 13. qui etiam subdit *num.* 17. posse Episcopum in tali casu absoluere subditum in absentia: quia talis absolutio non est Sacramentalis, qualis est à peccatis: & etiamsi subditus sit extra diœcesim, quidquid in contrarium asserat Suar.3. *part.tom.5.disp.*41. *sect.2.num.* 10. & 11. item etiamsi ipse Episcopus cum subdito extra diœcesim inueniatur: quia nihil obstat, quominus iurisdictio non contentiosa:sed voluntaria, in territorio alieno exerceatur: cum per exercitium talis iurisdictionis territorium alienum inuadi,seu violari non videatur: qua de re Abb. *in cap. nouit.num.* 3. *de offic.legati*, Nauar.*cap.* 27.*num.* 6 & Sayr. *lib.* 1.*thes. cap.6.propriè finem.* Vide,quæ dicebantur *suprà subsectione* 32. *corollar.*5.& 6.

Addendum quartum.

Adde quartò, quòd Episcopi possunt etiam dispensare super irregularitatẽ ex occulta hæresi prouenientem; atque ita contra Ricciullum *lib.* 5.*cap.*16.*num.* 5. docent Sanchez *lib.* 2. *mor. cap.* 25. *num.* 17. & Vgolin. *tract. de irregular. cap.* 36. *num.* 5. quinimò Petrus Corneio *in* 3.*part. S. Thom. tract.*5. *de irregular. disput.* 9. *dub. vnic. quæst.* 4. subdit, quod ob peccatum hæresis secundùm se, seclusa infamia, non incurratur irregularitas; & meritò, quia infamia iuris, & quæ inde nascitur irregularitas, non contrahitur ob solam criminis admissionem, si crimen occultum maneat, seu in publicam notitiam non deueniat, sicuti contra S. Antoninum *part.* 3. *tit.* 28. *cap.* 6. §. 7. Sylu. *verbo irregularitas*, *quæst.*14. & Suar. *disput.* 48. *sect.*1. *num.*17. cùm ait, quod talis, qui occultè commisit crimen, cui infamia ipso iure annexa est, teneatur abstinere ab ordinibus tanquam irregularis, si cesset periculum se infamandi, &c.docent ex probabiliori opinione gloss. *in cap. inquisitionis*, *de accusat.* Abbas *in cap. ex tenore*, *de tempor. ordinat.* Co-uar.

uarr. 3. *resolut. cap.* 3. *num* 2. Nauar. *cap.* 27. *num.* 248. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 36. *& lib.* 14. *c.* 5. *num.* 2. Auila *p.* 7. *disput.* 4. *dub.* 7. *conclus.* 1. Coninch. *disput.* 18. *dub.* 7. *numero* 56. Hurtad. *de irregularit. disp.* 2. *diffic.* 4. qui etiam regulam tradunt *ex cap. vlt. de tempor. ordinat.* quòd per nullum crimen occultum, excepto homicidio, adde tu violationem censuræ Ecclesiasticæ, irregularitas contrahitur.

Addendum quintum.

Adde quintò, quòd Episcopi quidam in partibus septemtrionalibus ob casuum frequentiam, & difficultatem adeundi Romam, per se, vel per Vicarium suum absoluere consueuerunt subditos suos ab hæresi, etiam manifesta.

Addendum sextum.

Adde sextò, quòd Becanus testatur 2. 2. *cap.* 15 *quæst.* 2. *num.* 6. Bullam Cœnæ Domini in multis Germaniæ Prouinciis non esse vsu receptam, saltem quoad omnia, quæ ibi continentur. Vide Azorium *part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 4 *quæst.* 1. Puteanum *in part.* 2. *S Thom. quæst.* 11. *art.* 4. *dub.* 2 Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 11. *cap.* 1. *quæst.* 5. *num.* 11. Valer. *in differ. vtriusque fori, ver. peccatum diff.* 30. *num.* 3. & eumdem Becanum *in p.* 2. *tract.* 3. *cap.* 6. *quæst.* 8. *num.* 4. vbi probabiliter contra communem opinionem Doctorum subdunt, quod neque Bulla Cœnæ Domini, vbi non est vsu recepta, obliget in conscientia; idque ex eo, quia, vt leges humanæ, tam ciuiles, quàm Pontificiæ obligent in conscientia, requiritur non solum promulgatio, sed etiam consensus, & acceptatio Populi; dependenter à qua præsumitur semper Princeps leges suas ferre, & promulgare: quinimò Valentia *tom.* 2. *disp.* 7. *quæst.* 5. *punct.* 5. & alij non improbabiliter addunt, quod si Princeps sub alia conditione ferre, & promulgare leges suas intendat, id est, independenter à consensu & acceptatione Populi; & sic independenter à consensu, & acceptatione Populi intendat per illas obligare, lex non sit valida; quia cum illa sic magnam possit in populo perturbationem excitare, non est propter bonum commune, & sic iusta; quod ad essentiam legis requiritur, & consequenter, qui eam, siue in prima; siue in secunda opinione supradicta, etiam sine sufficienti causa, non acceptant, non peccant mortaliter, nisi exinde magnum incommodum Reipublicæ proueniret; quando contra ius naturale solum, non autem contra ius positiuum, eiusque pœnas peccarent, Vide etiam Megalium *in* 2. 2. *lib.* 2. *cap.* 6. *quæst.* 3. *num.* 115. *&* 117 Bonacinam *de legib. disput.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 4 *num.* 39. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 2. *dub.* 16. contra Suar. *de legib. lib.* 13. *capit.* 19. *num.* 8. & alios complures.

Addendum septimum.

Adde septimò, quod Doctores, Inquisitores etiam absoluere possunt ab hæresi, non solum in foro externo, sed in interno: atque ita docent Bañez, Henriquez, Campegius, Rodriquez, Toletus, Gutierez, Paramus, & Graffius apud Sanchez *lib.* 2. *mor. cap.* 12. *num.* 3. *& seqq.* & apud Ricciullum *in tract. de iur. person. lib.* 5. *cap.* 15. *num.* 3. ita etiam docent Puteanus *in* 2. 2. S. Thom. *quæst.* 11. *art.* 4. *dub.* 2. Homobonus *part.* 2. *tract.* 11. *capit.* 6. *quæst.* 11. Lorichius *in thes. vers. hæreticus* §. 12. Villalob.

tom. 2.

tom. 2. tract. 1. diff. 12. num. 6. Freitas in addit. ad tract. de confess. sollic. Episcopi, Acugn. quaest. 21. num. 18. & Garsias de benef. tom. 2. part. 11. cap. 10 num. 121. qui ibidem idem etiam tradunt de Inquisitoribus Hispaniae, & consequenter Regni Siciliae, quidquid in contrarium asserant Suar. in tract. de fide disp. 21. sect. 4. num. 15. Sanchez cit. cap. 12. num. 3. & seqq. Riccius part. 3. decis. 579. num. 5. Farinac. de haeresi, quaest. 192. num. 52. & 54 Zech. in summa part. 1. tit. de fide, rubr. de haeresi, cap. 11. num. 18. Valerus ver. haeresis diff. 3. num. 3. Sanctarellus de haeresi cap. 5. dub. 7. num. 31. Nouarius in sing. conclus. 4. num. 2. & Ricciullus vbi suprà: vide etiam Barbosam de potest Episc. part. 2. allegat. 40. num. 28. in fine.

Et possunt Doctores Inquisitores absoluere ab haeresi, ita, vt facultas haec absoluendi non sit penes totum Consistorium solùm, sed etiam apud quemlibet Inquisitorem, sicuti contra Henriq. & alios docet Freitas vbi suprà quapropter quilibet Inquisitor cuilibet Cōfessario potest talem absoluendi potestatem delegare, sicuti contra Campegium in addit ad Zanchin. cap. 34. & alios docent Sanchez vbi suprà, num. 5. & Freitas num. 16. & Homobon. tract. 12. cap. 2. quaest. 4. qui etiam docet, ad hanc in foro conscientiae absolutionem, & delegationem impertiendam non requiri in Inquisitore ordinem sacerdotalem, quia talis facultas non conceditur Inquisitori in ordine ad confessionem Sacramentalem, nec tanquam quid annexum ordini, sed Officio vt suprà de Episcopis etiam dicebatur: vide subsectionem 32. Corollar. 5. & 6.

Addendum VIII.

Adde octauò, quod nonnulli Doctores (inter quos Peregrinus in compendio priuileg. part. 2. tit. absolutio quoad fratres, §. 2. & inclinare videtur Suar. de relig. tom. 4. tract. 9. lib. 2. cap. 20. num. 11. & Coriolan. de casib. reser. part. 1. sect. 1. art. 23. num. 6.) asserunt, quòd etiam Praelati regulares absoluere possunt subditos suos ab haeresi occulta, quamuis hodie dicendum sit oppositum propter decretum Vrbani VIII. datum Romae de 27. Nouembris 1628 in quo reuocantur in ampla forma omnia Regularium priuilegia absoluendi à casibus contentis in Bulla Coenae, vt est haeresis, &c. atque ita docent Sanchez lib. 2. mor. cap. 17. num. 7. Auila de cens. part. 7. disp. 10. dub. 6. notab. 3. Vega tom. 2. cap. 125. cas. 12. Megal. cons. 21. num. 6. Tamburin. de iur. Abbatis tom. 2. disp. 14. quaest. 17. num. 3. Nouarius in sing. iur. pont. concl. 3. num. 10. vide etiam Alphonsum de Leone de offic. & potest. Confess. tom. 2. recollect. 11. num. 209. quapropter idem dicendum est etiam de aliis casibus in Bulla Coenae contentis, sicuti docent Graff. in appen. lib. 1. cap. 7 num. 21. Zanard. part. cap 17. Naldus ver. Nouitius, num. 7. Vecch. in praxi Nouit. disp. 9. dubit. 6. numer. 3. Tamburin. in loc. suprà citat. quaest. 15. num. 3. Ioan. de la Cruz lib. 1. capit. 6. dub. 15. concl. 1. & alij multi contra Suar. de relig. tom. 4. tract 8. libr. 2. cap. 21. Hieronymum Rodriq. in compend. quaestionum Regul. resol. 3. num. 3. Peirinum in priuileg. minim tom. 1. constit 4. Sixti IV. §. 5. num. 6. & sequen. Portel. in addit. ad dub Regul. ver Abbas num. 8. vide etiam Emanuelem Rodriq. in quaestiones Regul. tom. 1. quaest. 20. art. 9.

Vegam *tom.* 1. *cap.*49.*cas.* 1. & Miranda *tom.* 2. *quæst.* 9. *art.* 10.

Quod si quis Regularis in casum bullarem occultum, vt in hæresim occultam, incidat, poterit is absolutionem petere ab Inquisitore, vel de licentia sui Regularis superioris subiicere se Episcopo, vt ab illo secundum opinionem Doctorum probabilem, quam *suprà* dicebam, absolutionem, saltem ab excommunicatione obtineat, sicuti præter alios docent Sanchez *lib.* 2. *mor. cap.* 11. *num.* 10. *& lib.* 4. *cap.* 39. *num.* 32. *&* 33. & Finellius *de cas. reser. cap.* 7. *num.* 6. quod facere etiam potest regularis, si superior, seu Prælatus suus talem licentiam petitam ipsi iniustè denegaret; quia per epicheiam credendum est, voluntatem Pontificis, & Religionis esse, vt Episcopus in tali casu Religiosum exemptum absoluat; atque ita docet Molina *de iust. & iur. tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 61. *num.* 5. Sanchez *cit. lib.* 4. *cap.* 39. *num.* 30. Suar. *in* 3. *part. tom.* 4. *disput.* 30. *sect.* 2. *numer.* 3. & Pontius *de matrim. lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 14. quidquid in contrarium asserat Megal. *in* 1. *part. lib.* 1. *cap.* 13. *num* 10.

Addendum nonum.

Adde nonò cum Freit. *in addit. ad tractat. de Confess. sollic.* Acugn. *quæst.* 21. *num.* 18. quod (cum Confessarius non possit cogere, vt hæreticus occultus prodat se Inquisitori, vel Episcopo, &c. quia nemo, sic dictante lumine naturæ, tenetur prodere se ipsum, *cap. aliquando de pœnit. dist.* 1. & sic nemo tenetur denunciare se ipsum, Fernandez *part.* 1. *cap.* 19. §. 5. *num.* 5. *& part.* 4. *cap.* 6. *num.* 5. §. 1. Riccius *part.* 3. *decis.* 278. *num.* 1. Acugna *quæst.* 10. *num.* 4 *& quæst.* 21. *num.* 2. & *ibi* Freitas *in addit. num.* 13. *&* 21. Portel. *in addit. ad dub. Regul. ver. sollicitare, num.* 15. Zanard. *part.* 3. *in fin.* Molses. *in summa tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 24. *num.* 24. Megal. 1. *part. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 30. Valer. *ver. hæresis, diff.* 1. *num.* 4. Zerola *part.* 1. *verb. hæresis, quæst.* 35. Homobon. *part.* 2. *tract.* 11. *cap.* 4. *quæst.* 4. Lorichius *tom.* 1. *verb. denunciatio, num.* 3. & Sanctarell. *de hæresi, cap.* 11. *dub. vn. num.* 19. qui citat Pegnam, Simanch. & Suarez. Quin secundò propter eamdem rationem neque tenetur denunciare complices, quia sic virtualiter denunciaret etiam se ipsum, Suar. *in tract. de fide, disput.* 20. *sect.* 4. *num.* 18. qui citat Pegnam, & Simanch. Megalius 1. *part. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 30. & Portel. *in addit. ad dub. Regul. ver. denunciatio, num.* 1. Vnde si v. g. fœmina in confessione, vel occasione confessionis sollicitata, in turpia consentiret, non tenetur confessorem sollicitantem denunciare, Portel. *vbi suprà, & in verb. sollicitare, num.* 15. quamuis contrarium quoad hoc doceant Acugna *quæst.* 10. *num.* 10. Bonacina *in tract. var. disput.* 6. *punct.* 3. *num.* 10. Peirin. *tom.* 2. *const.* 4. Gregor. XV. §. 3. *num.* 12. qui tamen rectè monent quod non tenetur mulier proprium consensum manifestare, nec potest super hoc ab Episcopo, vel Inquisitore interrogari, quin in casu, quod pœnitens, qui consentit, consensum suum manifestaret; non debet consensus iste, tanquam res ad Tribunal Inquisitionis non spectans, in actis scribi. Quin tertiò neque tenetur denunciare filium, vel patrem, matrémve, vxorem, vel maritum, patrem, vel sororem, quia ius positiuum non obligat cum tanto rigore; Alensis *part.* 3. *quæst.* 23. *membr.* 4. *art.* 2. *dub. vlt.* Roias *sing.* 22. *num.* 2. *& sing.* 5. *num.* 29.

Cante

Cantera *in quaest. crim. rubr. de haeret. ver. ex qua quidem glossa*, Riccius *part. 3. decis.* 278. *numer.* 8. *& decis.* 279. *num.* 8. Valerus *ver. haeresis, diff.* 1. *num.* 4. contra Farinacium *de haeresi*, *quaest.* 197. §. 2. *num.* 40. Suar. *tract. de fide disp.* 20. *sect.* 4. *num.* 11. Azorium *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 2. *quaest.* 13. & Sanctarellum *de haeresi cap.* 9. *num.* 15. Excipe, nisi hæresis in perniciem publicam tendat, vt si filius, vel pater, &c. dogmatizaret, & alios doceret, quia tunc bonum commune debet præferri priuato, Simanchas *tit.* 19. *num.* 4. Genuensis *in praxi, cap.* 18. *num.* 9. & Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 40. *cap.* 8. *num.* 233. Quin quartò propter eamdem rationem, neque tenetur denunciare alios, si ex tali denunciatione sibi, filio, patri, vel Matri, Marito, vel vxori, fratri, vel sorori, aut alteri sibi coniunctissimo notabile damnum in vita, fama, vel bonis fortunæ rationabiliter timeat, Sanctarellus *de haeresi cap.* 9. *num.* 16. qui citat Pegnam, & Scacciam Homobonus *in tract. de cas. reser. part.* 2. *cap.* 1. Peirinus *tom.* 2. *const.* 4. Greg. XV. §. 9. *num.* 28. Fagundez *tract.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 31. vide etiam Lazarium *in tract. de Blasphem. quaest.* 12. *numer.* 64. Molfesium *in summa tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 24. *num.* 24. Portel. *in addit. ad dub. Regul. ver. sollicitare, num.* 21. Acugn. *quaest.* 19. Pegña *part.* 2. *quaest.* 53. *comment.* 78. Sigismundum Scacc. *cap.* 56. *num.* 14. *in fin.* Farinacium *de haeresi quaest.* 1. *&* 97. *num.* 53. Freit. *in addit. ad tract. de confess. sollicit. qu.* 10. *num.* 15. *in fin. & quaest.* 19. *num.* 15. Homobonum *de exam. Eccles. part.* 1. *tract.* 7. *cap.* 7. *quaest.* 32 Royas *sing.* 3. *num.* 12. *&* 30. *ver.* 7. *ampliatur.* Excipe vt *supra*, nisi hæreticus in magnum Reipubl. dānum dogmatizaret, animas seducendo, vel corpora offendendo &c. nam tunc bonum commune bono priuato, etiam proprio, & totum parti homo anteferre tenetur, Genuensis *in praxi Archiepisc. cap.* 18. *num.* 8.

Adde, inquam, nonò cum Freitas, quod si Inquisitores, & Episcopus facultatem, vt hæreticus occultus ab ipso Confessario absoluatur, nollent impertiri, putantes talem facultatem se non habere, vel propter aliam rationem, &c. in tali casu hæreticus occultus, quamuis debeat, postquam per Confessarium ab Episcopo, vel Inquisitore facultatem, vt ab hæresi absoluatur, obtinere non potuerit, mittere Romam, interim potest, dum talis facultas expectatur, obseruare ea quæ de occulto excommunicato, non data de præsenti copia Confessoris, tradunt Nauarr. *cap.* 27. *num.* 139. & Henriquez *lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 7. videlicet potest, si infamiam scandalum, vel graue malum sibi, vel aliis, vt *suprà* dicebatur, probabiliter timeat celebrare, si sit Sacerdos, & Eucharistiam sumere; si laicus, eliciendo prius actum contritionis, quem si elicere non confidit, potest confiteri, & absolui à Confessore, iuxta doctrinam, quam tradit Reginaldus *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 87. & alij, quos citat Sancius *in select. disput.* 32. *num.* 11. quidquid in contrarium ipse Sancius sentiat, præsertim quia nonnulli alij Doctores docent, quod etiam scandalo, & grauis infamiæ, vel alterius damni periculo remoto possit supradictus hæreticus occultus, si pro viribus suis ab Episcopo, & Inquisitore absolutionem procurans obtinere non potest, & propter paupertatem, aut aliud impedimentum Romam adire vel mittere non valet, Missam celebrare, si sit Sacerdos, & Eucharistiam sumere, si laicus; etiamsi, vt dicebatur, scandalum, & infamiæ, vel al-

 terius

terius damni grauis periculum non adsit, dummodo tamen prius fuerit contritus probabiliter; atque ita ex Nauarro docet Fagundez *tract.* 1. *lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 12. contra Suar. *in* 3. *part. tom.* 5. *disput.* 9. *sect.* 3. *num.* 3.

Et hæc quæ modò dixi, intelligenda sunt extra mortis articulum; nam in mortis articulo puto quemlibet Sacerdotem simplicem habere iurisdictionem absoluendi directè à peccatis omnibus, etiam quæ Papæ, vel Episcopo alioquin reseruata sunt, sicuti *in Subsect.* 32. *Corollar.* 5. dicebatur, & docent communiter Doctores ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 1. vbi habetur, quod in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis; atque ita omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuscumque peccatis, & censuris absoluere possunt; circa quæ verba Tridentini sunt

Aduertenda quædam.

Aduerte itaque primò, quod cùm Concilium dicit, quemlibet Sacerdotem à censuris in mortis articulo absoluere posse, intelligendum sit de iis tantùm censuris, quæ Sacramentorũ susceptioni, & Ecclesiasticæ sepulturæ obstant, cuiusmodi sunt excommunicatio, & personale interdictum, à quibus moriturus interdum absolui potest, quamuis sacramentalem absolutionem non recipiat, quia, verbi gratiâ, amens est, &c. non item suspensio ab ordine, officio, aut beneficio, & multò minus irregularitas; atque ita docent Zambran. *cap.* 4. *dub.* 4. *num.* 17. & Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 13. *num.* 12.

1 Aduerte secundò, quod cùm Concilium verbis vniuersalibus vtatur, *omnes Sacerdotes absoluere posse*, comprehenduntur etiam Sacerdotes non approbati, aut non expositi; item suspensi irregulares, degradati, excommunicati, etiam non tolerati; atque ita docent gloss. *in cap. non est, de sponsalibus.* Paludan. *in* 4. *distinct.* 17. *quæst.* 3. *art.* 3. *conclus.* 7. Maior *in* 4. *distinct.* 19. *quæst.* 1. S. Anton. *part.* 3. *tit.* 14. *cap.* 19. *condit.* 14. Sylu. *verbo Confessor* 1. *quæst.* 20. Tabiena *verbo absolutio* 1. *num.* 32. Armillà *ibid. num.* 12. Zambran. *cap.* 4. *dub.* 4. *num.* 20. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 18. Suar. *part.* 3 *disput.* 72. *sect.* 4. & *tom.* 4. *disput.* 26. *sect.* 4. *num.* 5. contra Io. Medinam *Cod. de confess. quæst.* 28. § *ad alium*, Couarr. *cap. alma, part.* 1. §. 6. *conclus.* 8. Sotus *in* 4. *distinct.* 18. *quæst.* 4. *art.* 4. Nauarr. *cap.* 26. *num.* 26. qui, saltem hæreticum denunciatum omni absoluendi potestate, etiam in articulo mortis, priuatum esse arbitrantur; quod mihi non probatur; quia Concilium apertè dicit in mortis articulo nullam esse peccatorum reseruationem, sed eorum absolutionem omnibus Sacerdotibus perpetua Ecclesiæ consuetudine concedi. Admitto tamen quod constitutus in mortis articulo non peccet, si hæretico Sacerdoti, quamuis ab illo periculum peruersionis non timeat, ob hæresis detestationem sacramentaliter confiteri recuset, modò speret de peccatis suis esse contritus, qua de re Palud. *in loc. suprà cit.*

Porrò quod dixi de absolutione sacramentali, eam scilicet à Sacerdote non tolerato, etiam hæretico, propter necessitatem suscipi posse, idem multò magis dico de susceptione baptismi; de aliis verò sacramentis est alia ratio, quia tantæ necessitatis non sunt, qua de re Azorius *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 11. *quæst.* 12. verumtamen si in mortis articulo (quod vix vnquam continget) sacramentum 2

Pœni

Pœnitentiæ suscipi non potest ab hæretico, aut alio excommunicato non tolerato, sacrum viaticum accipere, si alius non adsit, qui illud administret, non est illicitum. Ratio, quia lex Ecclesiastica in tali necessitate non obligat, cùm obligare illa non soleat cum magno rigore.

3 Aduerte tertiò, quòd per mortis articulum (in quo omnes Sacerdotes, ex Ecclesiæ concessione, absoluere possunt) non sit intelligendus tantùm quasi vltimus vitæ spiritus; sed quoduis, etiam probabile, mortis periculum, siue ex infirmitate, à prima scilicet die infirmitatis periculosæ, vt doloris lateris, &c. siue ex superuentura perpetua, vel diuturna amentia, siue ex Iudicis decreto, siue ex aliis causis, vt ex imminenti belli conflictu, partu periculoso, puta si primus est, vel si mulier antè difficiles partus experta fuit, sicut docet Abb. *in cap. quod in te, de pœnit. remiss. colum.* 2. Item ex nauigatione periculosa, aut valdè longa, in qua non erit copia confessoris, sicuti docet Palud. *in* 4. *d.* 20. *quæst.* 1. *art.* 2 *concl.* 3. Syluest. *verb. Confessor,* 1 *quæst.* 6. *dict.* 7. Couar. *cap. alma, part.* 1. §. 11. *num.* 8. Nauar. *cap.* 26. *num.* 31. Henriq. *lib.* 6. *cap.* 9. *&* 11 Sayr. *lib.* 2. *thes. cap.* 20 *num.* 18 Finell *cap.* 8. *num.* 8. Molina *tract.* 3. *de iust. disp.* 63. *num.* 5 Auila *de cens. part.* 5 *disp* 4. *sect.* 5. *dub.* 5 Sancius *in select. disp.* 22. *num.* 5. Suar. *disput.* 26 *sect.* 4. Rodriq. *tom.* 1. *reg* 96. *quæst.* 62. *art.* 7. & Sanchez *lib.* 2. *mor. cap.* 13. *num.* 7. *arg. si quis suadente,* 17. *quæst.* 4 *& cap eos, qui de sent. excom. in* 6 contra Sotum *in* 4 *d.* 18. *quæst.* 4. *art.* 4 § *quæris autem,* & alios.

4 Limito autem cum Couar. & Sanchez in locis *suprà* citatis, vt necesse sit in casibus positis, periculum mortis, non futura occasione confitendi Sacerdoti exposito propinquum, & non improbabile esse, puta, quia frequenter hominibus in tali id accidere consueuit, cuiusmodi periculum est in omnibus peste infectis, (sicuti docet Chapeauille *c.* 1. *quæst.* 1. §. 8.) cùm subitò, & præter opinionem ex tali morbo mori soleant.

Limitat etiam ex Corduba Sanchez vbi *suprà*, vt aliquis non propria sponte, sed ex causa vrgenti, seu morali necessitate coactus tale periculum adeat, quod mihi non probatur: quia ratio, cur Ecclesia in mortis periculo omnibus Sacerdotibus absoluendi potestatem concedat, est, quia peccator in tali casu, tum iure diuino positiuo, tum etiam naturali, charitate erga se ipsum ad confitendum obligatur, quæ ratio obligationis æquè locum habet, quamuis aliquis sine necessitate, ac propria sponte mortis periculum subeat (v.g. in iusto bello, maris nauigatione) ergo &c. 5

Aduerte quartò, quòd quamuis aliqui docent, quòd in articulo mortis, vel periculo mortis Sacerdos simplex, seu nulla iurisdictione præditus, neque licitè, neque validè (si confessarius ordinaria, vel delegata iurisdictione prædictus adsit, aut facilè aduocari possit) absoluat, quod moti ex responsione quadam Greg XIII. apud Molinam *loco cit.* tum *ex cap. Presbyter* 26. *quæst.* 6. sumpto ex Concilio Carthag. 3. *can.* 32. vbi habetur, quòd Præsbyter inconsulto Episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi absente Episcopo vltima necessitas cogat: tum ex Tridentino in loco *suprà* citato, vbi Sacerdoti simplici, potestas absoluendi à quibuscunque peccatis in mortis articulo conceditur iure extraordinario, ob rationem necessitatis, ne hac occasione (si absolutio denegetur) aliquis pereat: ergo cessante necessitate, cessat hæc extraordinaria 6

dinaria potestas per regulam, quam tradit Abbas *in cap. cùm venerabilis, de consuetud. in fine*: cùm aliquid conceditur propter necessitatem, durat concessio, quatenus vrget necessitas.

6 Confirmatur, quia Tridentinum in loco *suprà* citato, eodem modo loquitur de absolutione à quibuscunque peccatis, de absolutione à censuris; sed certum est *ex cap. eos, qui de sent. excom. in 6. & extrauag.* 1. §. *decernimus, de excommun.* quòd à censura excommunicationis reseruatæ nemo in mortis articulo absoluere possit, si facilè sit recursus ad Superiorem, ad quem de iure absolutio spectat: ergo similiter à peccatis nullus Sacerdos iure extraordinario in mortis articulo absoluere potest, nisi ob defectum Ordinarij, aut legitimi Sacerdotis.

7 Porrò, quod dicunt de simplici Sacerdote, multò magis dicendum putant de excommunicato, & suspenso post denunciationem; quia hi omnes (inquiunt ipsi) omnino iurisdictione, in pœnitentiæ etiam foro, priuati sunt, excepto casu necessitatis, quamobrem expressè docent Suarez 3. *part. tom. 4. disp.* 26. *sect.* 4. *num.* 4. & Sanchez *lib.* 2. *mor. cap.* 13. *num.* 7. non toleratum Sacerdotem inualidè absoluere, si adsit Sacerdos toleratus, etiam simplex, & non expositus.

8 Item, quod dicunt de simplici Sacerdote (ei scilicet præferendum esse Sacerdotem expositum, seu iurisdictione præditum) similiter dicendum putant de Sacerdote exposito inferiore, v.g. de Parocho, ei scilicet etiam in mortis articulo præferendum esse Sacerdotem superiorem, siue Prælatum, quatenus spectat ad peccata ei reseruata, ita vt eo præsente, vel si facilè aduocari, aut licentia ab ipso peti possit, inferior absoluere non possit: ita Zambran. *cap.* 4. *dub.* 4. Henriq. *lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 4 Sanchez *cit. num.* 7. & Suarez *disp.* 30 *sect.* 3. *num.* 1. vbi ait, quòd quamuis Tridentinum Concilium dixerit in articulo mortis nullam esse reseruationem, id tamen intelligendum sit in absentia reseruantis, quia aliàs nulla est vera necessitas, ad quam alij Sacerdotes censeantur iurisdictionem consequi, quæ illis, per se loquendo, ablata fuerat.

Quamuis (inquam) aliqui sic doceant, 9
moti *ex responsione Greg. XIII.* tum *ex cap. Presbyter*: tum *ex Tridentino in locis suprà citatis*; opposita tamen sententia, de qua *suprà in subsectione* 32. *corollar.* 5. est etiam probabilis: nam quoad responsionem Gregor. XIII. de ipsa non constat authenticè, & quo ad rationes desumptas *ex cap. Presbyter, & Tridentino Concilio* patet ad ipsas ex iis, quæ *in cit. subsectione* 32. *cororall.* 5. dicebantur.

Appendix ad ea, quæ suprà dicebantur.

Ex dictis itaque, quatenus spectat 1
ad censuras Papæ reseruatas Bullares, & multò magis quoad alias quinque non Bullares, ea reseruatio non tam stricta est, quin ob plures causas relaxetur, & ad Episcopalem iurisdictionem deuoluatur, & hæ causæ in iure canonico circa Clerici percussionem in specie explicantur, vt videre est *in cap. de cætero, cap. ea noscitur, de sent. excommun.* quarum

Prima causa est ætatis infirmitas, si 2
nimirum impuberes excommunicationem incurrant: hi enim etiam post pubertatem ab Episcopo absolui possunt, *cap.*

cap. pueris, de sent. excommun.

3 Secunda est, sexus infirmitas; mulieres enim etiam in excommunicationem lapsæ à Diœcesano absolui non prohibentur, *cap. mulieres, & cap. quamuis, eod. tit.* Vnde quamuis facultas absoluendi Episcopis concessa à Concilio Tridentino *sess. 24. de reformat. cap. 6.* quoad ad absolutionem ab hæresi esset reuocata per Bullam Cœnæ Domini, quod non est certum, sed solùm, ad summum, probabile, vt *suprà* dicebatur, adhuc mulieres, & multò magis Moniales tanquam personæ adire Sedem Apostolicam impeditæ, ab Episcopo, vel alio, cui Episcopus commiserit, ab hæresi, cæterísque Bullæ casibus, & censuris absolui poterunt: atque ita in terminis docet Homobonus *part. 3. tract. 15. cap. 7. quæst. 20. resol. 2.* & citat Duardum.

4 Tertia est, quoduis canonicum, seu legitimum impedimentum sedem Apostolicam adeundi: qua ratione excusantur pauperes, qui tanto itinere mendicandi consuetudinem non habent, senes, valetudinarij, membris capti, *cap. ea noscitur, & cap. quamuis, de sent. excommun.* qui capitales inimicitias habent, vt sine vitæ periculo iter aggredi non possint, *cap. de cætero, eod. tit.* qui sui iuris non sunt, vt serui, & filij familias, si eorum domini, vel parentes profectioni repugnent; qui ob curam administrandi familiam, gerendi officium publicum, vel ob periculum infamiæ scandali, vel ob aliam grauem similem causam, absolutionis accipiendæ gratia, Romam adire impediti sunt, iuxta *cit. cap. de cætero, & cap. quamuis eod. tit.* Item qui sunt magnæ potentiæ, aut ita delicati, vt laborem Romam adeundi sustinere non possint, hos enim Episcopus, si periculum mortis vrgeat, absoluere statim potest; alioquin verò (vt explicat Nauar. *in summa, cap. 27. num. 88.* licèt paulò aliter explicet gloss. *ver. laborem veniendi*) status personæ, & veritas negotij prius summo Pontifici explicanda est, & secundum consilium eius tales potentes de commisso scelere corrigendi erunt, *cit. cap. mulieres,* cæteri autem, si legitimo aliquo ex dictis impedimento detenti fuerint, ab Episcopo statim absolui poterunt; nec tenentur, etiamsi possint, Nuncium, vel Epistolam mittere Romam: nam id in iure expressum non inuenitur, quinimò apparet oppositum in præcitatis iuribus, vbi Ordinarijs locorum hæc facultas demandata fuit, vt sic impleta dicatur, pro tempore impedimenti, obligatio ad Curiam accedendi personaliter: vide Barbosam *de officio Episc. allegat. 41. num. 7.*

Neque obstat, quod aliquando ob id nonnulli ad Curiam mittant, vel scribant: nam id efficiunt, vel ob verecundiam comparendi coram proprio loci Ordinario, vel quia ad id se teneri opinantur. 5

Porrò circa huiusmodi canonica impedimenta distinguendum est, an perpetua sint, vel temporalia, si enim impedimentum perpetuum est, Episcopus impeditum absolutè, & sine onere se præsentandi Apostolicæ sedi, absoluere potest; si autem est temporale (excipio pueros, qui etiam post pubertatis ætatem absolui possunt ab Episcopo, vt *suprà ex cit. cap. pueris, de sent. excommun.* dicebatur) absoluendus iurare debet, quòd, cessante impedimento, Apostolicæ sedi se præsentabit, non vt iterum ab excommunicatione absoluatur, sed vt de satisfactione præstanda Ecclesiæ, ac parti læsæ, mandatum accipiat 6

cipiat sicuti docet Nauar. *cap. 26. num. 26.* Sayr. *lib. 3. cap. 28. num. 36.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 13. num. 27.* & habetur *in cap. de catero, cap. ea noscitur, & cap. quamuis, de sentent. excommun.*

7 Quòd si absolutus præsentare se personaliter, vel per procuratorem intra tempus à Iudice præfixum, vel cum primùm commodè potest, postea intermiserit, in eandem excommunicationem reincidet, *cap. eos, qui de sentent. excommun. in 6.* & explicat Nauar. *cap. 22. num. 89. & num. 113.* Henriquez *lib. 13. cap. 29. num. 3.* idem locum habet in omni absolutione ab excommunicatione reseruata, quæ datur ob impedimentum, seu causam necessitatis; quod scilicet absolutus teneatur postea sub pœna reincidentiæ præsentare se Superiori, ad quem de iure spectat absolutio, iuxta *cit. cap. eos, qui;* vide quæ *suprà in subsect. 32. corollar. 5. & 6.* dicebantur.

8 Limitant tamen doctrinam hanc Nauar. *cap. 26.* Henriquez *cit. num. 3. lit. Z.* Sà *ver. excommunicatio, num. 8.* nisi, priusquam elapsus est terminus, absolutus plenè satisfecerit parti læsæ, aut cum ea concordauerit. Ratio, quia tunc cessat causa, ob quam superiori præsentare se debet: sed hæc limitatio non videtur conformis *capitulo quamuis de sentent. excommun.* neque rationi: nam, vt parti læsæ satisfiat, non est ratio adæquata huius obligationis comparendi, sed vt debita Ecclesiæ, etiam læsæ, obedientia, & satisfactio præstetur: quamobrem tamen si nulla pars læsa sit, vel ei ante absolutionem sit satisfactum, adhuc hoc onus comparendi imponi debet, sicuti docet Suarez *tom. 4. disput. 30. sect. 3. numer. 6.* & Sanchez *lib. 2. moral. capit. 13. numer. 29.* vide *præcit. subsectionem 32. coroll. 5. & 6.*

Illud tamen fatendum est, quod si Sacerdos quicumque, ob necessitatem in mortis articulo, à peccatis superiori reseruatis aliquem absoluit, cessante tali periculo, opus non est, vt absolutus postea compareat coram Superiore, cui iure Ordinario absolutio à talibus peccatis reseruata est; atq; ita docent ex communi Palud. *in 4. distinct. 20. quæst. 1. art. 2. concl. 3.* Sylu. *ver. Confessor, 1. quæst. 20.* Nauar. *cap. 26. num. 26.* & nos *in cit. subsect. 32. corollar. 5.* dicebamus & ratio est, quia in mortis articulo omnes sacerdotes, non indirectè, & per concomitantiam, sed directè & per se, ab omnibus peccatis absoluendi potestatem habent. 9

Excipe, nisi (vt *suprà* dicebatur) peccato annexa sit censura superiori reseruata: tunc enim ex dictis cessante mortis periculo, absolutus sistere se debet superiori, ad quem de iure Ordinario absolutio spectat, non vt iterum absoluatur, sed vt mandatum eius accipiat, iuxta ea, quæ *suprà* dicebantur, & iuxta *cit. cap. eos, qui, de sentent. excommun. in 6. & extrauag. inter cunctas §. incendiarios, de priuil.* quare consultius est, in mortis articulo, confiteri priuilegiato, qui potestatem habeat à censuris reseruatis absoluendi, tanquam delegatus Papæ, sine onere postea comparendi. 10

Cæterùm quæ dixi de Clerici percussore; quod scilicet, si accedere ad sedem Apostolicam legitimè impeditus est, ab Episcopo absolui possit, iuxta *cit. cap. de catero, & cap. ea noscitur de sentent. excommun.* ea in alijs casibus Papalibus etiam locum habent; atque ita docent Canonistæ communiter, Innoc. *in cap. 2. de eo, qui furtiuè,* Abb. & Felin. 11

& Felin. *in cap. Monachi, de sentent. excommun.* Sylu. *ver. absolutio*, 3. *in fin. &* 4. *num.* 5. Couar. *in cap. alma part.* 1. §. 11. *num.* 15. Nauar. *cap.* 27. *num.* 86. *&* 212. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 5 *& cap.* 16. *in principio*, Suarez *de cens. disput.* 22. *sect.* 1. *num.* 64. quare regula hæc communiter traditur, quod casus papalis, impedimento adeundi Papam superueniente, fit Episcopalis: & ratio regulæ est, quia sic congrua subordinatio inter Prælatos Ecclesiæ requirere videtur.

12 Excipitur tamen, secundum opinionem probabilem, mortis articulus; quando (vti dicebatur) omnes sacerdotes, nullo obseruato ordine, à casibus papalibus absoluendi ius habent: præterquam si in iure specialis commissio Episcopis facta reperiatur, & vt est in casu percussionis Clerici, iuxta *cap. si quis suadente*, 17. *quæst.* 4. *& cap. ea noscitur de sentent. excommun.* & docet Suarez *de cens. disput.* 22. *sect.* 1. *num.* 61. Couar. *in cap. alma, part.* 1. §. 11. *num.* 8. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 13. *num.* 9. modo ad Episcopum aditus sit, in alijs verò casibus papalibus cessat reseruatio in mortis articulo: ideóque quiuis sacerdos tunc absoluere potest. atque ita docet Sylu. *ver. absolutio*, 1, *num.* 8. Suarez *tom.* 4. *disput.* 30. *sect.* 3. Sanchez *loc. cit.* licèt contrarium sentiant Zambran. *cap.* 4. *dub.* 4. *num.* 14. & alij: sed de hac re vide quæ *suprà in subsect.* 32. *corollar.* 5. *&* 6. dicebantur.

Petitio vnica, eius resolutio.

1 PEtes, an impeditus ire Romam pro absolutione casus papalis, potens tamen adire Legatum Papæ, vel alium specialiter priuilegiatum, ab Episcopo absolui possit? Respondeo affirmatiuè cum Henriquez *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 1. Auila *part.* 2. *cap.* 7. *disp.* 1. *dub.* 6. Suarez *tom.* 4 *disp.* 30. *sect.* 3. *num.* 5. & ratio est, quia iura in signum specialis reuerentiæ requirunt, vt pro absolutione Pontifex adeatur, ergò si is adiri non potest, cessat reseruatio papalis, & casus deuoluitur ad proprium Ordinarium.

Confirmatur, quia reseruatio casuum papalium, cùm deroget iuri Episcopali, strictam habet interpretationem. Ergo, &c.

Contrarium tamen docent Nauarr. *cap.* 27. *num.* 89. *&* 90. Coninch *de cens. disput.* 16. *num.* 242. & Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 13 *num.* 11. moti ex eo, quia casus reseruatus deuoluitur ad inferiorem ratione necessitatis: at necessitas non est, si adsit aliquis, qui iure ordinario, vel speciali absoluere potest. Ergo, &c. in confirmationem talis sententiæ adducit Coninch *vbi suprà, cap. quamuis, de sentent. excommunic.* in quo tamen, sicut & *in cap. ea nescitur*, nihil aliud habetur quàm Clericorum percussores non ab alio quàm à Romano Pontifice, vel eius Legato absolutionis beneficium obtinere posse, præterquam si canonico impedimento, quominus Romanum Pontificem adire possint, retrò trahantur, vbi cùm nulla mentio fiat de Legato Apostolico, canon ille potius fauere videtur priori sententiæ, quam propterea probabiliorem puto, sed contrariam tutiorem. 2

Ex doctrina tamen Nauarri *lib.* 1. *consil.* 1. *quæst.* 14. *de constitut. edit.* 2. locorum consuetudinem spectandam hîc esse arbitror: nam Episcopi in regionibus ab vrbe distantioribus, in quibus 3

bus nullus adest Legatus Sedis Apostolicæ, præscripsisse possunt iurisdictionem absoluendi à quibusdam casibus Papalibus, qui frequenter contingere solent, verbi gratiâ, à notoria Clerici percussione, hæresi, &c. sine onere, quod reo imponi debeat, comparendi coram Romano Pontifice, eiusque Legato, præsertim si reus Ecclesiæ, & parti læsæ sufficienter satisfaciat, vel satisfacere paratus sit.

4 Vt verò Episcopi ad priuilegiatos, puta Regulares, quasi hi maiorem ipsis Episcopis absoluendi potestatem habeant, eiusmodi excommunicatos subditos suos pro absolutione mittant, difficile aliquibus videtur, sicuti notauit Nauarr. *lib. 1. consil. 11. de priuileg. edit. 2.*

SVBSECTIO XXXVI.

Proponitur circa dicta in exemplis positis prima difficultas, eiusque solutio.

1 OBiicies primò, saltem prædictæ gratiæ, seu priuilegia, non valent post mortem concedentis. Ergo, &c.

2 Respondetur: Nego antecedens: nam gratia etiam singulari personæ concessa per mortem concedentis, etiam re integra non extinguitur: atque ita docent Nauarr. *consil 2. de offic. delegati, edit. 2.* Sà *verbo gratia, num. 1.* Garcias *part. 6. de benefic. cap. 2.* Molina *tract. 5 de iustit. & iure, disput. 19* & alij *ex cap. si super, de offic. delegati, in 6.* & *ex cap. si cui nulla, de prebend in 6.*

Intelligi autem debet responsio hæc de gratia facta, non autem de gratia facienda.

3 Porrò gratia facta dicitur, quotiescumque facultas seu licentia alicui in ipsiusmet fauorem à Superiore concessa est, quamuis executio ab alia persona dependeat; verbi gratiâ, si detur alicui à Papa gratia expectatiua ad beneficium vacaturum: vel si quis impetret à Papa literas, quibus mandet Episcopo vt ipsi de beneficio prouideat, vel cum ipso super impedimento matrimonij precum veritate inspecta, dispenset, vel si quis impetret, siue à Papa, siue ab Episcopo licentiam eligendi sibi Confessarium, &c. huiusmodi enim concessiones, seu gratiæ, postquam à Principe processerunt, censentur ex parte concedentis factæ, & sic morte ipsius non expirant, quamuis realis executio illarum nondum facta sit; atque ita præter alios docent Henriquez *lib 7. cap. 21. num. 5. & seqq.* Sanchez *lib. 8. cap. 28. quæst. 2.* Suar. *lib. 8. de legib. cap. 31.* Garcias *de benefic. part. 6. cap. 2.* & Pasqualigus *in suis decisionibus, decis. 493.* vbi rectè docet, quod benedictiones concessæ à Pontifice, applicari possint etiam mortuo Pontifice.

Gratia autem facienda dicitur, cùm ei in cuius fauorem gratia tendit, nihil directè concessum est à Principe, sed alteri mandatum, vt talem gratiam illi conferat, seu concedat: tunc enim non est gratia facta, sed mera commissio, seu mandatum faciendi illam, verbi gratiâ, si Papa, vel Episcopus directè Sacerdoti alicui committat, vel mandet, vt cum quadam persona, causa cognita, dispenset, vel ei beneficium conferat, &c. tunc mortuo committente, si res sit integra, Commissarius mandatum exequi non potest, nisi talis dispensandi, aut conferendi facultas Commissario, principaliter in ipsiusmet fauorem data fuisset; in tali enim casu haberet rationem gratiæ

gratiæ factæ, quæ (sicuti *suprà* dicebatur) per mortem concedentis non expirat; quod aduerte pro iis, quibus à Papa, vel Episcopo delegata est licentia audiendi confessiones, vel absoluendi à reseruatis: nam ex dictis huiusmodi licentia morte delegantis non expirat; cùm inter gratias, non autem inter rescripta iustitiæ, seu delegatæ iurisdictionis contentiosæ numerari debeat, sicuti *infra* meliùs dicetur, & docent præter alios Sanchez *cit. quæst. 2. num.* 72. Henriquez *lib. 6. cap. 6. num.*7. Sà *verbo gratia, num* 4 Suar. *tom. 4. disp. 26. num. 6. & 9.* & Garcias *cit. cap 2. num.*319.

4 An autem idem dicendum sit de licentia à Parocho alicui Sacerdoti concessa audiendi similiter confessiones, quod scilicet illa non expiret morte Parochi concedentis?

5 Respondeo cum Garcia *num.* 325. distinguendo: si Parochus potestatem habet delegandi talem facultatem in certa parte Parochiæ, & delegat, non expirat, vt *suprà* dicebatur: si autem Sacerdoti illi, solùm vt cooperatori, seu Vicario suo tribuit facultatem, expirat; cùm enim, mortuo principali, cesset alter esse illius cooperator, seu Vicarius, expirat etiam huius potestas, quamuis alij adhuc in hoc casu (vt *infrà* notabitur) contrarium sentiant; vt proptereà dixerit Suar. *loc. supra cit.* attendendam esse in hac re consuetudinem locorum.

6 Sed vt meliùs intelligatur supradictæ Dubitationis resolutio, an scilicet iurisdictio ab Ordinario, verbi gratiâ, Papa, Episcopo, vel Parocho alicui delegata ad confessiones audiendas, mortuo, vel deposito illo expiret; distinguendum puto inter delegationem generalem, seu indeterminatam, & inter delegationem specialem, seu determinatam, respectu scilicet certarum personarum.

Nam quatenus spectat ad priorem, 7 quamuis Paludanus *in 4. d. 17. quæst. 4. art. vlt. concl.* 5. S. Anton, *part. 3. tit. 17. cap. 9.* & Philiarch. *tom. 1. de offic. Sacer. d. part. 2. lib. 2. cap.* 14. doceant, quòd facultas audiendi confessiones, vel absoluendi à casibus reseruatis (præsertim talis, quæ alicui non ratione officij conceditur: ideóque non in quasi ordinariam transit) morte concedentis expiret: quia etiam iurisdictio in foro externo contentiosa (inquiunt ipsi) quamuis generatim, & ad vniuersitatem causarum alicui delegata, mortuo delegante, expirat: sicuti ex communi docet Abbas *in cap. relatum, num. 7. de offic. & potest. Iudicis delegati*, ducto arg *ex cap. ne aliqui, de heret. in 6.* vbi fauore fidei specialiter decernitur, vt officium Inquisitorum hæreticæ prauitatis non expiret per mortem Pontificis committentis, etiam quoad negotia, quæ nondum cœpta fuerint; tamen oppositum dicendum est cum Nauarro *in cap. placuit, num. 162. & seq. dist. 6. de pœnit.* Henriq. *lib. 6. cap. 6. num. 7.* Sà *verb gratia, num. 4.* Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 28. num.* 72. ducto argumento ex *cap. si cui de prabend. in 6* vbi habetur, si cui, nulla personarum facta expressione, gratiosè concessa sit facultas in certa Ecclesia personis idoneis prouidendi beneficia, huiusmodi facultatem, etiam re integra, non expirare per mortem concedentis: cùm sit gratia, seu priuilegium principaliter concessum in fauorem priuilegiati: & eadem ratio est de facultate audiendi confessiones alicui Sacerdoti generatim, & absolutè concessa; quia licèt remotè tendat in vtilitatem pœnitentium, sicut & facultas prouidendi beneficia in vtilitatem pro-

uidendorum; proximè tamen, ac directè vtraque est gratia, fauor, & beneficium eius, cui talis facultas conceditur, gratiam autem, seu beneficium Principis decet esse mansurum, *reg. 16. in 6.*ergo &c.

7 Neque obstat, quòd *in dict. cap. si cui, & in cap. si super de offic. delegati in 6.* & in similibus iuribus sermo sit de facultate alicui delegata à Sede Apostolica, quia decisio eorum non nititur in plenitudine potestatis Papalis; sed quòd sit gratia facta absolutè ei, cui committitur. Vnde id æquè locum habet in aliis ordinariis, vt in Episcopo, & Parocho, si cui Sacerdoti facultatem absoluendi suos subditos absolutè concedant, sicuti docent Doctores *suprà* citati contra Philiarchum *in cit. cap.24.* vbi docet, quòd inferiores Papa sine cognitione causæ, & consensu Capituli non possunt in perpetuum concedere gratias, quæ præiudicant, cuiusmodi sunt facultates confessiones audiendi, & Confessorem eligendi, quæ proinde eorum morte, vel amotione expirant: sic ille, quod nullo iure probat; neque ratio ei suffragatur: nam cum huiusmodi facultates iure ordinario competant Episcopo, non est, cur is non possit alteri committere, & quidem sine Capituli consensu; quandoquidem per huiusmodi gratias nullum successori præiudicium affertur: cùm is, si voluerit, quandocunque voluerit, gratiam reuocare possit, sicuti rectè notauit Sanchez *in loco suprà citato*: neque praxis suffragatur Philiarchi sententiæ: nam mortuo Episcopo Pœnitentiarius, aliíque confessarij ab ipso expositi, pergunt sua facultate vti, donec à Capitulo, vel successore reuocetur: quin & Sacellani, seu cooperatores à Parocho ad audiendas confessiones assumpti, eo mortuo, saltem in aliquibus locis, suo officio funguntur, donec à successore amoueantur, qua de re videri poterit Coninch. *disp. 8. dub. 10. num. 72.*

Ad oppositam rationem aduersariorum respondeo id esse speciale in delegato ad iustitiam siue iurisdictionem contentiosam; quod scilicet mortuo delegante, illius potestas expiret, si res integra sit, id est, si delegatus nondum iurisdictione vti cœperit, sicuti habetur *cap. sanè, cap. relatum, cap. gratum, cap. licet vndique de offic. Iudic. delegati.* Et ratio est, quia iurisdictio ad iustitiam delegata habet rationem mandati, & non gratiæ, mandatum autem expirat morte mandantis: tum quia delegatus ad iustitiam vices delegantis gerit, ciúsque personam repræsentat, *cit. cap. sanè, & vlt. ff. de offic. eius, cui mandata est iurisdictio*: ergo, cùm mortuo delegante extinguatur iurisdictio ipsius, consequenter etiam extinguitur in delegato; quia extrincto iure auctoris, extinguitur ius acceptoris, vti habetur *in l. vectigal. ff. de pignoribus*, & docet Abbas *in cit. cap. relatum, num. 6.* Sanchez *disput. 18. num. 30. ex cap. quamuis de offic. delegati in 6.* At delegatus ad confessiones audiendas iudicium in foro pœnitentiæ exercet, non in persona delegantis, sed in persona Christi per ordinis potestatem: tum iurisdictio absolutè delegata ad confessiones audiendas, non habet rationem mādati, sed gratiæ, & beneficij, cuius ius efficaciter acquiritur ipsi delegato, in eóque perpetuò manet, donec reuocetur: ergo &c. 8

Hinc primò, si Episcopus, v.g Decano Ecclesiæ Collegiatæ iurisdictionem in prima, vt vocant, instantia gratiosè concessit, vt sit accessoria eius officio, illíque quasi iure ordinario competens, non extinguitur morte concedentis, cùm 9

cùm sit gratia, fauor, seu beneficium: quamuis à successore reuocari possit, si per modum meræ gratiæ, & non per modum contractus, aut transactionis concessum fuit.

10 Hinc secundò, facultas alicui ab Episcopo, vel alio Prælato concessa eligendi sibi confessorem non expirat morte concedentis, cùm sit gratia, & priuilegium, non mera delegatio, seu mandatum, vti *suprà* dicebatur, & docet Nauarr. *in cit. cap. placuit, num.* 163. Sanchez *disp.* 18. *num.* 74. Henriq *lib.* 7 *cap.* 21. *num.* 6. Sà *verb. gratia, num.* 4. quamuis contrarium sentiant Syluest. *vers. Confessor* 1. *quæst.* 7. Corduba *lib.* 5. *quæst. q.* 36. & Philiarchus *loco suprà cit.*

Hinc tertiò, idem dicendum de alijs gratijs ab Episcopo concessis, v. g. suscipiendi Ordines ab alieno Episcopo, celebrandi in priuato Oratorio, assistendi in matrimonijs; vescendi ouis, & lacticiniis in Quadragesima, &c. sicuti *suprà* etiam dicebatur, & docet Nauar. *in cit. num.* 163. Sanchez *num.* 76. & Sayrus *tom.* 1. *Thesauri, lib.* 7. *cap.* 14. *num.* 7.

11 Quatenus verò spectat ad specialem commissionem absoluendi vnam, vel plures personas determinatas, distinguendum est an talis facultas concessa sit in fauorem absoluentis, an verò pœnitentis: nam si primum, non expirat morte concedentis, cùm sit gratia, & beneficium; atque sic docet Sanchez *num.* 73. *&* 81. *ducto argum. à sensu contrario, ex cap. si cui de præbend. in* 6. *in fine*, vbi habetur: *secus, si super prouisione certæ personæ facienda, non ob suam, sed eius, cui prouideri mandatur, gratiam, vel fauorem, illa quidem expirat omninò, si concedens re integra moriatur.* vbi gloss. communiter recepta generalem regulam tradit: quod quando est gratia eius, cui scribitur, non expirat morte concedentis, secus quando est alterius, pro quo scribitur. Si secundum (quod plerumque accidit, & in dubio præsumitur) nempè quòd commissio, seu rescriptum de danda absolutione, dispensatione, &c. personis determinatis, in earumdem fauorem principaliter facta sit; tunc iterum distinguendum est: vel commissio est necessaria, habens se per modum præcepti, & non expirat, etiam re integra, morte concedentis; atque ita docet Tabiena *verb. gratia*, §. 6. Suarez *de censur. disput.* 41. *sect.* 2. Henriquez *lib.* 7. *cap.* 21. *num.* 7. Rodriq. *tom.* 1. *quæst.* 46. *art.* 7. Sanchez *num.* 87. v. g. si Papa, vel Episcopus, &c. alicuius supplicatione motus, mandet inferiori Ordinario, vt supplicantem absoluat ab excommunicatione, aut à casibus reseruatis, &c. vel vt dispenset cum illo in impedimento matrimonij, in petitione debiti, in voto, vel iuramento, &c. sed ante cœptam executionem, qui mandauit moriatur, tunc non obstante hoc, restat locus executioni. Vel est delegatio voluntaria, quæ se habet instar facultatis, & hæc, si executio nondum cœpta sit, expirat morte delegantis; atque ita habetur expresè *in cit. cap. sicuti nulla.* Et ratio discriminis est, quia in commissione necessaria ius acquisitum est ei, qui est absoluendus, aut cum quo est dispensandum, ideóque est gratia facta per absolutam concessionem committentis; solúmque exigitur commissarij executio, quam is necessariò facere tenetur. At in commissione voluntaria nulli ius acquisitum est: non enim commissario; cùm non in eius fauorem delegatio facta sit, neque ei, cum quo dispensandum

est, quia liberæ voluntati delegati relinquitur, velitne dispensare, nec ne, ideóque est gratia facienda, non facta; & sic illa (nisi delegatio facta sit authoritate sedis, seu dignitatis, quæ nunquam moritur) perit per mortem delegantis: hæc verò non perit, re integra, vt patet ex *suprà* dictis, & docet gloss. *in cit. cap. si cui, ver. moriatur*, & Sanchez *num.* 71.

SVBSECT. XXXVII.

Proponitur secunda difficultas, eiusque solutio.

1 OBjicies secundò: sequeretur, posse validè acceptari donationem post mortem donatoris, cum donatio sit gratia, & gratia ex dictis non expiret morte concedentis, sed hoc est falsum, ergò &c. Vt autem vis huius argumenti melius intelligatur.

2 Suppono ex materia de contractibus, donationem (ne dum promissionem) ordinariè non parere obligationem naturalem, aut ciuilem ante validam acceptationem: sicuti docent communiter Doctores teste Gomezio *tom.* 2. *cap.* 4. *n.* 3. *& cap.* 9. *n.* 1. *& seqq.* & patet *ex leg. ff. de pollicitation. leg. Absenti* 10. *ff. de donat. & leg. nec ambigi*, 6. *Cod eodem.*

3 Vnde sequitur primò, ante validam acceptationem semper reuocari posse donationem; quod clarè colligitur, tum ex prædictis iuribus, tum ex alijs, vt *ex leg. multum interest* 6. *Cod. si quis alteri. vel sibi, & ex leg. si pater* 4. *ff. manumissis, vindicta*: idémque locum habet in omnibus alijs contractibus, sicuti videre est *in leg. contractus* 16. *Cod. de fide instrumentorum & alibi*: & ratio est, quia obligatio non nascitur, nisi mutuo duorum consensu, *leg.* 1. *ff. de pactis*: quapropter priusquam alterius consensus accedat, alter potest suam oblationem reuocare.

Sequitur secundò, mortuo donatario ante validam acceptationem, inualidam esse donationem: quia amplius acceptari illa non potest. Neq; dicas posse acceptari ab hæredibus; nam de rigore iuris non potest: ratio, quia ad illos directa non fuit: videtur tamen posse ex quadam æquitate, quia hæredes repræsentant personam defuncti: & præterea præsumendum est talem fuisse mentem donatoris, vt si scilicet defunctus beneficio illius frui non posset hæredibus ipsius, nisi de contrario constet, prodesset, quod intellige, si hæredes sint, filij, secus si extranei. 4

Sequitur tertiò, si donatio defertur per nuncium, & contingit nuncium mori ante insinuationem, vel traditionem, censeri tacitè reuocatam donationem, quia per mortem mandatarij soluitur mandatum, vt patet *ex l. mandatum*, 57. *ff. mandati*, quare consensus donatoris, qui ei commissus, & per eum ad donatarium deferendus erat, quasi euanescit; & sic fit, vt non concurrant duorum consensus in vnum: quod tamen intellige: si nuncio commissum erat, vt verbis, & traditione reali rem perageret secus si solum literas deferendas habuit: hæ enim, si ad manus donatarij peruenerunt, sufficiunt ad donationem insinuandam, vel deferendam; quapropter ipse vicissim poterit per literas, vel alio modo, quo *infra*, eam acceptare. 5

Dixi, donationem & promissionem ante validam acceptationem non parere obligationem naturalem aut ciuilem, ordinariè; quia à Doctoribus excipiuntur quædam promissiones, & donationes, 6

nes, quæ obligant ante vllam acceptationem; nempè quæ fiunt ciuitati, vel vniuersitati, Ecclesiæ, vel Hospitali: nam quamuis in iure non inueniatur expressè, nisi de promissione facta Ciuitati, ad instaurandas ruinas, vel ob honorem ab ea receptum, recipiendumvè, vel ad faciendum aliquod opus, si hoc iam fuerit inchoatum; de quibus, *ff. de pollicitat. per totum*; Doctores tamen id extendunt ad promissiones, & donationes aliàs dictas; ratio, quia promissiones & donationes ad pias causas videntur æquari promissionibus, & donationibus factis Ciuitati, si priuilegia spectentur, vt patet *ex l. illud 19 & l. vt inter. 23. Cod. de sacros. Ecclesiis*. Vnde Felin. *in cap. 1. de pactis, num. 7.* citans pro se Bartholum, Baldum, Panorm. & alios, Couaruuias *in cap. quamuis pactum, part. 2. §. 2. num. vlt.* & Molina *disp. 263.* docent huiusmodi dictas promissiones, & donationes esse validas ante omnem acceptationem, etsi alij (qui quod promissio, & donatio non habet vim obligandi ante acceptationem, prouenire arbitrantur, non tantum ex iure ciuili, sed etiam ex iure naturali, vel gentium) doceant ius ciuile non efficere, vt promissio facta ciuitati vim habeat absolutam ante acceptationem (nihil enim tale colligitur ex vlla lege toto titulo de pollicitationibus) sed efficere solum, ne possit reuocari pro libito, sicut ex natura rei posset, & de facto potest in aliis promissionibus, & donationibus, vt patet *ex l. 3. eod. tit.* quapropter fit, vt talis promissio semper possit acceptari, & peti quæ petitio videtur necessaria, tanquam conditio sine qua non, vt promissor teneatur soluere, sicuti in iisdem legibus indicatur: non enim tenetur promissor promissionem ciuitati indicare, seu insinuare; quia nulla lex id præcipit. Idemque dicendum videtur de promissionibus ad causas pias factis, nisi ex intentione promittentis habeant vim voti: tunc enim sponte solui debent, quia licet promissio, vel donatio purè interna facta homini non obliget, quin neque externa, nisi fuerit acceptata, vti *suprà* dicebatur; facta tamen Deo obligat, vt pote facta cordium inspectori, sicuti communiter dicitur in materia de contractibus, & videri potest S. Thom. 2. 2. *quæst. 88. art. 1.* Itaque in opinione istorum nascitur ex omni promissione solum quædam obligatio, veluti conditionata, & suspensa, donec acceptetur, vel reuocetur, quam reuocationem ius positiuum potest impedire, & de facto impedit in dictis promissionibus, & donationibus, & sic ius ciuile non tribuit propriè promissioni vim, quam iure naturali, vel gentium non habet, nisi posita valida acceptatione, tamquam conditione, sine qua non, sed solum impedit, vt dicebatur, ne possit reuocari, sicut potest in aliis promissionibus, & donationibus.

Dixi secundò, *donationem, & promissionem non parere obligationem naturalem, vel ciuilem, ante validam acceptationem* quia si donatio facta est absenti; 7
vt possit validè acceptari, & sic obligationem pariat, requiritur primò quod donator absenti per epistolam, vel nuncium, cui id commiserit, eam deferat, vel insinuet: opus est enim, vt duorum voluntates concurrant in vnum, vt *suprà* dicebatur, & colligitur *ex l. absenti 10. ff. de donation. & ex l. 1. ff. de contrahenda emptione.* Vnde si alius quispiam præcurrens, cui id commissum non fuit, donationem illi insinuet, non sufficit, vt validè possit acceptari; atque ita docent communiter Doctores, vt refert Clarus *lib. 4 §. donatio, quæst. 12.*

&

& colligitur *ex gloss. in leg. nec ambigi 6. de donat.* ,& ratio est , quia cum promissor non intendat per hunc hominem , consensum , & obligationem suam in alterum dirigere , non potest alter acceptando aliquid iuris acquirere : nam cui nihil validè offertur , nihil potest validè acceptare ; cum autem promissor nuncium mittit, tunc in verbis nuncij suum consensum , & obligationem ponit , vt per eum ad absentem deferatur;& sic dum absens coram nuncio acceptat , duorum consensus concurrunt in vnum ; quod ad rationem pacti , & obligationem est necessarium, vt *suprà* dicebatur , & ex communi docet Gomezius *tom. 2. cap. 9. num. 2.*

8 Secundò requiritur , quòd si donatio per nuncium deferenda , vel facienda est absenti , absens eam coram nuncio acceptet ; nec sufficit , si eam acceptet coram aliis , vt ex multis probat Sanchez *lib. 1. de matr. disput. 7. num. 35.* & ratio est, quia alioquin duorum consensus non concurrunt in vnum , nec vicissim innotescunt , quapropter acceptatio debet imprimi illi , qui eam offert , id est , ipsi promittenti , vel eius nuncio , qui eius locum supplet:hoc ipso enim quòd aliquis destinatur ad absentem , vt offerat ei promissionem alterius , constituitur etiam ad recipiendam eius acceptationem; vel si promissio est onerosa , ad recipiendam eius repromissionem.

9 Vnde non videtur vera sententia Syluestri *verb. matrimonium 1. quaest. 12.* & aliorum , qui docent , quòd quando matrimonium contrahitur per nuncium, vel literas, sufficiat , vt absens exprimat consensum suum aliis : debet enim ex dictis consensus absentis exprimi illi, qui eum petit, & qui sub conditione illius sibi rependendi , in alterum consentit , nisi constet aliam esse promittentis mentem : quod addo, quia non est de essentia contractus , vt consensus absentis , cum quo contrahis, tibi innotescat , quandoquidem si mens tua est , vt statim contractus valeat posito alterius consensu , etiam antequam ille tibi innotescat , contractus valebit; quod tamen non praesumitur , nisi clarè expresseris.

10 Si verò per literas donationem tuam absenti offeras : vt acceptatio eius sit valida , ita vt retrocedere non possis, requiritur , quod ea tibi vicissim per literas , vel per nuncium ad te missum, innotescat:atque ita docet Sanchez *vbi suprà* , & ratio est , quia requiritur acceptatio exteriùs expressa, ita vt promissor eam possit intelligere:tum quia alioquin non concurrunt consensus duorum in vnum : tum quia antequam tibi innotescat consensus alterius , potest ille suum consensum reuocare : ergo & tu poteris tuum , quod maximè locum habet in promissionibus respectiuis,quae requirunt repromissionem : hae enim omnes tacitam hanc conditionem habent : *si is, cui promittis , similiter repromittat, seséque obliget , sicut & tu* ; quod fit signo externo ad promissorem directo. Quamuis in gratuitis promissionibus , & donationibus , non putem necessarium , vt literae acceptionis , vel nuncius ad donatorem peruenerint: quia non interest eum,qui gratis donat, scire suam donationem acceptari , sicut interest eum , qui sub onere aliquid offert , & repromissionem expectat nosse alterum repromittere , cuius rei signum est , quia donator non est multùm de eo cognoscendum sollicitus; secus verò est in eo , qui contractum onerosum init; tum denique ; quia qui gratis donat, non videtur beneficium suum ad hoc velle

velle restringere, vt non habeat vim nisi literas de acceptatione acceperit; sed potius cupit illud statim ac debito modo acceptum fuerit, efficax esse.

11 Tertiò requiritur, quod non reuoces donationem ante acceptationem donatarij: si enim reuoces antè, & nuncio, quem misisti, id innotescat, non potest nuncius quidquam efficere, sicuti habetur *in l. si vero 12. §. si mandauero, ff. mandati.* & ratio (vt ibi dicitur) est, quia extinctum est mandatum, ac proinde extincta est omnis potestas insinuandi, vel tradendi. Si autem non innotescat ante executionem, tunc distinguo: vel ille habet se solum instar nuncij referentis donationem alterius, aut rem tradentis, vel habet mandatum faciendi donationem. Si primum, facta reuocatione, nihil fit: quia deest omnino consensus ex parte donantis: ille enim nuncius solùm habet officium nunciandi, vel tradendi, non autem tribuendi aliquid iuris. Si secundum, valent eius acta, non quidem ad transferendum dominium, sed ad tribuendum donatario ius ad rem, & ad iniiciendam obligationem donatori ad consensum, sicuti colligitur *ex l mandassem 15. & l. inter causas 26. ff. mandati:* tenetur enim mandator ratum habere, quod ex vi mandati bona fide eius nomine gestum est, qua de re vide diffusiùs Gomezium *tom. 2. cap. 4. num 3.*

12 Respondetur nunc ad argumentum: Nego minorem, & concedo sequelam maioris, nempe, quod quando donatio facta est ex parte donatoris, & missa est epistola, vel nuncius, qui illam absenti insinuet, vel rem tradat, validè acceptari possit, etiamsi contingat ante insinuationem donatorem mori; atque ita docet Sanchez *lib. 1. de matrimon. disput. 6. num. 5.* Molina *lib. 4. de primogenit. cap. 2. num. 77.* & ratio est, quia donatio est gratia quædam, quando autem gratia facta est ex parte concedentis, potestas executoris non expirat morte concedentis, vti *supra* dicebatur, & expressè habetur *in cap. si super gratiam 9. de offic. deleg. in 6.*

Confirmatur, quia donatio illa ex parte donantis fuit valida, etsi reuocabilis (vt expressè dicitur *in l. nec ambigi, Cod. de donation.*) & manet virtute in literis, vel nuncio impressa, vt ad donatarium transeat; vnde perseuerat post mortem donatoris, ac proinde potest post mortem donatoris acceptari. 13

Confirmatur secundò, quia donatio mortuo donatore, non potest reuocari per hæredem, etiamsi nondum fuerit acceptata, sicuti docent communiter Doctores, Couarruu. *lib. 3. variar. cap. 14. num. 17.* Clarus *§. donatio, quæst. 12.* & alij multi; ergo signum est illam posse validè acceptari post mortem donatoris: si enim non posset, non esset cur adimeretur hæredi potestas illam reuocandi. 14

Contrarium apud Sanchez *loc suprà cit.* tenent quidam Doctores, quorum fundamentum est, quia mandatum morte mandantis expirat: verùm hic non est propriè mandatum donandi, sed donatio ipsa, vti supponebam; quapropter illorum ratio spectat ad casum hunc alium, qui sequitur. 15

Quod si donatio ante mortem donatoris non est facta, sed solùm mandata fieri; vt si quis, verbi gratia, misit rem per nuncium, vel Procuratorem cum mandato, vt suo nomine det absenti; tunc si antequam ille munere suo fungatur, contingat donatorem mori, non potest donatio validè acceptari, vnde res illa restituenda erit hæredibus donatoris. Ratio est, quia ante mortem dona- 16

tio facta non fuit, sed solùm mandatum de donando; mandatum autem extinguitur morte mandantis, vt habetur *in d. l. inter causas 26. ff. mandati*, quapropter Procurator ille non potest donationem nomine sui mandatoris facere, & si fecerit, erit nullius valoris, sicut & acceptatio. Quod tamen intellige, si mandatum non fecerit in fauorem causæ piæ: nam huiusmodi mandatum non extinguitur morte mandantis, sicuti notauit Molina ex Couarr. *lib. 1. variar. cap. 14. num. 16.* Ratio est, quia quisque in extremo suæ vitæ, cùm opera pietatis tunc maximè homini necessaria sint, sic voluisse præsumitur.

17 Confirmatur *ex l. si pater 4. ff. de manum. vind.* vbi mandatum de manumittendo seruo non expirat morte mandantis, fauore libertatis. Ergo multò magis idem dicendum est fauore piæ causæ & salutis animæ propriæ.

18 Ex dictis sequitur, quod si culpa nuncij donatio tempestiuè ante mortem donatoris facta non fuerit, nuncius ad duplicem restitutionem teneatur; hæredibus defuncti, ratione rei, quæ tunc illorum est; donatario, ratione damni, quod eius culpa donatarius contraxit; atque ita docet Molina *disput. 263.* & ratio est, quia posito tali mandato, tenebatur nuncius lege iustitiæ diligentiam adhibere, vt mandatum ex mente mandantis tempestiuè in commodum mandatarij adimpleretur.

19 Aduerte tamen, quod Sà *verbo donatio, num. 21. & verbo mandatum, num 2.* & quidam alij sentiunt, nec mandatum donandi expirare morte donatoris, eo quod huiusmodi mandatum etiam sit gratia quædam, quæ sententia non est improbabilis, & iuxta illam non tenebitur nuncius hæredibus, sed solùm donatario, vt per se patet.

SVBSECT. XXXVIII.

Proponitur SVBCOROLLARIVM *principale* XXIV.

Sequitur vigesimoquartò: quòd non possint Principes, eorúmque ministri discutere facultates, & potestates nunciorum, atque ita ex communi contra Couarruu. *pract. 99. cap. 34. num. 4.* & Bobadillam *in polit. tom. 1. lib. 2. cap. 18. num. 207.* docent Pesantius *de immunit. Eccles. disp. 20.* Azor. *part. 1. lib. 5. cap. 14. quæst. 6.* Bonacin. *de legib. disp. 10. quæstion. 2. punct. 1. §. 1. num. 15.* & alij. 1

Neque obstant, quæ pro se *in loc. cit.* adducit Couar. nam ad summum illa probant, Nunciorum potestatem discuti debere per Iudices Ecclesiasticos, qui in Regno reperiuntur, vt per Episcopos, Archiepiscopos, &c. cum ex commissione summi Pontificis debeant Nuncij exhibere Regibus, vel eorum Magistratibus literas suarum legationum, ad hoc, vt eis innotescat legitima ipsorum legatio, & authoritas, sicuti colligitur *ex capit. nobilissimus, distinct. 97.* 2

Item sequitur secundò, quod non possint Principes, eorúmque ministri in Regijs Cancellarijs retinere, & examinare literas, vel Bullas Apostolicas seu iustitiæ, seu gratiæ illæ sint; præsertim si id non faciant cum reuerentia, & subiectione, solúmque, ne sint dolosæ, vel subreptitiæ, sed faciant malitiosè in fauorem vnius, & damnum alterius, vel ad vexandum negotiatores in non expediendo regium exequatur; atque ita contra Ceuallos *in tract. de* 3

cognit.

cognit. per viam violent. in prolog. num. 157. *gloss.* 6. *num.* 6. & *gloss.* 8. *num.* 33. Io. de Neuia *in Curia Philipp. part.* 1. §. 5. *num.* 5. Cenedum *in quæst. canon. quæst.* 15. *num.* 21. & *seqq.* Sesse *de inhibition. iust.* Couarr. *pract.* 99. *cap.* 10. & 36. Driedonem, Soto maiorem *in loc. infra citand.* & alios, quibus aliquo modo fauere videntur Henriquez *lib.* 14. *cap.* 12. *num.* 6. *in gloss. lit.* Q. Graffius *in decis. part.* 1. *lib.* 4. *cap.* 10. *num.* 120. Malderus 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 10. Rodriquez *dub.* 8. *in addit. ad* §. 9. *Bullæ Cruciatæ fol.* 159. Elamas *part.* 1. *cap.* 7. §. 19. Io. de la Crux *lib.* 1. *cap.* 6. *art.* 2. *dub.* 2. *conclus.* 1. docent ex communi Theologorum sententia Pesantius *tract. de immun. Eccl. disp.* 17. *num.* 3. Reginald. *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 22. *num.* 338. Azor. *part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 14. *quæst.* 4. Alterius docent *tom.* 1. *disput.* 15. *cap.* 2. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 16. *cap.* 8. *num.* 193. & *seqq.* Zerola correctus *part.* 1. *ver. litera Apostolica*, Duard. *in Bull. Cœn. lib.* 2. *cap.* 13. *quæst.* 5. Bonacina *de legib. disput.* 10. *quæst.* 2. *punct.* 1. §. 1. *num.* 15. Acosta *in expos. Bull. Cruc. quæst.* 96. Sousa *in expos. Bull. Cœn. cap.* 13. *disput.* 76. *conclus.* 1. *numero* 2. 4. & 9.

4 Confirmatur ex verbis Bullæ Cœnæ, ibi; *capi, & retineri faciunt*, & ibi, *qui impediunt, & prohibent simpliciter, vel sine eorum beneplacito, & consensu, vel examinare executioni mandari.*

5 Confirmatur secundò, quia potestas recognoscendi, & examinandi literas, seu Bullas Apostolicas, an sint veræ, vel falsæ; an legitimæ, vel subreptitiæ, est purè, & merè Ecclesiastica ex ipso obiecto: ergò non potest cadere, nisi in personas Ecclesiasticas, vt Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, Nuncios, legatos, &c. non autem in personas laicales.

Confirmatur tertiò, quia laici, etiam 6 Principes nullo modo possunt se intromittere in iudicandis alijs rebus Ecclesiasticis, *cap. benè quidem, distinct.* 96. & *cap. decernimus de iudicijs*, & præcipuè in recognoscendis, seu examinandis sententijs, & censuris, quas tenentur statim acceptare, & exequi, quin, & præbere pro earumdem executione, Episcopis auxilium brachij sæcularis, vt patet *ex Trident. sess.* 25. *cap.* 5. *de regul.* ergò neque possunt se intromitere in recognoscendis literis Apostolicis. Adde, quod cùm laici sint incapaces huiusmodi Ecclesiasticæ facultatis, non possunt, possessione quacumque longissima, illam præscribere: nam præscriptio tribuit ius subiecto capaci, non autem tribuit ipsam capacitatem, si eam non inuenit in subiecto, vt *suprà* dicebatur *sect.* 19. *subsect.* 4.

Confirmatur quartò, quia Catholicus Ferdinandus Rex, vt id in Regnis 7 suis facere possit, obtinuit (vt videre est in quodam diplomate apud Azeuedum *tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 6. *leg.* 17.) licentiam à Pontifice: ergo signum est non posse Reges iure proprio literas Apostolicas recognoscere; sed si id facere velint ad euitanda incommoda in Regnis suis, tenentur obtinere licentiam à S. Pontifice, sicuti fecit Ferdinandus Rex, cui petenti in prædicto diplomate Pontifex concessit, vt deputare possit personas aliquas ad examinandas, & recognoscendas literas Apostolicas.

Confirmatur quintò, quia negari non 8 potest, quin per istam praxim, quam aduersarij defendunt, maximum grauamen Bullis Pontificiis imponatur, cùm executioni illæ mandari non possint, sino examine, & approbatione Regiæ

Cancellariæ:ergo &c. quapropter meritò S. Pontifex expresſè in Bulla Cœnæ reputat per id Eccleſiaſticæ iuriſdictioni violentiam inferri, & ibi aduerſus contrauenientes cenſuras fulminat, cúmque in Tridentino *ſeſſ.* 25. *cap.* 20. hortetur Reges, ac Principes, ne permittant Eccleſiaſticas perſonas à Iudicibus ſæcularibus in aliquo grauari, nunc quàm maximè grauantur, ſi proceſſus citationum, ac cauſarum beneficialium, &c. examinentur à Iudicibus ſæcularibus, cùm per hoc coram iſtis illæ litigare cogantur: ergo &c.

9 Neque dicas; dari poteſt caſus,quòd dubitetur de ſubreptione, vel falſitate literarum Apoſtolicarum:ergo tunc ſaltem poſſunt, quin debent, illæ recognoſci, & diſcuti:nam reſpondetur, vt *ſuprà*, diſtinguendo: per Iudices Eccleſiaſticos, vt per Epiſcopos, Archiepiſcopos, & nuncios Apoſtolicos, concedo, per Iudices ſæculares, qui iuris, & poteſtatis Eccleſiaſticæ ſunt incapaces, nego.

10 Neque dicas ſecundò cuilibet datum eſt ſe defendere, & illæſum ſeruare; & Rex ius habet ex priuilegio à Pontifice ſibi conceſſo, vt v. g. nulli extraneo beneficium, aut penſio Eccleſiaſtica concedatur, & ex alio capite ſæpè compertum eſt, hoc ius ſubreptitiis literis derogari: ergò iure ipſo naturali videtur Regi, eiúſque Miniſtris conceſſum, poſſe hoc damnum, & iniuriam præcauere: atque adeo non videntur contra voluntatem Pontificis procedere; ſed potius ei ſe conformare: non enim credendum eſt velle Pontificem ſubreptitias literas effectum habere.Reſpódetur, ſi certò conſtet de ſubreptione literarum, clarum eſt nullam eſſe obediendi obligationem, nullúmque peccatum committi in impedienda excutione illarum; ſed quia priuſquam id per Regios Miniſtros examinetur, non conſtat (licèt ſæpe contingat) ſubreptitias illas reperiri, ideo dicendum, quòd ob defenſionem proprij iuris non habeant illi hanc examinationem præſtare:non enim videtur eſſe locus defenſioni, niſi prius de iniuria conſtet. Adde, quod vel illa iniuria eſt nota ex ſe, vel ſolùm ex declaratione Regij Tribunalis: non primum: nam quouſque literæ non examinentur, non poteſt conſtare de ſubreptione illarum: non ſecundum, quia nemini datum eſt ius ſibi dicere in cauſa propria: tum quia illa declaratio eſt ab incompetenti Iudice, nempe ſæculari, in materia Eccleſiaſtica:tum quia ad præmittendam hanc declarationem debebat iam de iniuria conſtare, cùm in hac declaratione iuriſdictio Eccleſiaſtica vſurpetur: ergo &c.Hinc Pontifex præuidens, & exprimens rationes omnes, quæ pro parte oppoſita facere poſſent, his non obſtantibus (vt videre eſt in Bulla Cœnæ, maximè quoad illa verba, etiam prætextu violentiæ, ſeu, vt aiunt, ad nos informandos) excommunicat omnes, & quaſcumque perſonas, quæ quocumque prætextu retardauerint in ſuis Cancellariis Bullas Apoſtolicas.

Neque dicas tertiò obſtare *cap.* 2. 5. 11
20. *&* 27. *de reſcript. cap. ſi motu proprio de præbend & cap. fin. de filiis presbyter. in* 6. nam reſpondetur, nolle quidem S. Pontificem, ſua reſcripta executioni mandari, ſi veritati non nitantur, non tamen inde ſequi, illa à iudicibus laicis examinari poſſe, quamobrẽ ſi dubitetur de valore literarum Apoſtolicarum,vel de earum inualiditate conſtet, Iudices laici de hoc apponere poſſunt coram Eccleſiaſtico Iudice, cuius eſt Apoſtolicas literas examinare,diſcutere, & recognoſcere, vel etiam ſummo Pontifici

Pontifici supplicare, modo supplicationem coram sede Apostolica legitimè prosequantur.

12 Quod si detur casus, vt aditus ad iudicem Ecclesiasticum non adsit, vel ille nolit declarare subreptionem literarum & in mora sit periculum magni damni, si literæ Apostolicæ subreptitiæ executioni mandentur, potest tunc Princeps per modum iustæ defensionis illarum executionem impedire,& interim S.Pontificem certiorem facere. Idem dico de legibus Principum sæcularium in defensionem sui iurispatronatus statuentibus, ne literæ Apostolicæ executioni mandentur sine consensu ipsorum: nam neque istæ leges iustæ sunt, si fiant sine participatione, & nutu Pontificis;quinimò nec locum habent, quando Pontifex expresè derogat iuripatronatus laicorum; hoc enim, vt communiter docent Doctores *in cap.cum dilectus, de iurepatronatus*, & Couar. *in pract. quæstionum cap. 36. num. 1.)* si velit,potest facere, nec iniuriam, vel vim laicis infert, cum suo iure vtatur; quamuis re ipsa Pontifex huiusmodi laicorum iuripatronatus rarò deroget. Ratio autem vlterius, cur nulla laica potestate;etiam Regia, literæ Apostolicæ impediri possint, est; quoniam potestas laicorum Principum est ciuilis,& non spiritualis, & Ecclesiastica, quæ eum ei dominetur, & præsit, non potest ab ea,cum sit inferior, impediri, interpretari, vel discuti. Illud tamen pro laicis Iudicibus remedium est, vt apud Iudicem Ecclesiasticum de subreptione talium literarum opponant; vel etiam quando Pontifex expresè derogat iuripatronatus, coram Iudice competenti Ecclesiastico, seruato iuris ordine, ad Pontificem appellent,& libellos supplices eidem offerant, ne literæ Pontificiæ executioni mandentur; dummodò id faciant opera, & ministerio Iudicum Ecclesiasticorum, & postea vere appellationem prosequantur.

Neque dicas, quartò Reges, eorúmque Ministros examinare literas Apostolicas, ex tolerantia, & sic ex tacito consensu, & præsumpta mente Pontificis;nam Respondetur,tolerantiam istam esse tantum permissiuam, ad euitanda incommoda maiora, non autem esse approbatiuam, cum in Bulla Cœnæ quotannis Pontifex expresè reclamet. Vide nouissimè Blondum *de cens. disput. 5. art. 26. num. 3*. Vide etiam quæ dicebantur *suprà sect. 19. subsect. 3. ac 4.* & quæ dicentur *infrà dub. 27.* vide tandem *Bullam Vrbani VIII.* Super præseruatione iurium Sedis Apostolicæ, & inferiorum Ecclesiarum, personarúmque Ecclesiasticarum, à quibuscumque præiudicialibus, quæ incipit:*Romanus Pontifex*. 13

14 Restat solùm dicere id Ministros Regios efficere ex concordatis, vel ex priuilegio à Pontifice Regibus concesso: atque ita docent Bañes *in 2. 2. quæst 61. art. 1. dub. 2. concl. 6.* Iacobus de Graffiis *in decis. aur. part. 1 lib 4. cap. 10. num. 120.*& Castrus Palaus *tom. 1. disp. vnic. punct. 9 num. 10.* At respondetur,viderint ipsi Regum Ministri, an tale priuilegium Regibus concessum sit; cùm sic eius tenorem docere tenerentur, præsertim, quia multi, etiam ex Iuristis, vt Ceuallos Sotomaior *tom. 3. de Tertiis,cap. 41, num. 184* & alij negent illud. Item dato, quòd olim concessum fuerit, viderint ipsi etiam, an non renouatum sit, cùm quotannis in Bulla Cœnæ Domini omnia priuilegia, & consuetudines contra immunitatem Ecclesiasticam (quæ reuocare absque dubio potest)tanquam corruptelas, & abusus summus Pontifex reuocet; de qua re vi-

de diffusè *cit.sect.19.subsect.3.& 4.* vide etiam *cit.dub.17. & cit. Bullam Vrbani VIII.* super præseruatione iurium Sedis Apostolicæ, &c. à quibuscumque præiudicialibus, quæ incipit: *Romanus Pontifex.* Tandem dato, quòd tale priuilegium olim concessum sit, & nunquam reuocatum, illud tamen omnino dicendum est, quòd Regium exequatur requiritur tantùm quoad rescripta priuata, obtenta inter partes, vel ad instantiam alicuius, non autem quoad leges generales, & statuta vniuersalia, provt sunt Bullæ, & Extrauagantes Pontificiæ, sicuti rectè præter alios obseruauit Rao *in respons. ad dubia circa immunit. Ecclesiast. fol.* 32. & ratio est, quia si dictæ Bullæ generales exequutoriis indigerent, vniuersalis Ecclesiæ regimen in præceps rueret.

15 Confirmatur, quia hucusque (vt idem Author *ibidem* obseruat) nulla inuenitur Bulla, & Constitutio generalis Pontificia executoriis mandata. Vnde somniant quidam, qui dicunt Bullam Gregorij XIV. *de immunit. Ecclesiarum,* non subsistere, seu non valere, vbi Regium exequatur non habet.

Item sequitur tertiò, quòd non possint Reges prohibere, ne inhibitoriæ, quæ ad Magistratus Regios mittuntur, ab Ecclesiasticis promulgentur, priusquam ipsis Regibus offerantur, vt de ipsorum facultate publicetur: atque ita docent Doctores *in loco suprà citato.*

16 Neque obstat, quod docet Pereira *de manu Regia, part.2.cap.65.* cui fauere videtur Rodriq. *in addit. ad Bullam Cruciatæ, §.9 num.* 87. nempe in executione talium literarum, quibus sæculares Magistratus inhibentur inesse violentiam, & perturbationem publicarum functionum, si iniustè fiant, quapropter iustissimè tales inhibitoriæ ad ipsum Regem deferri debent, vt ipse, qui pro communi vtilitate creatus extiterit, sua manu regia licentiam Ecclesiasticorum compescat; vt se illi intra suos limites contineant: nam Respondetur, quòd ex prætensa violentia conantur Iudices laici ingerere se in causis Ecclesiasticis, quasi Ecclesiastici non haberent superiores competentes ad eorum compescendam licentiam, si fortè adesset, & quasi frustrà Pontifex in singulis Regnis Metrapolitanos, & Nuncios constitueret. Adde, quod si Episcopi in casu aliquo occcurrenti inhibere sæculares Iudices vellent, executio tota à beneplacito Regio penderet, in præiudicium magnum Ecclesiasticæ immunitatis.

Item sequitur quartò, quod non possint Reges prohibere, ne Episcopi procedant ad censuras contra officiales Regios, inconsulto ipso Rege, vel Prorege: atque ita docent Doctores *vbi suprà, in loco suprà citat.*

Neque obstat pragmatica quædam, 17
vulgò dicta *la Cathalana*, vbi hoc ipsum Episcopis prohibetur: nam respondetur pragmaticam illam esse contra immunitatem Ecclesiasticam, vt aduertit etiam Antonius de Ballis *in exposit. dicta pragmatica.*

SVBSECTIO XXXIX.

Proponitur SVBCOROLLARIVM XXV.

SEquitur vigesimoquintò, quod si Clericus & laicus simul delinquãt, vt in concubinatu, &c. tota causa aduersus vtrumque reum ad Ecclesiasticum Iudicem pertinere debeat. Ratio, quia genera

generalis regula adest, tradita à Doctoribus *in l. nulli, Cod. de iudiciis*, quod si plures simul delinquant, omnes ab eodem Iudice iudicandi sint; quare cùm laicus Iudex sit minus dignus, & impotens, ne dum incompetens: Iudex autem Ecclesiasticus sit dignior, & non impotens, quamuis ordinariè incompetens, ad istum Iudicem potius quàm ad illum pertinebit in hoc casu vtrumque reum iudicare, atque ita contra Couarruuiam *in pract. quaestionum, cap.* 34. *num.* 1. Guttierrez *lib.* 1. *pract. quaestionum, quaest.* 6. Marcum Antonium Cucchum *Institut. lib.* 3. *tit.* 9. *num.* 16. Vtsillum *in addit. ad Afflictum, decis.* 213. *num.* 7. Aymonem *consil.* 232. *lib.* 2. Rupelium *in forens. institut. lib.* 3. *cap.* 11. Osascum *decis. Pedemontan.* 103. *num.* 10. Ceuallos *part.* 2. *quaest.* 69. *num.* 7. Mexiam *super pragmat. taxa panis, conclus.* 5. *num.* 74. Francum *decis.* 113. *numero* 6. Villadieg. *cap.* 5. §. 10. *num.* 45. & ex Theologis contra Sanchez *in opuscul. tom.* 1. *lib.* 3. *cap. vnic. dub.* 30. *num.* 5. Molinam *de iustit. & iur. tom.* 4. *tractatu* 3. *disput.* 49. *num.* 24. Bonacinam *tom.* 3. *in Bull. Coena, disput.* 1. *quaest.* 16. *punct.* 5. *num.* 20. & Castrum Palaum *tom.* 2. *disput. vnic. punct.* 6. *num.* 11. docent multi Doctores, vt videre est Menochium, *de arbitr. iudicum, quaest. casu* 371. *num.* 12. & Mattham *cit. part.* 4. *casu* 44. *num.* 7. praesertim in casu, quo Iudex Ecclesiasticus praeueniret in captura, Marian. Socinus *in cap.* 2. *num.* 30. *de mutuis petitionib. & consil.* 12. *numero* 19. *vol.* 1. Bartholom. Socinus *in l. cùm Senatus, num.* 11. *ff. de reb. dub.* qui in praxi ita fuisse obtentum se vidisse testatur. Felin. *in cap.* 1. *num.* 6. *de praesumpt.* Parisius *consil.* 154. *num.* 1. *volum.* 4. Riminaldus Iunior *in l. imperium, numero* 83. *de iurisdict. omnium Iudicum, & consil.* 202. *num.* 12. & 39. *volum.* 2. *consil.* 261. *num.* 43. *volum.* 3. Card. Albanus *consil.* 13. *num.* 6. Baiardus *in addit. ad Clarum: quaest.* 36. *num.* 50. Farinacius *quaest.* 8. *num.* 151. Maynardus *de priuileg. Ecclesiastic. part.* 1. *artic.* 17. *num.* 10. Duardus *in Bull. Coen. can.* 17. *quaest.* 11. *num.* 48. Bellettus *part.* 1. *tit. de fauore Cleric. personali*, §. 16. *num.* 1. Ambrosinus *tract. de immunit. Eccles. cap.* 20. *num* 9. Tamburinus *de iure Abbatum, tom.* 1. *disput.* 15. *quaest.* 19. *num.* 31. Fagnanus *in respons. pro cens. Pauli V. part.* 3. *fol.* 85. Scaccia *lib.* 1. *de iudic. causarum*, &c. *cap.* 11. *num.* 24. vbi asserit, quod, quidquid dixerint aduersatij docentes, & testantes de consuetudine in contrarium, ita viderit ipse seruari in praxi ex decreto sacrae Congregationis *anno* 1591. *die* 10. *Decembris*, & meritò, quia magis dignum trahit ad se minus dignum, vt *suprà* dicebatur: tum quia ita patet *ex cap. per tuas, de arbitr. cap. quanto, de iudic. l. si communem, ff. quemadm. seruit amitt. & ex l. eum qui aedis, ff. de vsucap* tum quia causae continentia diuidenda non est *ex l. nulli, Cod. de iudic. & ex cap.* 1. *de caus. possess. & propriet.* tum quia dato, quod commodè vterque Iudex suum iurisdictionarium punire posset, non tamen vitaretur absurdum, quod de facili euenire posset, si scilicet diuersae, & forsitan contrariae sententiae ferrentur, verbi gratiâ, si Ecclesiasticus puniret Clericum, laicus autem absolueret, vel è contra; cùm tam Clericus quàm laicus de eodem delicto inquietentur, & aequales contra vtrumque probationes adessent.

Non obstat quòd contra nostram sententiam videatur facere Bulla Pij IV. *die* 26. *Maij anno* 1565. nam dicta Bulla fuit correcta, & redacta ad terminos 2

iuris

iuris communis, & Concilij Tridentini per aliam Bullam Pij V. *die* 20. *Iunij, anno* 1566. vt rectè notat Scaccia loco *suprà cit.*

Non obstat secundò *l. si quis vxori, ff. de furtis*, quam pro se adducunt aduersarij: nam, vt benè aduertit Ambrosinus vbi *suprà*, cùm vxor de furto non teneatur pro rebus subtractis à viro, si alius, qui ei opem præstitit ad furandum, hanc immunitatem haberet, impunitus euaderet; quare non mirum, si priuilegio vxoris non gaudeat, vt ibi dicitur, & ita secundùm nostram sententiam fuisse decisum *anno* 1591. per S. Cardinalium Congregationem testatur Scaccia vbi *suprà*, in casu cuiusdam Clerici, & laici, qui erant inquisiti de violentia illata cuidam mulieri: nam ambo fuerunt remissi ad Iudicem Ecclesiasticum.

3 At quoniam (vt monet Menoch. *loc. citat.*) opinio hæc non seruatur in praxi; cum passim Iudices sæculares contra concubinas, & mulieres suspectas procedere soleant; quinque hîc omnino aduertenda sunt.

4 Primum est, quod nullo modo licitum sit Iudici laico, vel eius ministris in Domum Parochi irruere, & mulierem inde extrahere; quia hæc esset violentia vsurpata aduersus ipsos Clericos, vel saltem contra illos iurisdictionem coactiuam exercere; quod ipsos facere nullo modo posse, clarè patet ex iis, quæ *suprà* dicebantur.

5 Secundum est, quod probanda non sit consuetudo quorumdam Iudicum laicorum, qui expensas factas in captura, & custodia mulierum suspectarum, postea exigunt à Clericis, tanquam in expensarum causam præbuerint: nam in primis Clericus concubinarius harum expensarum causa per se non extitit, cùm mulierem ipse capi non iusserit; sed solum per accidens suo delicto, ad id occasionem præbuit; Vnde sequitur, quod hæc expensarum exactio potius habeat rationem pœnæ, quæ Clericis à sæculari Iudice inferri non potest, sicuti *suprà* dictum est.

Adde, quod per hanc condemnationem in expensas, iudicium fertur, saltem indirectè, de crimine Clerici, non citati, nec auditi; & interdum innocentis; idque non sine publica infamatione; quæ omnia excedunt Iudicis sæcularis potestatem, ergò, &c.

Tertium est, quod quando in ali- 6
quo casu causa decisa fuit per duos Iudices, vnum laicum, & alterum Ecclesiasticum, appellatiò facienda sit coram Ecclesiastico, quia (vt *supra* dicebatur) dignior trahit ad se minus dignum; & quia cum in dicta appellatione agatur de actu ipsorum Iudicum, quorum Iudex non potest esse laicus, appellatio necessariò interponenda est coram Ecclesiastico, atque ita docet Felinus *cap.* 1. *de præscrips. num.* 6. Ambrosin. *de immun. cap.* 20. *numer.* 6. Bonacin. *in Bull. Cœn. disp.* 1. *quæst.* 16. *punct.* 5. *num.* 20. quamuis contrarium non rectè sentiat Couarruu. *lib.* 2. *var. capit.* 22.

Quartum est, quod quando incidit 7
quæstio, cuius sit iurisdictio, Ecclesiasticus sit Iudex: quia in tali casu maior cognoscere debet, vt patet *ex cap. si Iudex de sentent. excommunic. in* 6. & docet Ripa *in capit. decernimus de iudic.* Alex. *consf.* 8. *col.* 3. *lib.* 1. Felinus, & Decius *in pastorali de rescript.* Couar. *cap.* 33. *pract. quæstionum num.* 1. vbi testatur ita in Hispania seruari. Gutierez *pract. quæstionum lib.* 1. *quæst.* 6. *num.* 2. Fagnan. *in respons. pro censur. Pauli V. part.* 4. *fol.* 121. & Sanchez

in

in opusc. tom. 1. *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 52. *num.* 2. *& dub.* 55. *num.* 31.

8 Quintum est, quod in dubio tenenda sit opinio, quæ fauet Ecclesiæ, quia Ecclesia est fauorabilis: tum quia ita habetur *in capit. fin. de sentent. & re iudic.* & *in leg. sunt personas, ff. de relig. & sumpt. funer.* & ita ex antiquis docet Felinus *in capit.* 1. *num.* 104. *de constit.* Iason *in leg. filiusfam.* §. *diui num.* 82. *& in repet. numer.* 110. *ff. de leg.* 1. Decian. *lib.* 3. *consil.* 80. *numero* 22. Hondedeus *lib.* 1. *consil.* 3. *numero* 24. Bellettus *part.* 1. *tit.* 6. §. 4. *numero* 13. & Maynard. *de priuileg. Eccles. contra Venetos, part.* 2. *artic.* 22. *numero* 61.

9 Porrò ex eodem principio *suprà* dato decidere possem multos alios casus; at, ne sim longior, hos decidisse sufficiat: nam cætera, quæ spectant ad materiam de immunitate & libertate Ecclesiastica, *infrà* in locis suis diffusè dicentur.

SECTIO XX.

Proponitur quarta Ampliationis quoad quintam partem probatio.

1 RAtio dicti quoad quintam partem, quod scilicet Ecclesiastici sæcularium Principum legibus, quoad vim coactiuam, non subdantur, neque etiam quo ab bona, quæ possident, illa est; quia si bona non habent obligationem per se, propriam sibi, seu realem, necessariò sequuntur statum & conditionem personæ; ita vt si persona eximitur, eximantur & bona personæ; si quidem fieri non potest, vt Iudex de bonis processum iudicij, atque sententiam formet, nisi personam vocando, examinando, eidem iubendo, &c. quæ sine iurisdictione in personam fieri non possunt; quare certum est, inquit Abbas in loc. *infrà* citando, quod si persona est exempta, etiam & res personæ exempta sit; atque ita prætereà habetur *in cap. nullus clericus, cap. nullus Episcopus, cap. placuit* 1. *&* 2. *causa* 11. *quæst.* 1. *cap.* 2. *cap. at si clerici, de iudiciis, cap. si diligenti, de for. compet. cap. sæculares eod. in* 6. *& in Authentic. statuimus, Cod. de Episcop. & Clericis*; quare hanc esse communem Doctorum sententiam, testatur Abbas *cap. qualiter, de iudiciis, num.* 8. Mynsingerus *centur.* 1. *obseruat.* 22. *num.* 2. Martha *part.* 4. *casu* 125. & alij communiter.

Non obstat quod nonnulli Iuristæ, vt 2
videre est apud Fabrum §. *vlt. num.* 8. *de satisdat.* Mynsing. *centur.* 1. *obseru.* 22. *num.* 2. *& centur.* 4. *obseruat.* 95. & Gaill. *lib.* 1. *obseruat.* 37. contrarium sentiant; nempe quòd Clerici in causis realibus, coram sæculari Iudice conueniri possint, ex eo quod (vt inquiunt ipsi) quisque sortitur forum in loco vbi res sita est, vel vbi celebratus est contractus, *l. vlt. Cod. vbi in rem actio, Cod. vlt. de for. compet.* Nam respondetur, quod id vniuersim verum non sit, & quod regula illa varias limitationes habeat, quarum ea certissima est, nisi scilicet persona priuilegiata, & exempta sit à foro sæculari, sicuti de facto sunt Ecclesiastici, vti *suprà* dicebatur: nam in tali casu seruādum est, quod *in eadem lege vltima* dicitur, quod scilicet actor rei forum sequitur, siue in rem, siue in personam sit actio.

SVBSECTIO I.

Proponuntur ex præcedenti doctrina Corallaria quædam.

1 EX dictis sequitur primò, quod confirmetur magis doctrina toties tradita, nempe quod in casibus, in quibus (vt *suprà*) Ecclesiastici non possunt à Potestate laica puniri in personis, non possint etiam puniri in ipsorum bonis, quæcumque bona illa sint, etiam patrimonialia: Ecclesiastici in patrimonialibus etiam gaudent iisdem priuilegiis, & exemptionibus, quibus gaudent eorum personæ: & ratio est, quia bona patrimonialia etiam sunt accessoria personæ, quarè cum potestas laica non habeat authoritatem in Ecclesiasticos quoad personas, neque authoritatem habet in illos, quoad eorum bona, quæcumque illa sint, etiam patrimonialia, vt pote accessoria personæ, & hinc *in Clem.* 1. *de vita, & honestic. Cleric.* expresè habetur: quod Clerici gaudent priuilegio clericali, non solum in personis, sed etiam in bonis, & Abb. *in cit. cap: qualiter, de iudiciis* dixit quod si persona est exempta, exempta sunt etiam bona personæ: & ratio est clara; quia sicut iurisdictionem importat punire Ecclesiasticos in persona, ita etiam iurisdictionem importat punire illos in pœna pecuniaria, vel in eorum bonis.

2 Confirmatur quia cum quis punitur in bonis talis pœna vt plurimum saltem pro aliqua parte, applicatur fisco, & cum pœna applicanda est fisco, causa dicitur criminalis sicuti docet gloss. *in l.* 3. *ff. de sepul. viol.* & *ibi* Bart. sed per Bullam Cœnæ nullo modo potest potestas laica Eccclesiasticos cognoscere in causa criminali ergo, &c.

Secundò sequitur, quod Ecclesiastici iurisdictionem laicam aut alia Regalia vsurpantes, non possint à potestate laica bonis temporalibus priuari, idque propter easdem rationes: & confirmatur, quia expresè hoc prohibetur in Bulla Cœnæ in iis verbis: *siue redditus, & prouentus ad quascunque*; personas Ecclesiasticas pertinentes vsurpant, vsurpare autem idem est, quod occupare, vt docet Caiet. & habetur *in Clem.* 1. *vers. vsurpare*: atque ita contra Garsiã *de Hispan. nobilit. gloss.* 9. *num.* 32. Borell. *de præstantia Regis Cathol. cap.* 71. *num.* 55. Peguer. *in pract. crimin. cap.* 24. *num.* 7. Selse *de inhibit. cap.* 8. §. 3. *num.* 100. Olibanum *de iure fisci cap.* 12. Bayetol. *in allegat. pro iurisd.* 5. *officij artic.* 5. *num.* 127. Osorium *lib.* 4. *in prælud.* §. 2. Bobadillam *in polit. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 60. & alios iuristas, quos refert, & sequitur Ramirez *tract. de lege Regia*, §. 27. *num.* 15. *in gloss. lit. F*, & Pradilla *part.* 1. *cap.* 8. *num.* 4. docet ex communi Theologorum sententia Megalius *in* 3. *part. lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 12. vbi recte excipit, nisi id fiat cum expressa sedis Apostolicæ licentia, ita etiam docent Marthia *de iurisd. p.* 4 *cas.* 101. & Duard. *in Bull. Cœnæ lib.* 2. *cap.* 17. *quæst.* 5. vbi ex Marthia *in loco suprà cit.* docet, non licere laicæ potestati (cuius iurisdictio ab Ecclesiasticis vsurpatur) eorum bona vel fructus sequestrare, aut (quod plus est) occupare, etiamsi bona sint ex patrimonialibus, ex eo, quia Ecclesiastici in patrimonialibus gaudent iisdem priuilegiis, quibus gaudent eorum personæ ita etiam docet Sanchez *in opusc. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 55. *num.* 2. & 31. & *lib.* 3. *cap. vnic. dub.* 31. *num.* 2. vbi generaliter ait, potestatem laicam non posse

se procedere, neque contra personam Clerici, neque contra bona Clerici, ex eo, quia bona sunt accessoria personæ: ita etiam docet Bonacin. *in Bull. Cœn. disput. 1. quæst. 18. punct. 3. num. 12.* vbi recte tradit, quod iurisdictio laica ab Ecclesiasticis vsurpata non confert laicis ius vsurpandi, vel occupandi bona Ecclesiasticorum, ad seruandam æqualitatem in iudiciis: ita etiam docent alij Theologi passim.

4 Non obstat, quod ex doctrina Innocentij *in cap. cum olim, il. 1. de restit. spoliat. & in cap. dilectus, de Pœn. competat.* Ordinario iurisdictio in extraneos, suam iurisdictionem impedientes, iuxta *cap. de offic. delegat.* nam respondetur, quod procedere id non potest, quoad Ordinarios Iudices laicos contra Prælatos Ecclesiasticos, cum non liceat Inferiori iudicare, & punire suum superiorē.

5 Tertiò sequitur quòd Ecclesiastici iurisdictioni laicæ resistentes, & impedientes, non possint à potestate sæculari, non solum capi (vt exprefsè prohibetur in Bulla Cœnæ, excipe, si aliter iurisdictio laica defendi non posset: tunc enim liceret ratione iustæ defensionis) sed nec etiam puniri in pœna pecuniaria, vel in bonis, idque propter easdem rationes: atque ita contra Bobadillam *in polit. tom. 1. lib. 2. cap. 18. num. 84.* & Villadieg. *polit. cap. 5. num. 77.* docet Megalius *in 3. part. lib. 3. cap. 11. num. 23.* ex eo, quia Ecclesiasticorum bona gaudent (vt sæpius dictum est) priuilegio personæ, & Sanchez *in opusc. tom. 1. lib. 3. cap. vnic. dub. 31. num. 3.* ex eo, quia bona Ecclesiasticorum sunt accessoria personæ; vnde *dub. 21.* damnat iudices laicos illos, qui puniunt pœna pecuniaria Clericos, qui in officio sæculari deliquerunt, de qua re tamen nos *infrà* diffusè dicemus.

Quartò sequitur, quod, si Ecclesiasticorum animalia damnum inferant, non possint per iudicem laicum capi, vt damnum ab illis illatum reparetur, idque propter easdem rationes, atque ita docet Lopez *part. 7. tit. 15. leg. 24.* & Castillo *in l. 70. Tauri num. 18.* vbi docent, quod Ecclesiastici in tali casu puniri debeant per Iudicem suum Ecclesiasticum, ita etiam docet Sanchez *vbi suprà* ex eo, quia bona sunt accessoria personæ, atque adeo cum potestas laica habeat iurisdictionem in personam, neque iurisdictionem habet in bona personæ; sed de hac re vide diffusius *sect. 19. subsect. 12.* 6

Quintò sequitur, quòd non possit potestas laica, seu Princeps laicus occidere bannitum in territorio Ecclesiæ, quin imò neque in territorio alterius Principis laici; quia cum vtrumque territorium sit extra iurisdictionem suam, non extenditur ad illud ipsius authoritas: atque ita contra Finellium *de cas. reser. cas. 4. num. 41.* & Grassium *part. 1. lib. 2. cap. 61. num. 57.* docent Azotius *tom. 3. lib. 2. cap. 2. quæst. 3.* Sà *vers. homicidium, num. 10.* Layman *lib. 3. sect. 5. tract. 3. cap. 2. num. 3.* Filliucius *tom. 2. tract. 28. cap. 2. num. 24.* Bonac. *de contract. disp. 2 quæst. vlt. sect. 1. punct. 2.* Reginald. *tom. 2. lib. 21. cap. 2. num. 18.* Homobon. *tom. 1. part. 2. resp. 118.* & alij passim. 7

Excipe primò, nisi adesset licentia expressa, vel tacita, vel rationabiliter præsumpta, alterius Principis, in cuius iurisdictione moratur bannitus, quia tunc cessat iurisdictionis alienæ vsurpatio.

Excipe secundò, nisi reus esset bannitus à Papa: quia hic habet iurisdictionem illimitatam per vniuersum Orbem, saltem indirectè; quare non mirum, si potest mandare occidi à se præscriptum

Z 2 reum

reum in alieno territorio, cuiuscunque illud sit, saltem, cùm sic expedit ad bonum spirituale, vel finem supernaturalem.

Excipe tertiò, si occidatur grassator, qui vias publicas tenet: quia tunc fit ab occidente in iustam defensionem suam, & aliorum, quibus ille mortem, & damna machinatur; & præterea fieri videtur in iustam vindictam auctoritate publica Principis, cuius est territorium: vbi etiam aduerte, quod & proponere potest Princeps præmium occidenti bannitum, cùm proponat sic præmium ad rem, quæ est sibi licita, vti notant, *vbi supra*, Doctores, quidquid in contrarium dubitare videantur Sot. *de iust. lib.5. quæst.1. art.3.* & Bonac. *in loco suprà citat. num.3.*

8 Sextò sequitur, quòd si Ecclesiastici transgrediuntur legem ciuilem, non possit potestas laica ab illis exigere pœnam à tali lege impositam, siue illa sit pœna priuationis rerum, quæ quasi in commissum ceciderit, siue sit pœna pecuniaria, vt si, v.g. contra legem ciuilem prohibentem vendant Ecclesiastici rem *suprà* pretium taxatum; vel extra Regnum annonam asportent; vel quibusdam vestibus induantur, vel ad piscandum, aut venandum canibus, auibus, aliisve quibusdam instrumentis vtuntur, vel arma quædam, præsertim tempore noctis, portent, &c. non possit (inquam) potestas laica in his, & similibus casibus Ecclesiasticos talibus rebus spoliare, & priuare, quasi illæ in commissum ceciderint, vel pœna pecuniaria eos punire, idque propter easdem rationes: & confirmatur, quia infligere pœnam à lege impositam, siue pœna sit priuatio rei, quasi in commissum ceciderit, siue sit pœna pecuniaria, est actus iurisdictionis, quam nullo pacto in Ecclesiasticos potest laicus exercere: ergo &c. atque ita contra Villadiegum *in instit. Polit. cap. 5. §. 20. num. 66.* Pereiram *de manu Regia, part. 2. cap. 39. num. 15.* Rebuffum *tom. 2. constit. tit. de mercat. min. vendi, in rubr. gloss. 13. num. 1.* & alios Iuristas, quos citat, & sequitur Camillus Borellus *in summ. decis. tit. 43. de foro competent. num. 34. & 35.* docet Suarez *in defens. fidei, lib. 4. quæst. 34. num. 14. & de legibus, lib. 3. cap. 34. num. 17.* Sanchez *in loco suprà cit.* Martha *de iurisdict. part. 4. cent. 1. cas. 7.* Becanus *in summa Theol. tom. 2. tract. 3. cap. 6. quæst. 11. num. 2.* Tanner. *in 1. 2. disp. 5. quæst. 6. dub. 2. num. 26.* Malder. *ibidem, quæst. 96. art. 5. §. de Ecclesiasticis*, Sousa *in Bulla Cœnæ, cap. 20. disput. 95. num. 4* Bonac. *etiam in Bulla Cœnæ, disp. 1. quæst. 16. punct. 5. num. 27.* Barbosa *de iure Ecclesiast. lib. 2. cap. 4. num. 140.* Merolla *tom. 2. disp. 4. cap. 3. diffic. 2. num. 608* Baldellus *tom. 1. lib. 5. disp. 57. num. 8.*

Non obstat, quod id Ecclesiastici faciendo operentur contra canones, vel contra legem sui Prælati Ecclesiasticam: nam hinc tantum sequitur, quod à potestate Ecclesiastica: non autem à laica puniri debeant. 9

Non obstat secundò, quod id Ecclesiastici faciendo, operentur contra legem, quamuis ciuilem, latam tamen ob bonum commune, & sic contra legem, qua ipsi etiam ligantur. nam hinc tantùm sequitur, quod illa ligentur secundùm vim directiuam tantum, non autem secundùm coactiuam etiam, nisi per suos Prælatos.

Non obstat tertiò, si dicas, quod Ecclesiastici prædictis rebus priuentur, quasi in commissum ceciderint, sine forma iudicij: nam si in commissum cadunt, cadunt ex vi legis prohibentis, & sic

& sic per modum pœnæ impositæ à lege ciuili prohibente, cui nullo pacto Ecclesiastici subduntur secundùm vim coactiuam. Adde, quod tunc maior coactio efficitur, quando pœna à lege imposita exigitur sine controuersia iudiciali, sicuti rectè notauit Suarez *de legib. lib.* 3. *cap.* 34. *num.* 17. quidquid in contrarium dixerit Palaus *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 1. *punct.* 14. §. 6. *numer.* 9 & Lublinus *ver. Bull. Cœn. cas.* 17.

10 Non obstat quartò, si dicas, id non effici per modum iurisdictionis, vel aliqualis punitionis, sed per modum iustæ defensionis: nam id verum esset, si pro illa occasione tantùm, Ecclesiastici rebus suis priuarentur; at postea ipsis, vel ipsorum Prælatis eadem redderentur: Vnde Episcopi in aliquibus locis dant facultatem ministris laicis, vt si Clericos cum armis prohibitis noctu inueniant, capiant, & ad ipsos deducant: quia sic euitantur scandala, & consulitur bono communi: quod mihi non improbatur.

Non obstat quintò, si dicas, ita consuetudinem esse in aliquibus locis: nam consuetudo ista saluari non potest, nisi nitatur in consensu, saltem implicito, Prælatorum, vel in summi Pontificis concessione sed de hac re tamen vide, quæ diffusè dicebantur *in sect.* 19. *per suas subsectiones sequentes*, & quia dicentur *in dubitat.* 27. *per totam.*

SVBSECTIO II.

Proponuntur doctrinæ limitationes quædam.

1 DOctrina tradita *in præcedenti sectione* 20. secundùm omnes Doctores limitanda est primò, nisi bona, quæ ab Ecclesiasticis possidentur, in ordine ad laicum obligationem habeant per se, sibique propriam, quod accidit, si à laico v. g. Imperatore, Rege, &c. in feudum data fuerunt, vel ipsimet Ecclesiæ, vel alteri, v. g. Comiti, &c. alteriue Vassallo, qui postea Ecclesiæ donauit, cùm enim iste Vassallus non potuerit plus iuris in Ecclesiam transferre, quàm ipsi competebat iuxta *reg.* 79. *in* 6. consequens est, quod Dominium directum semper maneat penes primum conferentem, ad quem proinde propriè pertinet de controuersiis super feudo exorientibus iudicare: sicuti habetur expressè *in cap. ex transmissa, cap. verum de for. compet.* vbi Abb. *num.* 13. *& in cap. dilectus*, *num.* 4 *de presb.* Mynsing. *cent.* 5. *obser.* 8. Gaill. *lib.* 1. *obseruat.* 30. & 37. Surd. *lib.* 3. *cons.* 396. S. Anton. *part.* 3. *tit.* 9. *cap.* 2. §. 3. Ambrosinus *de immunit. capit.* 20. *num.* 56. Baiardus *in Clarum lib.* 4. §. *feudum*, *quæst.* 90. *num.* 8. Duard. *in Bull. Cœn. can.* 15. *quæst.* 11 *num.* 68 Martha *casu* 198. & Suar. *lib.* 4. *defens. cap.* 14. *num.* 12. qui etiam meminerunt regalium feudorum, qualia Episcopis, & aliis quibusdam Prælatis Germaniæ ab Imperatore concedi solent, vt simul sint Imperij Principes: ideóque ratione horum bonorum Imperatori subiiciuntur: perinde, ac Principes sæculares: quia nihil obstat, quin idem homo diuersis respectibus, diuerso iure, & qualitate censeatur: quare in controuersiis, quæ ratione feudalium Dominiorum oriuntur, Episcopus non ad Papam, sed ad Imperatorem appellet, necesse esse, monent Doctores: *in citat. cap. verum*, *& cap. solitæ de maior. & obedientia*; & ratio est, quia cum Dominus laicus cognoscit in causa feudali

potiùs iudicat de re sua, quàm de Clerico, cùm tantum in tali casu sit Iudex respectu causarum, quæ oriuntur occasione feudi; tum quia Clericus in dicto casu non subiicitur in iudicio Domino feudi: vt Clericus, sed solùm, vt Baro: atque ita docet Abb. *in cit. cap. verum, num.* 13. quin imò idem Abb. *in cit. cap. dilectus, num.* 4. tradit, quod si & Ecclesia habeat feudum à laico, censetur etiam, vt laicus.

2 Vbi aduerte primò, quòd quamuis non improbabiliter Paulus Squillante *de priuileg. Cler. cap. 7. dub. 14. num.* 105. & alij penes ipsum prædictam doctrinam solùm admittunt, quando Clericus pro feudo coram Iudice sæculari conuenitur de petitorio solùm, & sic quando de proprietate sola agitur: nam quando iudicio possessorio Clericus impetitur, causa possessionis (inquiunt ipsi) coram Iudice Ecclesiastico agenda est, contrarium tamen ex dictis Bonacina *in Bulla Cœnæ, tom. 3. disp. 1. quæst. 16. sect. 1. punct. 6. num. 6.* & alij docent: quin ita fuisse decisum refert Ioan. Baptista del Thoro *in compend. decis. Neapol. verb. Cler. fol.* 93.

3 Aduerte secundò, quòd Bald. *in l. de his, Cod. de Episc. & Clericis* docet, quod si tributum, vel pensio quæcunque adhæreat ipsi rei, Iudex laicus (si iniustè ipsi negetur) prouidere sibi potest occupatione fructuum, vel possessionum, quæ sub sua iurisdictione sunt, modò nihil attentet contra personam Clerici; quia obligatio inhærens fundo est secundùm se sine ordine ad personam: vide, quæ dicentur *infrà in dubitat.* 29.

4 Aduerte tertiò, quod Suarez *cit. lib. 4. cap. 34. num. 26.* cum Borello *de præst. reg. cap. 71. num.* 34. Anguiano *de legib. lib. 2. contr. 21. num.* 58. Cenedo *in Collect. iur. can. part. 1. collect. 37. num. 16.* Bobadilla *in polit. tom. 1. lib. 2. cap. 18. num.* 99. Ceuallos *in tract. de cognit. per viam violent. part. 2. quæst. 65. num.* 14. Pereira *de manu Regia, part. 2. cap. 48. num* 4. Escobar. *tract. de ratiocin. cap. 7. num.* 7. & aliis defendit consuetudinem, secundùm quam Imperator in vassallos suos Clericos, & Rex in Ministros, & Consiliarios Clericos inquirit, eósque pecuniariis pœnis, depositione ab officio, aut feudi priuatione punit, quia tunc non considerantur (inquit ipse) nisi sub respectu merè ciuili, & maximè, quia sub illa conditione, & pacto ad ea ministeria, &c. acceptantur, quod pactum neque contra exemptionem Ecclesiasticam, neque contra bonos mores esse videtur; (loquitur autem Suarez in casu, quo feudum iure proprio agnationis ad Clericum pertinet: nam si ad ipsum pertineat ratione Ecclesiæ, quam administrat, certum est, quod Clericus priuari illo non possit propter crimen ipsius: cùm delictum personæ in detrimentum Ecclesiæ redundare non debeat.)

At contrarium, & probabilius docent Innocent. *in cit. cap. verum, de foro compet.* Abbas *ibidem num.* 17. vbi ait, si aduersus vassallum Clericum agatur de crimine, ob quod feudo priuari mereatur, eius cognitio non ad dominum feudi laicum pertinet, neque Clericus feudo antè priuari potest quàm ab Ecclesiastico Iudice condemnatus sit. Ratio, quia de crimine Clericorum Iudex laicus, neque directè, neque indirectè cognoscere potest. Duardus *in Bull. Cœnæ lib. 2. can. 15. quæst. 11. num.* 273. vbi docet, quod Clericus trahi non potest ad forum sæculare, etiam ratione officij sibi concessi à Principe sæculari, si in eo delinquat; nec etiam ratione cuiuscumque artificij, si quam exerceat artem, 5

artem, quæ Consules habeat,ac Primates, apud quos illius artificij iurisdictio resideat: Megalius *in* 3. *part. lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 26. *&* 32. Bonacina *de legibus, disp.* 10. *quæst.* 2. *punct.* 1. §. 1. *num.* 24. Ambrosinus *de immunit. Ecclesiast. cap.* 20. *num.* 54. Paulus Squillante *de privileg. cleric. cap.* 7. *dub.* 3. *num.* 87. Erasmus Cochier *d. iurisdict. tom.* 2. *part.* 3. *quæst. vlt. num.* 1. *&* 2. Zanardus *in direct. Confess. tom.* 3. *cap.* 50. & Carolus de Graffis *de eff. cleric. eff.* 1. *num.* 82. vbi testatur sic fuisse obseruatum in causa cuiusdam Equitis Hierosolymitani, qui sæculare officium quoddam exercuerat.

6 Hinc Doctores isti tenent, Iudicem laicum in Bulla Cœnæ excommunicationem incurrere, si trahat Clericum ad suum tribunal, etsi eum trahere intendat, prætextu officiorum sæcularium, quæ Clericus exercuit; & ratio assignari potest, quia Bulla generaliter loquitur; & solùm excipit casus in iure expressos; exceptio autem firmat regulam in casibus non exceptis: tum quia, licet Clericus nequeat officia sæcularia sine Superioris dispensatione suscipere, *cap. Sacerdos, ne Cleric. vel Monach.* nihilominus priuilegium clericale retinet, & exemptus est à laica potestate, *cap. fin. de vita & honestate Clericorum.* Quapropter Clericus, qui officium tutoris, vel curatoris, vel administratoris bonorum exercuit, vel aliud quodcumque, & in eo delinquit, non potest in iudicium à laico ad reddendam rationem vocari, licèt enim delinquat assumendo huiusmodi officium, non tamen fori priuilegium amittit. Ergo, &c.

7 Neque dicas, Episcopus solùm potest cognoscere, & punire officiales suos laicos, verbi gratiâ, Carcerarios, Fiscales, Commissarios, actorum Magistros, Notarios, Lictores, &c. sicuti ex communi contra Paponium *de Iure Franc. lib.* 1. *tit.* 4. *Arrest.* 8. docent Riccius *in praxi tom.* 1. *resolut.* 471. & Barbosa *de potest. Episcopor. part.* 3. *allegat.* 107. *num.* 11. *& seq.* Ergo sic è contra, &c. nam respondetur: disparitas est, quia laici (licèt laici) hoc ipso, quod sunt officiales Episcopi, gaudent priuilegio fori Ecclesiastici, vtpote quia sunt de familia Episcopi. Vnde non mirum si eorum delicta omnia habeat solum Iudex Ecclesiasticus, & non laicus, cognoscere, ac punire, adeò vt si Iudex laicus velit se in illa intromittere, possit ab Episcopo excommunicatione vinciri.

Neque dicas secundò, quod Clericus in tali casu, solùm in bonis, non autem in persona punitur; nam respondetur, vt *suprà*, quod cum persona sit exēpta, sunt etiam exempta bona personæ: quare meritò Duardus *loc. cit. num.* 31. inuehitur in illos Iudices, qui puniunt Clericos pœna pecuniaria, & pro pœna corporali eos ad Episcopos remittunt: bona enim Clericorum sequuntur priuilegium personæ; sicuti *suprà* dicebam: & notauit Sanchez *in opuscul. tomo* 1. *lib.* 3. *cap. vnic. dub.* 21. *numero* 11. Duard. *loc. suprà cit. num* 52. Genuensis *in praxi cap.* 8. *num.* 5. Souza *in Bull. Cœna, cap.* 20. *disput.* 95. *numer.* 4. & priùs Abb. *in cit. cap. qualiter, de iudiciis*, vbi ait, certum esse, quòd si persona est exempta, sit & exempta res personæ; quare sententiam hanc docet etiam ex Iuristis Martha *de iurisdict. part.* 4. *centur.* 2. *casu* 127. *num.* 5. vide etiam Riccium *in praxi, tom.* 2. *resolut.* 413. *num.* 2. Barbosam *in collect. tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 50. *cap.* 2. *num.* 4. Francisc. Marc. *part.* 3. *decis.* 479. *num.* 4. *&* 5. & Caballum *resol. crim. casu* 64. 8

Vide etiam Antonium de Marinis 9

quotidian.

quotidian. resolut. cap. 35. *num.* 15. vbi notat, quod stando in priori sententia, limitanda illa foret, vt si ibi compilato processu comparuerit Clericus debitor, & in officio deliquisse, sint Iudicis sæcularis partes, non ille ad soluendum condemnare debeat Clericum; sed tantùm declarare quantitatem, in qua debitor apparet, & hac declaratione facta Iudex Ecclesiasticus adeundus sit pro illius executione; & ratio est clara, quia (vt sæpe dictum, & probatum est) executio sententiæ contra Clericum in casibus permissis, non ad Iudicem laicum, sed ad Ecclesiasticum spectat de iure.

10 Secundò limitanda est prædicta doctrina, si scilicet bona immobilia à laicoDomino donata fuerint Ecclesiæ cum reseruatione iurisdictionis, &c. nam in tali casu talis conditio, tamquam iusta, omnino seruanda est; sicuti docent Doctores *in cap. verum, de condit. apposi. tis, cap. præterea* 2. *de iurepatronatus*; & in specie notauit Molin. *tract.* 5. *disp.* 6. & Suar. *lib.* 4. *defens. cap.* 14. *num.* 13. vbi ait, quod seruanda est conditio, quoties bona à principio data fuerunt Clericis, vel Ecclesiis sub ea conditione, vt semper sub eodem foro maneant, sub quo tunc existebant, & ratio est, quia Dominus plus transferre non voluit, quilibet autem est in re sua moderator, & arbiter *l. in re mandata, Cod. de man. & l. Polla, Cod. de his, qui vt indig. contra instit. de his, qui sunt sui, vel al e. iur* §. 1. quare Molin. *loc. suprà cit.* subdit, quod sæpe huiusmodi dominia iurisdictionis sæcularis oppidorum translata fuerunt à Magnatibus in Religiones, & alias Ecclesias; neque potuit ad illas, sine speciali alia Principis concessione, transire maior iurisdictio in illa oppida, quàm Magnates illi in ea habuerint; sicuti *suprà* nos etiam dicebamus.

Tertiò limitanda est eadem doctrina, 11 si scilicet bona immobilia, antequam venirent ad ius Ecclesiæ, vel Ecclesiasticorum, onus aliquod certum, & inuariabile annexum habebant, v. g. aliquem censum, vel seruitutem Principi debitam, vel onus reparando viæ publicæ adiacentis, &c. nam in tali casu tale onus, etiam ab Ecclesiasticis præstandum erit. Ratio, quia res quæque cum suo onere transit, *cap. constat, & cap. cum non sit, & cap. pastoralis de decimis.* Vide Sylu. *verb. immunitas* 1. *num.* 19. & Lessium *de iust & iure, lib.* 2. *cap.* 33. *dub.* 3. *num.* 19. Porro cætera, quæ spectant ad materiam *de immunitate, & libertate Ecclesiastica*, *infra* diffusè in locis suis dicentur.

SECTIO XXI.

Proponitur COROLLARIUM VIII.

Licitè etiam potest Princeps (si sic 1 exigit bonum commune, cui ille hîc, & nunc, cum vrgeat necessitas, aliter prouidere non possit) sumere bona subditorum, quibus postea de proprio (si habebit) vel (si non habebit) de communi, grauando proportionaliter Vassallos omnes, satisfaciat; ratio est eadem, quam in principio dicebam, quia scilicet publica vtilitas præfertur priuatæ, quæ includitur in illa, & in casibus necessitatis attendendum est beneficium publicum, & non particulare, quin neque attendendum particulare damnum; cum sic expediat Reipublicæ, & corpori communitatis: Vnde introducta fuit præscriptio, & vsucapio bonorum, atque sic (quod scilicet licitè possit Princeps facere, vt *suprà* dicebam) habetur

habetur *in ff. de nata restit. l. quaris, de euectionibus, l. Lucius, de legatis secundo, l. qui solidum, §. primo de rei vendic. l. item si verberatum, in l. finali, Cod si contra ius, vel vtilit. public. & in cap. que in Ecclesiarum de constitution.* vbi Innocent.& alij; idemque docent Iacobus de Arena, Cynus, Andr. de Barul. *in l. ex omnibus, Cod. de decur. lib.* 10. Alex. *conf.* 190 2. *volum.* Dec. *in consil.* 520. *& in cap. qua in Ecclesiarum num.* 20. *de constit.* Isernia, cum latè cumulatis Restaur. Castal. *in tract. de imper. quæst.* 98. *vol.* 16. *tract.* Belluga *in spec. Princ. rubr.* 46 *num.* 2. *&* 4. Regens de Ponte *de potest. Pror. tit.* 1. *num.* 26. *& tit.* 4. *num.* 36. & communiter Canonistæ *in tit. cap. que in Ecclesiarum, de constit.* ac legistæ *in l. præscriptione, Cod. si contra ius, vel vtilit. publ.* & in *l. fin. & l. quoties de precibus imperat. offeren.*

2 Similiter ob similem causam (si scilicet sic exigat commune bonum Ecclesiæ) licitè potest summus Pontifex auferre bona Christianorum; siue quia summus Pontifex in tota Christianitate iurisdictionem, & potestatem temporalem immediatè à Deo sibi commissam habet in habitu, & (quando oportuerit) in actu, sicuti docent Doctores quos refert Christophorus de Anguiano *tract. de legibus tom.* 1 *lib.* 2. *contr.* 17. *num.* 15. Comitolus *in tract. Apologet. cap.* 3. Pereira *de manu Regia præl.* 1. *num.* 1. Martha *de iurisdict. part.* 1. *cap.* 18. Pesantius *in tract. de potest. Pontificis, disp.* 2. *& sequ.* vbi hanc sententiam probat ex multis iuribus, & præcipuè *ex extrauag. vnam Sanctam Bonifacij VIII.* & sicuti docent Doctores illi, qui tenent, quod Principes, & Reges potestatem suam à Summo Pontifice recipiant, ex quibus sunt Peregrinus *de priuil. fisci, lib.* 1. *tit.* 2. *num.* 37. Valenzuela *in defens. monitor. p.* 5. *num.* 226. Ioseph Sesse *de inhibition. cap.* 8 §. 2. *num.* 2. Alphonsus Azeuedus *in Recopilation. libr.* 4. *tit.* 1. *leg.* 11. *num.* 16. & alij.

Siue quia Summus Pontifex in terris Principum Christianorum, si non habet directè, habet tamen indirectè, ex vi Pontificalis officij sufficientem potestatem super omnia negotia sæcularia, quando id Ecclesiæ expedierit ad ipsius Ecclesiæ quietem, & defensionem conseruandam seu ad bonum spirituale, ac finem Ecclesiasticæ potestatis supernaturalem assequendum sicuti docent Sot. *in* 4. *dist.* 25. *quæst.* 2. *art.* 1. Molin. *de iust. & iur. tom.* 1. *tract.* 2. *disput.* 29. *concl.* 3. Bellarm. *contr.* 3. *lib.* 5. *cap.* 6. Malderus *in* 2. 2. *qu.* 1. *art.* 10. *dub.* 8 Azorius *part.* 2. *lib.* 11. *cap.* 3. *quæst.* 6. Suar. *de legibus lib.* 3. *cap.* 22. Tannerius *in* 1. 2. *disp.* 4. *quæst.* 4. *dub.* 1. *num.* 33. Rebellius *part.* 2. *lib.* 14. *quæst.* 23. *sect.* 1. *num.* 2. *&* 3. *& sect.* 5. *num.* 29. Anguian. *tract. de legibus, citat. tom.* 1. *lib.* 2. *contr.* 17. *numer.* 29. *& seqq.* Maynardus *de priuileg. Eccles. part.* 1. *art.* 6. *num.* 1. Salgado *de protect. Regia tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 1. *præl.* 1. *n.* 55. Ceuallos *tract. de cognit. per viam violentiæ in prolog. num.* 9. *&* 12. Paramus *de origin. Inquis. lib.* 3. *quæst.* 1. Syluius *in* 2. 2. *quæst.* 66. *art.* 1. Pereir. *de manu Regia, præl.* 1. *num.* 4 *& seqq.* Barbosa *in collectan. tom.* 2. *lib.* 4 *tit.* 17. *cap.* 13. *num.* 37. Morla *in empor. iur. part.* 1. *tit. de iur. quæst.* 4. Turrecremata *in summa libr.* 2. *cap.* 13. & Bobadilla *in pol. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 2. *& seqq.* & alij Doctores qui respondent *ad extrauag. vnam Sanctam Bonifacij VIII.* (vt videre est apud Christophorum de Anguiano *loc. suprà cit.*) quod mens Pontificis in supradicta *Extrauag.* non fuerit, velle se Reges, & Principes Christianos subii-

cere Imperio Ecclesiæ, magis, quàm prius subiecti erant, sed tantum demonstrare, quod vltra gladium spiritualem, sit etiã in Ecclesia gladius temporalis, non quidem directè, sed indirectè, exercendus, quando oportuerit, quoniam autem nonnulli sentiebant, vtrumque gladium directè, esse apud Romanum Pontificem Imperiumque ab illo Principes obtinere, idque tanquam certum definitum esse *in dicta extrauag. vnam Sanctam.* Ideo Clemens V. ad tollendum sensum istorum statuit *in extrauag. meruit.* Bonifacium VIII. *in dicta extrauag. vnam sanctam* non generasse præiudicium Regnis, & Regibus neque intendisse Bonifacium in illa præiudicium vllum illis inferre: neque eosdem sibi subiecisse magis, quàm prius subiecti erant, ita vt *dicta extrauag. meruit.* nihil noui constituerit, sed solum magis declarauerit prædictam *Extrauag. vnam sanctam,* quæ ex tot Interpretum commentariis aliquantulum obscura videbatur, & ad id, quod dicitur, quod Principes, & Reges potestatem suam à summo Pontifice recipiant,

4 Respondent, negando assumptum; sicut & negãt etiam contra Ceuallos & nonnullos alios Iuristas, quod illã Reges & Principes immediatè recipiant à Deo; docéntque, quod immediatè recipiant à publico, seu Communitate; atque ita præter alios docent Bellarm. *in Respons. ad duos libellos cuiusdam Theologi, fol. mihi* 4. Less. *de iust. & iur. lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 11. *num.* 94 Basilius Pontius *de matrim. lib.* 6. *cap.* 6. *numer.* 5. Suarez contra Regem Angliæ *lib.* 3. *cap.* 2. Tannerius *in* 2. 2. *disput.* 5. *quæst.* 5. *dub.* 1. Comitolus *in tract. Apologet. cap.* 3. *num.* 2. Beltranus *in propugnaculo Eccles. libertatis assert.* 1. §. 7. *num.* 20. Maynardus *de priuileg. Eccles. part.* 1. *art.* 5. *num.* 9. Seruantius *in defensione potest, & immunit. Eccles. propos.* 1. & Io. de Maderiaga *in tract. de senatu, cap.* 39. §. 2. vbi subdunt, quod recipere potestatem immediatè à Deo sit priuilegium singulare summi Pontificis: quia cum potestatem, quam in se habet summus Pontifex, habere non possit ab hominibus, (iuxta illud: *nemo dat, quod non habet*) necesse est dicere, quod illam habeat à Deo; hæc autem ratio locum non habet in Regibus, & Principibus in Ordine ad populos, & communitates.

Non obstat, quod dicatur homines eligere Pontificem: nam eligendo, seu nominando Pontificem, nullam hi potestatem, seu authoritatem tribuunt electo, sed solummodo illum veluti præsentant Deo, à quo potestatem Pontificiam recipiat, ita vt huiusmodi electio sit tantum conditio, sine qua Deus potestatem Pontificiam in hominem non transferret; non autem sit ratio, seu medium, quo electores ipsi potestatem electo tribuant, sicuti in Regis, & Principis electione contingit; idémque dicendum de depositione summi Pontificis, quod scilicet sit conditio sine qua, secundum opinionem satis probabilem, (quam alibi dicemus) Deus potestatem Pontificiam ab illo non auferret; quia per quas causas aliquid nascitur, per easdem etiam dissoluitur. 5

Adde, quod dato, quod Reges, & Principes suam potestatem immediatè recipiant à Deo, dicendum adhuc tamen est, quod illam recipiant cum subordinatione ad summum Pontificem, vices Dei gerentem, & idem in opinione eorum, (qui docent Principes, & Reges potestatem suam recipere à Republica, seu Communitate) est dicendum; idque propter rationes *suprà* alla 6

allatas de bono communi vniuersalis Ecclesiæ, propter quod sunt omnia, & ad quod à Deo ordinata sunt omnia.

7 Item, ob similem causam communis boni vniuersalis Ecclesiæ, licitè potest summus Pontifex auferre bona patrimonialia Clericorum, vti notauit Anton. de Buttrio *in cap. 1. de summa Trinitate, in Clementin.* Belluga *in spec. Principum, rubr. 46. num. 4.* & multò magis licitè potest auferre bona Ecclesiarum, ac beneficia, &c. ita vt ex quacumque rationabili causa licitè possit, res vnius Ecclesiæ v. g. capere, & dare alteri; & licitè etiam ex quacumque iusta causa possit, priuare clericos suis beneficiis, & dare cuicumque voluerit; sicuti notauit Archid. *in cap. oportebat 60. distinct. & nom. in cap. 2. de prebendis lib. 6.* & Belluga vbi *suprà*, & ratio est, quia Pontifex in rebus Ecclesiasticis habet maius Dominium, & maiorem potestatem, quàm ipsemet Rex, & quilibet alius Princeps sæcularis, habet in bonis subditorum sæcularibus: non potest autem Pontifex sine maxima causa priuare Clericos omnes omnibus beneficiis quia hoc esset facere contra vniuersum statum Ecclesiæ, quod ita facile cadit in Papæ potestatem, vti notatur *in cap. proposuit, de concess. prebend.* quapropter quod habetur *in dict. capit. proposuit, & in cap. cuncta per modum quaestionum 3. cum si*; quod scilicet Papa omnia possit, seu quod habeat plenitudinem potestatis, non solùm non habet locum in iis, quæ sunt iuris naturalis, & diuini (in his enim, vt plurimum Papa nullam potestatem habet, nisi interpretandi, & declarandi, *cap. sunt quidam 25. quæst. 1.* quamuis potestatem dispensandi habeat aliquando, vt in votis, iuramentis, & similibus obligationibus, & debitis erga Deum contractis huiusmodi scilicet obligationum vinculum nomine Dei tollendo, seu relaxando si salus animarum, qui est finis spiritualis gubernationis, sic exposcat de qua re videri potest Caiet. 2. 2. *quæst. 88. art. 12.* & Lessius *de iust. & iur. lib. 2. cap. 40. dubit. 17.* sed nec etiam in iis, quæ sunt iuris positiui, si ex dispensatione contra ius positiuum destrueretur, vel decoloraretur status vniuersalis Ecclesiæ: vt etiam si Papa dispensaret, quod omnes Clerici possint vxorem ducere, sicuti notant Doctores *cap. primo, de constit. & in dict. cap. sunt quidam*, & propterea Abb. *in cap. à nobis, de sent ent. excommun.* docet, quod Papa potest omnia, claue tamen directa, & quod auctoritas illa, *quodcumque ligaueris super terram*, &c. Matth. *cap. 16.* intelligitur, dummodo iustè liget, &c. Ex dictis sequuntur multa, vnde sit

SVBSECTIO I.

Proponitur SVBCOROLLAR I.

SEquitur primò, quòd possit summus Pontifex leges Principum iniustas, & bono spirituali repugnantes, abrogare, & omninò de medio tollere; ita vt tunc Principum subditi obedire teneantur potiùs mandatis Pontificis, quam Principum sæcularium atque ita docent Molina, & Anguian. locis *suprà* cit. ille *numer. 34.* & iste *num. 74.* 1

SVBSECTIO II.

Proponitur SVBCOROLLAR. II.

1 Sequitur secundò, quod (si sic exigat bonum commune Ecclesiæ, vt propter electorum v. g. negligentiam, vel eorum discordiam; aut propter electi bonitatem; aut propter Christiani populi, & publicæ pacis prouidentiam; aut tandem propter hæreticorum, schismaticorum, & huiusmodi hominum audaciam coërcendam, &c.) possit Pontifex per seipsum Imperatorem eligere: atque ita docent August. de Anch. Peregrinus, Mastrillus, Suarius, Bellarminus & Barbosa, quos *suprà* citabam; & ratio vlteriùs, est quia Imperator hoc ipso, quod est minister Dei (*à quo* 23. *quæst.* 111. 1. *quæsit.* dicitur gladium recipere) est etiam minister Papæ, qui est Vicarius Dei, sed principalis agentis est, eligere ministros, & instrumenta ad finem (qui in Papa est pax, & commune bonum Ecclesiæ) ergo, &c. quapropter Aristot. 1. *Ethic.* docuit, quod militaris (cuius finis est victoria) eligit equestrem & frenofactiuam.

2 Neque dicas haberi *in dub.* 23. 1. *qui*, quod Imperator recipiat gladium à Deo. Ergo, &c. nam respondetur quod Imperator non recipit gladium à Papa, vt Papa est singularis persona; sed vt est Vicarius Dei, & consequenter si gladium Imperator recipit à Deo, necessariò recipit illum à Dei Vicario, qui Papa est: & ratio est, quia à Deo recipere illum non potest Imperator (cùm sit homo) nisi humano modo; & sic per hominem, qui est Vicarius Dei, scilicet Papa.

Item ob similem causam boni communis Ecclesiæ, potest Pontifex Imperatorem, sicut & eligere, ita & electum non confirmare, & confirmatum deponere; quinimò & Imperatoris Electores instituere, aut institutos mutare; atque ita docent *suprà* adducti Doctores in locis *suprà* citatis; quapropter Stephanus II. petens (Ecclesia oppressa ab Astulpho Rege Longobardorum auxilium à Constantino & Leone filio eius Imperatoribus, & non obtinens illud ab iis, transtulit Imperium ad Carolum Magnum Pepini filium, vt dicit gloss. *in cap. venerabilem, de elect.* & Carolus post annos quindecim coronatus est à Leone Papa, quem Carolum prædecessor substituerat Ludouico Regi Francorum, quem deposuerat, vt legitur *XV. q. VI. alius*, & Gregor. V. tempore Ottonis Imperatoris, conuocatis, & requisitis Alemaniæ Principibus, septem Electores instituit officiales ipsius Curiæ Imperialis; quatuor scilicet laicos, vt Regem Bohemiæ, Ducem Saxoniæ, Comitem Palatinum, & Marchionem Brandeburgensem, & tres Ecclesiasticos, vt Archiepiscopum Moguntinum, Coloniensem, & Treuerensem. 3

Porrò de Alemania solùm tales Electores Pontifex assumpsit, ait Arch. 1. quia inde fuerunt Principes qui Ecclesiam liberarunt à Longobardorum, & Romanorum seruitute. Secundò, ratione deuotionis illius populi ad sanctos Apostolos Petrum & Paulum, vt ostendit eorum continua peregrinatio. Tertiò, quia sic voluit Gregorius inde natus, & consanguineus Ottonis: nam sicut Romani ante Christi aduentum, propter Reipublicæ zelum, & legis, iustitiæque obseruationem, meruerunt Imperium, vt patet *ex secundo Machabaor.* & ex Augustin. 5. *de ciuit. Dei, cap.* 12. ita cùm 4

cùm postea vitiis se dederint, meritò Imperio, & Imperatorem eligendi potestate fuerunt priuati, vt rectè dixit August. de Anch. quamuis ad hanc diem Imperator Rex Romanorum vocetur: quare sicut Alemanis à Papa hoc concessum est, ita si contrarium Ecclesiæ expedire videretur, denegari illud iisdem à Papa posset, & aliis concedi, *ext. de clem. venerabilem*, vbi etiam patet, quod si duo ad Imperium eligantur, potest Pontifex alteri fauere, vt illum præeligat, vtpote magis idoneum ad Ecclesiæ defensionem, vel quia ei fama, vitæ integritas, & iustitia magis suffragantur. Idem dicendum, quod possit præstare Pontifex, quando pars vocata, & expectata nollet eligere, aut nollet ad eligendum conuenire. Ratio est, quia Sedes Apostolica suo defensore, & Aduocato carere non debet: quare cùm Lotharius & Conradus electi fuissent in discordia, Papa Lotharium coronauit.

5 Similiter ob similem causam boni communis Ecclesiæ, posset Pontifex prouidere de Imperatore per hæreditatem successoriam; quando scilicet videret, quod in vniuersali Ecclesiæ expediret, & ratio vlterius est, quia modus eligendi Imperatorem est de Iure positiuo, in quo Pontifex habet plenitudinem potestatis; quin imò, vt docet August. de Anch. hoc esset Ecclesiæ magis expediens, primò, quia si Imperator sciret Imperium suis filiis deberi, magis conaretur ad Imperij augumentum, & conseruationem, secundò, quia non ita facilè rebellarent fideles, assueti obedire Imperatori, & Ecclesiæ, cuius est ille minister familiaris. Tertiò, quia ex morte Imperatorum, & electorum discordia, plerumque Ecclesia suo caret defensore, & bella nascuntur, & Imperator contemnitur. Attamen ex alio capite, vt rectè dixit Arch; hoc in praxi ponendum minimè est, quia indè multa scandala sequi possent, à quibus abstinendum est, etiam in malis tolerandis, nedum in promouendis maioribus bonis, sicuti habetur *in distint.* 3. Quod autem modò dixi de electione Imperatoris, idem quoque dico de electione summi Pontificis. Vide, quæ *suprà* dicebantur *in sectione* 19. *subsect.* 26.

SVBSECTIO III.

Proponitur SVBCOROL. III.

SEquitur tertiò, quod summus Pontifex (sicut, & quilibet alius sæcularis supremus Princeps) licitè possit infideles, sibi subditos, priuare dominio in seruos suos, si hi Christiani efficiantur; atque ita docet S. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 10. & habetur ex praxi Ecclesiæ, quæ statuit *in cap. fraternitatem, dist.* 54. *& cap.* 1. *&* 2. *de Iudæis*, vt serui Iudæorum (tam vernaculi, quàm empti ad seruitutem) liberi fiant eo ipso, quod fidem Christi suscipiunt; sin autem empti sint ad mercationem, teneatur Dominus eos intra sex menses venales exponere, vt emi possint à Christianis, & sic fidem suscipere; & ratio (vt *supra* dicebam) est; quia Princeps Reipublicæ (siuè Ecclesiasticus, siuè sæcularis ille sit) licitè potest subditos suos priuare dominio, non tantum rerum, sed etiam personarum, si id ad bonum commune opus esse videatur. Adde, quod si serui Infidelium, etiam non subiectorum Christianis Principibus, periculum peruersionis patiantur, possunt à dominio

ſuorum dominorum Eccleſiaſtica poteſtate abſolui: nam tunc indirectè tantum (quod ſummus Pontifex poteſt, vt *ſuprà* dicebatur) exercetur iuriſdictio in ipſos infideles, quatenus ſcilicet id neceſſarium eſt ad tuendum finem Eccleſiaſticæ poteſtatis conceſſæ à Deo.

SVBSECTIO IV.

Proponitur SVBCOROL. IV.

SEquitur quartò, quòd ſummus Pontifex (ſicut & quilibet alius ſæcularis Chriſtianus Princeps) quamuis non poſſit Paganos, ac Iudæos ad Chriſti fidem amplectendam directè cogere (inſtituto, v. g. contra eos bello, vel propoſita eis pœna mortis, carceris, bonorum ſpoliationis, &c. ſi id non efficiant) ſicuti habetur *in cap. ſicut de Iudæis*, & docet S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 8. aliique communiter, & ratio eſt, quia in illos ſupremus Chriſtianus Princeps iuriſdictionem, & poteſtatem directè non habet: tum quia Eccleſiæ praxis oſtendit voluntatem Dei non eſſe, vt homines ad fidem Chriſti audiendam, vel amplectendam directè compellantur, cùm ad diuinum honorem, & ſuauem Euangelij propagationem, Eccleſiæque ædificationem valdè interſit, vt Chriſti fides liberè ſuſcipiatur, eóque conſtantiùs retineatur; quamuis (inquam) ſummus Pontifex, ſicut & quilibet alius Chriſtianus Princeps, non poſſit Paganos, ac Iudæos ad Chriſti fidem amplectendam directè cogere, ſequitur tamen, inquam, quòd poſſit eos cogere indirectè, idque duobus modis, primò negando illis ius habitandi in Regione ſua, niſi Euangelij prædicationem audire velint, cùm habitandi ius illis non debeatur, ſed illud abſolutè negari poſſit. Secundò, imponendo illis maiora, quàm aliis ſubditis tributa (modò ſint intra limites iuſtitiæ) donec Chriſtiani fiant: atque ita ſumitur *ex cap. iam verò* 23. *q.* 6. & docet S. Anton. *part.* 2. *tit.* 12. *cap.* 2. §. 1. & ſuadet ratio, qnia ſi non directè, ſaltem indirectè, vt *ſuprà* dicebam, ſummus Pontifex, ſicut & quilibet alius ſupremus Chriſtianus Princeps, in illos poteſtatem, & iuriſdictionem habet.

SVBSECTIO V.

Proponitur SVBCOROLL. V.

SEquitur quintò, quòd ſummus Pontifex (ſicut, & quilibet alius Prælatus Eccleſiaſticus) etſi non poteſt Infideles illos, qui fidem Chriſtianam nunquam profeſſi ſunt, ſpiritualibus pœnis ad fidem compellere, ſicuti *ex Apoſt.* 1. *ad Corint* 3. colligitur: & ratio eſt, quia Eccleſiaſticæ iuriſdictioni nunquam ſe illi ſubdiderunt; poſſit tamen ſpiritualibus pœnis ad illam cogere hæreticos, & Apoſtatas: ratio, quia cùm hi Chriſti fidem in baptiſmo profeſſi, & per hanc, veluti ianuam, in Eccleſiam ingreſſi, eiuſdem iuriſdictioni ſe ſubdiderint, ſequitur quòd ab ea poſtea impiè recedentes, ad obſequium fidei, & obedientiam Eccleſiæ meritò compellantur: atque ita habetur *in cap. de Iudæis, d.* 45. *cap. excommunicamus de hæreticis*, adeo, vt qui relapſi, vel incorrigibiles reperiuntur, ſæculari Magiſtratui traditi, pœna mortis afficiantur, iuxta *cap. ad abolendam*, §. *illos, & cit. cap. excommunicamus*, §. 1. *de hæreticis*, & docet S. Thom.

Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 8. *& quæst.* 11. *art.* 3. & agnouit S.August. *lib.* 2. *retract. capit.* 5. *tract.* 11. *in Ioann. capit.* 3. *lib.* 1. *contra Epist. Parmen. capit.*7. *epist.*48. *ad Vincentium, epist.*50. *ad Bonifacium*; & si aliquando is aliter senserit.

SVBSECTIO VI.

Proponitur SVBCOROL. VI.

SEquitur sextò, quòd summus Pontifex, sicut & quilibet sæcularis Christianus Princeps, etsi non potest inuadere, aut bello persequi Paganos exteros, suæ iurisdictioni non subiectos, propter infidelitatem, idolatriam, & similia illorum peccata, si Christianis, aut aliis innocentibus iniuriosa illa non sint, sicuti ex communiori docet Victoria *relect. de Indis Insulanis*, *part.*1. *num.* 39. *&* 40. Couar. *reg. peccatum, part.*2. §.10 *num.* 4. Valent. *tom.*3.*disp.* 1.*quæst.*10.*punct.*7. Becan. *cap.*13. *quæst.* 6. Molina *tom.*1.*tract.*2.*disp.*106.*contra Castrum de iusta hæretic. punit.lib.*1.*cap.* 14 S.Anton.3.*part. tit.* 22. *cap.* 5. §. 8. & suadet ratio, quia ad omnem punitionem, aut vindictam iustam requiritur, vel iurisdictio, vel illata iniuria: & sic vbi vtraque deest, iusta punitio, seu vindicta inferri non potest: etsi, inquam, non potest summus, sicut & quilibet sæcularis Christianus Princeps, inuadere, aut bello prosequi Paganos exteros, seu non subiectos, si eorum peccata Christianis, aut aliis innocentibus iniuriosa non sint, possit tamen id efficere, si eorundem peccata contra Christianos, aut alios innocentes iniuriam aliquam quomodocunque contineant, vt si, v.g. impiis suis ritibus innocentes damno afficiant, rapiendo, vel immolando infantes: atque moniti à Christianis desistere nolint; qua de re Molina *cit. disp.* 106. Secundò si Christianam fidem contumeliis, atque blasphemiis prosequantur, aut Christianos peruertere conentur, vti colligitur *ex cap. in nonnullis, de Iudæis, & Saracenis*. Tertiò, si Christianis Euangelij Prædicatoribus, cùm ex Dei voluntate, atque imperio mittantur, vt in omnem terram exeat sonus Euangelicæ doctri- secundùm Christi promissionem, *ch.* 24. *num.*14 *& cap* 28.*num.*19. aditum in regiones suas dare, vel suis subditis fidem ex Prædicatoribus audiendi, & amplectendi liberam potestatem concedere recusent: atque ita docent S.Thomas *quæst.* 10.*art.*8. Victoria *relect. de Indis*, *part.*2. *num.* 15. Becan. *cap.*13.*quæst.*4.*concl.*3. vbi ait Ecclesiam posse concedere alicui Principi Christiano curam, & potestatem introducendi & conseruandi idoneos Prædicatores in prouinciis Infidelium, & vlciscendi iniurias huiusmodi Prædicatoribus ab Infidelibus illatas; imò etiam belli titulo concedere potestatem occupandi Infidelium Prouincias, in quibus non permittitur libera Euangelij prædicatio.

Locutus autem sum de Infidelibus externis, & Christianæ iurisdictioni non subiectis: nam qui subiecti sunt Christiano Magistratui, ij compelli possunt, vt naturæ legem obseruent; ideóque vt abstineant à falsorum Deorum cultu, & omni impietate sacrilega, &c. sicuti constat *ex leg. nemo, Cod. de Paganis, clement vn. de Iudæis, & Saracenis*, & docet S. August. *epist.* 48. *ad Vincentium*, S.Thom. *in* 2.2. *quæst.* 10 *art.* 11. Molin. *tom.*1. *tract.*2. *disput.* 106. *conclus.*2. & Valent. *tom.*3. *disp.*

disp. 1. *quaest.* 10. *punct.* 6. *ad* 4. Item fas est Christiano Principi Paganos, atque Iudaeos propter similia peccata contra legem naturae, & ne Christiani damna ab illis patiantur, terris suis omninò expellere. Item Iudaeorum causae, seu controuersiae ciuiles decidi debent apud Iudicem Christianum, secundum legem ipsorum Mosaycam, v. g. vt filius excludat filiam ab haereditate patris, vti colligitur *ex cap.* 27. *num. iunct. gloss. ordinaria*, sin verò casus lege Mosaycam determinatus non est, vel si Iudaeus cum Christiano litigat, tunc controuersia dirimi debet secundum ius Caesareum, commune Regni, *leg. Iudaeis, Cod. de Iudaeis.*

SVBSECTIO VII.

Proponitur SVBCOROLLARIVM VII.

1 SEquitur septimò, quod Pontifex licitè possit derogare iuripatronatus: conferendo scilicet beneficia non praesentatis siue patronatus sit Ecclesiasticus, siue laicus: atque ita docent communiter Doctores *in cap. cum dilectus de iurepatronatus*, vti est videre apud Couar. *in pract. cap.* 36. *num.* 1. & ratio vlterius est, quia hoc ius conceditur à Pontificibus principaliter propter bonum Ecclesiae, vt secundariò in honorem ipsorum fundatorum: ergo quando summus Pontifex iudicat Ecclesiae expedire, vt non expectet patronorum praesentationem, vel vt alteri beneficium conferat, poterit liberè illud aliis conferre. Ratio, quia semper debet magis haberi ratio finis principalis, quàm secundarij: tum quia ex eo, quod aliis Pontifex hoc ius praesentandi concesserit, non censetur seipsum in omni euetu voluisse spoliare sua conferendi beneficium potestate: sed sufficit, quod solùm regulariter, & via ordinaria praesentationes aliorum admittat: quod maximè verum est in iurepatronatus, quod ex nuda concessione, absque fundatione, ab aliquo obtinetur.

Aduerte tamen ex Couarr. *loco supra citato num.* 2. quod si patronatus est laicus, non censetur ei derogatum, etiamsi Pontifex de facto conferat beneficium alteri: nisi disertè in literis id per clausulam derogatoriam exprimatur: vti docent Doctores *in cap.* 2. *de praebendis in* 6. & colligitur *ex cap. super eo de officio delegati*: neque sufficit, vt in literis collationis dicatur: *conferimus Titio, exempli gratia, hoc beneficium, ad cuiuscumque praesentationem & collationem pertineat*: sed expresse debet Papa derogare patronatui laico, vt habet *decisio Rota* 331. teste Couar. *supra num.* 2. Quod si ad Regem Ducem, vel Marchionem, &c. pertineat, debet id ipsum exprimi, vt habetur *in regul. cancellar.* 43. Si autem patronatus sit Ecclesiasticus, potest ei Pontifex derogare per simplicem beneficij collationem, etiam si nulla mentio eius derogationis in literis prouisionis fiat, vt iidem Doctores docent *in dicto cap.* 2. *de praebendis*, & ratio afferetur *infra* in secundo Aduertendo. 2

Ex his infertur, quod Apostolicae beneficiorum reseruationes (quae fiunt propter crimen, vel quia contingit beneficia vacare apud sedem Apostolicam vel ob aliam rationem, &c.) ex iuris communis, vel Cancellariae Regularum dispositione non comprehendunt beneficia iurispatronatus laicorum, 3

quoad

quoad eorum præsentationem tollendam: benè tamen quoad institutionem, quæ Prælatis competit: hæc enim tunc petenda est à Papa, sicuti docet glossa *regul.* 40. *Cancellar. sub finem*, quod tamen Couar. *suprà numero* 5. intelligit de Episcopatibus, Abbatiis, Prioratibus, Decanatibus, & aliis dignitatibus, quæ summo Pontifici per regulam 2. & 3. *Cancellariæ*, reseruantur, non autem de beneficiis minoribus, quorum præsentatio pertinet ad laicos: hæc enim beneficia eo, quod sint iurispatronatus laicorum, ab omnibus reseruationibus sunt exempta, etiam quoad institutionem à Prælatis faciendam.

4 Aduerte secundò, quod si patronatus partim sit laicæ, partim sit Ecclesiasticæ personæ, neque censetur facta ei derogatio, perinde ac si tantum esset patronatus laicorum, sicuti communiter sentiunt Doctores, teste Couarr. *cap.* 36. *quæstionum practic. num.* 4. & ratio est, quia par non est, vt laicus ratione socij Ecclesiastici incommodum in re indiuidua sentiat, & quamuis laicus gaudeat iure Clerici, quo ad tempus præsentationis sex mensium, non tamen debet pati incommodum derogationis ratione socij Clerici, ne laici à fundatione, & dotatione Ecclesiarum, & beneficiorum offensionibus huiusmodi remoueantur; vnde etiam eorum patronatui maiora sunt concessa priuilegia, quàm patronatui clericorum, vti rectè notat Couarr. *vbi suprà.* Simili modo, si duo patroni sint laici, & totidem Ecclesiastici, censebitur patronatus laicus quo ad derogationem; secus tamen si Ecclesiastici sint plures, verb. grat. tres, & laici duo; tunc enim patronatus in derogatione censebitur Ecclesiasticus: nam Ecclesiastici (quorum consensus sufficit, cum sint maior pars) tenentur admittere derogationem; quod si omnes sint laici, v. g. quinque, non erit rata derogatio, nisi maior pars consentiat, nempè tres ad minimum: horum enim consensus sufficit, etiam in præsentando.

Aduerte tertiò, quod si iuspatronatus solùm priuilegio, vel præscriptione acquisitum sit, potest Pontifex ei derogare sine expressa clausula derogatoria, etiamsi sit laicorum; modò tamen non constet à laico esse fundatum: imò etiam legatus à latere poterit tale beneficium sine præfatione conferre, vti docet communis Doctorum opinio teste Couarr. *suprà num.* 5. ratio est, quia talis patronatus censeri potius debet Ecclesiasticus, quàm laicus, cum originem ex Ecclesiasticis trahat, cui (vt mox dicam) potest legatus à latere derogare. 5

Aduerte quartò, quod legatus à latere, & consequenter nuncius Apostolicus cum potestate legati à latere, possit derogare patronatui Ecclesiasticorum, non tamen laicorum, vti docet communis sententia Doctorum *in cap. dilectus, de officio delegati, & in cap. cum dilectus de iure patronatus*, vbi vtrumque habetur, & ratio desumitur ex iis, quæ dicebam *supra in secundo Aduertendo.* 6

Aduerte quintò, quod Episcopus, neque Ecclesiasticæ, neque laicæ personæ patronatui derogare potest; si tamen Episcopus praeueniendo patroni præsentationem, conferat beneficium, collatio non est irrita; verùm secuta patroni præsentatione intrà tempus à iure præscriptum, collatio illa resoluetur, & euanescet, vt patet *ex cap. decernimus* 16. *quæstione septima*, si autem intra illud tempus patronus nemi- 7

nem præsentauerit, vel se non opposuerit, collatio manebit valida. Ratio, quia iam ad Episcopum est deuoluta; & prior collatio non fuit irrita, nisi secuta intrà tempus à iure definitum, patroni præsentatione; quare si hæc non sequitur, illa confirmabitur, & manebit valida.

SVBSECTIO VIII.

Proponitur SVBCOROL. VIII.

1 SEquitur octauò, quod ex causa rationabili licitè possit Pontifex dispensare, quod quis retineat plura beneficia residentiam requirentia, & ratio desumitur ex iis, quæ *suprà* dicebamus; causæ autem iustæ dispensandi, præcipuè sunt duæ, ad quas aliæ reuocantur. Prima est Ecclesiæ necessitas, vel magna vtilitas; vt si desint alij, vel desint idonei, vel sit quis valdè potens (sic filiis Principum dantur interdum Episcopatus, etiam ante ætatem, vt Ecclesiæ contra hæreticos defendantur) item si quis putetur magis profuturus absens quàm alius præsens. Secunda est, si alicui viro magno vnum beneficium non sufficiat ad honestè viuendum iuxta suum statum, & alterum, possit ei sine Ecclesiæ incommodo dari: hæc tamen secunda causa reducitur ad primam; nam quod personæ sublimes & literatæ pluribus honorandæ sint, quando vnum non est sufficiens, iuxta Concilium Lateranense *cap. de multo*, id non debet fieri nisi propter Ecclesiæ vtilitatem, quod confirmatur ex S. Bernardo *epist. 271. ad Comitem Theobaldum*, vbi hoc expressè docet.

2 Neque dicas, quod Trid. *sess. 24 cap.* 17. id fieri prohibuerit; nam respondetur, quod Concilium neque potuit, neque voluit prohibere, quin ob legitimas causas, Pontifex possit in hac re dispensare, nam Pontifex est supra Concilium & SS. Pontifices olim dispensarunt vt Gregorius I. vt patet *l. 2. epistolarum cap. 51.* qui quemdam Episcopum, Agnellum nomine, ob certam Ecclesiæ necessitatem duos Episcopatus habere voluit illud tamen verum est, quod si non putetur subesse legitima causa dispensandi, is, qui per dispensationem obtinuit plura residentiam requirentia beneficia, non est tutus in conscientia, sed tenetur alterum resignare, vt docent ferè omnes Theologi, S. Thomas *quodlib. 9. art. 15.* Maior *in 4. dist. 24. quæst. 4.* Adrianus *in 4 quæst. de pluritate præbendarum*, quæ incipit. *Quia in promissis*, Caiet. *ver. beneficiorum multiplicatio*, Sot. *lib. 3. de iust. quæst. 6. art. 3.* & Tolet. *lib. 5. cap. 71.* idemque docent multi Iurisperiti, & Canonistæ: & ratio est, quia Papa non est dominus beneficiorum, sed dispensator, at dispensator non potest pro suo arbitrio distribuere bona dispensanda, sed iuxta rationabilem voluntatem eorum, qui ea dispensanda reliquerunt, & eorum, in quorum vtilitatem relicta sunt, quæ in proposito est Ecclesia vniuersalis: tum quia est contra ius diuinum naturale, vt vnus habeat plura beneficia residentiam requirentia (nisi aliqua iusta causa id excuset, vt docet Caiet. *suprà*) atqui Pontifex non potest dispensare in iis, quæ sunt iuris diuini naturalis, nisi interueniat iusta causa, quæ turpitudinem tollat, vt patet in votis, iuramentis, quin etiam & in indulgentiis; sed de hac re vide, si placet, Bernardum *epist. ad Robertum nepotem, & epist. 7. ad Adam Monachum.*

Aduerte

3 Aduerte tamen collationem secundi beneficij, tertij, & cæterorum esse validam, & conferre verum titulum, vt patet ex multis canonibus: nam ad nullum eorum iure naturæ persona est inhabilis: tenetur tamen resignare aliquot ex illis, quæ vel non sunt ei iuxta suum statum necessaria, vel in quibus legitima causa non intercessit, fructus tamen interim perceptos non tenetur restituere, si muneri suo, saltem per Vicarium, satisfecit; quod si non satisfecerit, tenetur ad fructuum restitutionem, vel Ecclesiæ, vel ad pias causas.

4 Neque dicas secundò, ergo potest Episcopus etiam conferre duo beneficia residentiam requirentia sine dispensatione Pontificis, si is videat Ecclesiæ suæ id profuturum, vt eidem personæ duo beneficia conferantur; nam respondetur, quod lex semper obligat inferiorem, quamdiu ex eius custodia nihil euidenter sequitur contra legislatoris intentionem; sed nunquam, aut saltem rarissimè, euenit aliquid contra intentionem Tridentini ex eo, quod vni non dentur duo beneficia: nunquam enim euidens est id esse contra maius bonum Ecclesiæ, & ædificationem proximorum, quas duas res intendit Tridentinum per huius præcepti custodiam, & obseruationem, ergo &c.

Aduerte tamen, quod sunt aliquot casus in quibus etiam post Tridentinum potest licitè Episcopus dare plura beneficia, sine dispensatione Pontificis.

5 Primus est: quando sunt beneficia simplicia, etiam Canonicatus, quorum neutrum sufficit ad honestum vitæ statum, & alterum non requirit residentiam, siue ex sui institutione, siue ex rite præscripta consuetudine.

6 Secundus, si Ecclesia Cathedralis, vel parochialis, vel dignitas insufficiens sit ad sustentationem, poterit simul cum ea obtineri beneficium simplex non requirens residentiam; & vterque casus satis colligitur ex verbis Tridentini *sess.* 24. *cap.* 13. *&* 17. vbi aduerte, ante Tridentinum potuisse etiam plura curata beneficia possideri, si scilicet ita erant exigua, vt non possent proprios sacerdotes sustentare, vt patet *ex cap. eam te de ætate, & qualit.* nunc verò id non licet absque dispensatione Pontificis, vt patet *ex sess.* 24. *cap.* 17. vbi qui habet plures parochias, cogitur sub graui pœna alteram resignare, etiam si neutra per se sufficiat; dixerim tamen iuxta superius tradita, quod si illæ essent valdè vicinæ, ita vt vnus possit vtrique satisfacere, & non possent facilè inueniri, qui parochiæ vni soli velint deseruire, possint tunc duæ eidem committi, iuxta *capit. clericus* 21. *quæst.* 1.

Tertius, si dignitati, vel Canonicatui accessoriè annexa sit parochialis, quæ per Vicarium administrari solet. Ratio est, quia beneficium alteri perpetuò vnitum censetur vnum cum illo, & illius naturam assumit. Vndè Parochiale annexum simplici assumit naturam simplicis, quod etiam post Tridentinum locum habet, vt præter alios docet Nauarr. *loc. infrà citando.* 7

Quartus, si vnum beneficium detur in titulum, alterum in commendam ad sex menses, etiamsi esset Parochiale, vt patet *ex capit. nemo de electione in 6.* saltem cum Ordinarij dispensatione. non tamen potest dari vnum in titulum, & alterum in commendam perpetuam sine iusta causa, & dispensatione Pontificis, quia commenda perpetua æquiualet titulo; vt rectè probat Nauarr. *cap.* 25. *num.* 126. 8

SVBSECTIO IX.

Proponitur SVBCOROLLAR. IX.

1 SEquitur nonò, quod si est necessarium, vel valde expediens ad commune bonum Ecclesiæ, possit licitè Pontifex bona Ecclesiastica ad alios vsus, etiam in Principes sæculares, nedum in alias diœceses vel Ecclesias, talia bona transferre: sic videmus interdum bona Ecclesiastica Principibus sæcularibus concedi, ad Ecclesiæ vtilitatem absque tamen iusta causa hoc facere Pontifex non potest, quia ex communiori, & probabiliori opinione Doctorum non est illorum bonorum dominus, sed administrator, ac proinde seruare debet dispensatoris fidelis leges, quarum principalis est publica Ecclesiæ vtilitas: Atque ita contra Flaminium Parisium *lib. 2. de resignat. quæst. 4. num.* 34. Redoanum *de spoliis quæst. 1. num. 21.* Gonzal. *ad regul.* 8. *in procemio* §. 1. *num.* 33. Archidiaconum, & alios, quos citat, & sequitur Sopranus *in appendice ad Filliucium in tract.* 44. *de alienat. rer. Ecclesiast. cap.* 5. *num.* 3. & 10. docent Sarmient. *de reddit. 4. part. cap. vlt. num.* 1. & Vasquez *in opusc. de reddit. Eccles. cap. 2. §. 1. dub.* 1. qui tenent, quod dominium bonorum vniuscuiusque beneficij sit apud vnumquemque suum beneficiatum, cum onere tamen, & obligatione non alienandi, sed transmittendi illa successoribus sine detrimento, & deterioratione: mouentur, quia bona Episcopatus dicuntur de patrimonio talis Episcopatus *cap. indicatum* 89. *dist.* tum quia non potest assignari sufficiens ratio, cur beneficiatus non sit dominus sui beneficij, ergo, &c. Ita etiam contra eosdem Doctores suprà docent Molina *tractat.* 2. *disp.* 29. *conclus.* 2. & Less. *lib.* 2. *de iust. & iur. cap.* 4. *dub.* 7. qui tenent, quod dominium bonorum Ecclesiasticorum sit pœnes cœtum personarum cuiuslibet Ecclesiæ, ad quam illa bona pertinent, v. g. bona Ecclesiæ Neapolitanæ penès Clerum, & Capitulum Neapolitanum, & sic de aliis, &c. mouentur, quia huiusmodi bona vocantur dos, & patrimonium talis Ecclesiæ, tum quia dicuntur esse sub dominio Ecclesiæ, *cap.* 1. *de testam. in fin.* tum quia empta nomine Ecclesiæ acquiruntur Ecclesiæ, ergo, &c. Ita etiam contra eosdem docent Innocent. *in cap. cum super elect. de causa possess. & propriet.* & alij, qui tenent, quod dominium bonorum Ecclesiasticorum sit penes Congregationem vniuersalem fidelium. Ita etiam tandem contra eosdem docent alij complures Doctor. qui tenent, quod dominium bonorum prædictorũ sit penes Deum, non solùm, vt est vniuersalis, sed etiam vt est particularis dominus, quatenus ipsi peculiariter offeruntur, & dicantur; tum quia patrimonium Dei, & res Dominicæ dicuntur, *can.* 40. *Apostolorum*, ergo, &c. Vide Nauarrum *comment. de spoliis clericorum*, §. 2. & 3. vide etiam, quæ dicentur *infrà dubit.* 24. *sect.* 4. & *dubit.* 27. *sect.* 14.

Hinc licèt Papa canonici iuris solemnitaribus, absolutè loquendo, astrictus non sit, sicuti alij Prælati obstringuntur; tamen naturali, ac diuino iure prohibetur prohibitas alienationes efficere; cum bonorum Ecclesiæ (vti dicebam) non dominus, sed solùm administrator à Christo constitutus sit, non ad dissipandum, sed ad dispensandum; vnde rectè distinguit Nauarr. *cit.* §. 3. *num.* 8. *iuncto* §. 15. *num.* 4. quod 2

quod alia alienatio rerum Ecclesiasticarum facta à Papa est iusta, & valida, quæ videlicet rationabili causa nititur; alia est valida, & non iusta, si absque iusta causa res vnius Ecclesiæ in aliam Ecclesiam, aliúmve pium vsum transferatur; alia denique neque iusta, neque valida; si res Ecclesiæ sine rationabili causa in vsus profanos alienentur; v. g. si laicis, sine iusta causa donentur.

SVBSECTIO. X.

Proponitur SVBCOROLLAR. X.

SEquitur decimò, quòd quando bona sunt incerta, vel incertum est debitum, quia scilicet creditores ignorantur, licitè possit Pontifex compositionem admittere, siue debitum sit ex delicto, vt in vsuris, furtísque minutis; siue absque delicto, vt in debitis ex contractu, vel in inuentis: & ratio vlterius est, quia quando ignoratur bonorum proprius dominus, restituenda sunt illa in vsus pios, non quidem iure naturæ, sed iure positiuo, vt docet communior Doctorum opinio apud Less. *de iust. & iur. lib. 2. cap. 14. dub. 6. & 7.* sed in iure positiuo potest Papa dispensare: ergo &c. sublata tamen obligatione hac restituendi, licitè potest homo ea sibi retinere.

SVBSECTIO XI.

Proponitur SVBCOROL. XI.

SEquitur vndecimò, quòd si creditores noti sunt, non possit Papa nec validè, nec licitè hominem à restitutionis obligatione liberare, nisi subsit causa legitima, ea tamen supposita possit & validè, & licitè. Prior pars probatur: quia non potest Papa validè, & multò minus licitè, sicut nec alius Princeps, vti *suprà* dicebam, absque iusta causa rem vnius alteri donare; non enim est dominus, nec dispensator bonorum, quæ subditi possident: sed tantùm est defensor iuris, & boni communis, Iudéxque, & vindex criminum. Posterior pars probatur: quia Pontifex, quamuis non habeat supremam potestatem directam in bonis temporalibus Clericorum, & Christianorum, vti *suprà* dicebam, habet tamen in iis supremam potestatem indirectam: nempe quatenus opus est ad regimen spirituale: quare posita iusta causa potest, & validè, & licitè de bonis illorum disponere; & sic potest, & validè, & licitè imponere mulctas pecuniarias, & Confiscationes bonorum pro criminibus, & consequenter condonare, etiam huiusmodi restitutiones faciendas: quod nota propter ea, quæ debentur hæreticis, siue ex delicto, siue ex contractu: cauendum tamen est scandalum, de qua re vide *cap. cùm secundùm leges de haret. in 6.* Innocentium I V. *in cap. quæ in Ecclesiarum, de constitut.* & Syluestrum *verb. restitut. 7. quæst. 2. §. 5.*

Quod autem potest Pontifex, idem potest & Princeps sæcularis respectu suorum subditorum: iam enim iusta lege illorum bona addita sunt Fisco, etsi multoties ob potentiam non potest fieri executio.

SVBSECTIO XII.

Proponitur SVBCOROL. XII.

1 SEquitur duodecimò, quòd in causis ciuilibus, ac minoribus criminalibus, quibus de pecuniaria mulcta agitur, Princeps, quin imò in virtute eius quilibet Iudex, siue Ecclesiasticus, siue sæcularis ille sit, quando certò nouit, alteram partem falsis probationibus niti: quamuis teneatur tunc omni industria prius curare, vt falsitas detegatur, vel vt processus impediatur: si tamen id efficere non potest, possit ex illis probationibus contra eum, quem per priuatam scientiam certò nouit causam iustam habere, sententiam ferre. Ratio est, quia Princeps supremus, qualiscunque ille sit, siue Ecclesiasticus, siue sæcularis, & in virtute ipsius quilibet alius Iudex inferior, habet, vti *suprà* dicebam, auctoritatem disponendi de bonis suorum subditorum, eàque de vno in alium transferendi, prout bono communi expediens fuerit, vt patet ex legibus vsucapionum, & præscriptionum: at hìc videtur esse iusta causa, atque adeo concessa hìc Iudicibus talis potestas, quandoquidem plurimùm Reipublicæ interest, vt secundùm publicas allegationes iudicia publica terminentur, ne forma illorum cum populi scandalo peruertatur, tum quia non suppetit ratio, qua incommodum particularis ciuis in tali casu auertatur: ergo supremus Princeps, siue Ecclesiasticus, siue sæcularis ille sit, statuere potest, vt Iudex, etiam inferior, in tali casu formam publicam iudiciorum sequatur; quamuis inde fiat, vt bonis spoliare debeat illum, quem priuatim innocentem, & bonam causam habere cognouit.

Confirmatur, quia hæc bona, si 2 scandalum absit, recuperari possunt non enim per sententiam istam materialiter iniustam ita illis homo priuatur, vt eorum dominium amittat, vt rectè docent Sot. *lib.* 3. *de iust. quæst* 4. *art.* 5. Aragon. *quæst.* 60. *art.* 5. & alij Doctores, quoniam non est ea mens Principis, nec iustè esse potest, cùm sententia falsis probationibus nitatur, id enim esset absque necessitate calumniatoribus fauere; quare potest homo ea occultis modis recuperare ab eo, cui sunt adiudicata & rectè concludit Sotus, quòd sententia iniusta (materialiter) ius nec aufert, nec confert: ideóque si is, cui solutio facta est, eiúsve hæredes postea errorem intelligunt, tenebuntur in conscientia restituere; quandoquidem sententia Iudicis in falsa præsumptione fundatur: præsumptio autem cedit veritati.

Quod autem modò dicebam, intellige de bonis fortunæ, non item officiis, & beneficiis: nam cùm quis per sententiam legitimo iuris ordine datam his priuatur, verè amittit simul cum possessione etiam dominium: atque adeo possunt validè alteri conferri; vt rectè dixit *in loco suprà cit.* Panorm. *in cap.* 1. *de concessione prabenda*, Innocentius *in cap. quia plerique de immunit. Eccles.* & alij Doctores, ratio est, quæ hæc sunt bona publica de quibus Ecclesia, vel Papa liberiùs, vti *suprà* dicebam, potest disponere, quàm de bonis priuatorum: itaque quando causa subest, potest non solùm eorum possessione; sed etiam dominio hominem priuare, hìc autem iusta causa subesse videtur: tum ne dominia sint incerta, quod sæpè cœtus hominum perturbat: tum 3

tum quia is, qui spoliatus est, non potest clam ea recuperare, sicut alia bona, sed debet à collatore accipere, qui nihil faciet, nisi publicè de eius innocentia constiterit; quod si continget de ea postea constare, potest Ecclesia ei aliter compensare, illud beneficium ei conferendo; in bonis autem fortunæ, sufficit si Princeps spoliet possessione, sicuti *suprà* dicebamus.

4 Hinc patet primò, quod potest dari congrua disparitas inter causas Ciuiles, & Criminales: nam cum Respublica, vel supremus Princeps possit (vti *suprà* dicebatur) disponere de rebus, de quibus sunt causæ ciuiles, non autem de vita, & membris, de quibus sunt potissimum causæ criminales, optima ratio desumitur, quare possit Princeps statuere in illis, vt seruetur forma iudiciorum contra priuatam scientiam, non autem possit in istis: quapropter non potest Iudex in his (sicuti potest in iis) condemnare Reum, qui per Testes legitimè est probatus criminosus, v. g. homicida, &c. si eum per priuatam scientiam certò nouerit, esse innocentem.

5 Confirmatur primo, quia ob nullum Reipublicæ bonum (etiam si in proximo periculo versetur) licet directè innocentem occidere, (vt videre est apud Lessium *lib. 2. de iustitia & iur. cap. 9 dub. 7.*) (ergo multo minus licebit hoc ob periculum remotum, & cui alia ratione potest occurri, vt est in casu nostro: & ratio vlterius est, quia humana authoritate directè, & ex proposito occidere innocentem, est intrinsecè malum, sicut cognoscere non suam, ergò sicut non potest homo reddere debitum mulieri, quam certò nouit, non esse suam, etiamsi sexcenties probetur, esse ipsius vxor; ita non potest hunc morte condemnare, quem nouit culpa vacare.

Item sicut Iudex matrimonium, 6
quod secundum publica allegata validum apparet, ipse verò inualidum esse nouit, nullo modo suadere, ne dum præcipere potest, vt alteri putatiuo coniugi carnaliter adhæreat: cum hæc sit copula ab intrinseco mala, cuius potestatem Ecclesia nemini vult, nec potest facere: ita à pari Princeps, Communitas, vel gentium ius, neque volunt, neque possunt Iudici dare potestatem, vt hominem, quem certò is innocentem esse scit, ad mortem damnet; & licèt verum sit, quod Ecclesia, & quæuis Communitas, vel supremus Princeps, velit Iudicem in publicis iudiciis, etiam grauioribus, seu Criminalibus, procedere secundum publicas allegationes, id verum est ex præsumptione, quod eæ veræ sint: nam si contrarium Iudici manifestum appareat, non potest esse locus præsumptioni.

Ob eandem rationem, neque Iustitiæ Minister, siue Carnifex, &c. mortis sententiam exequi potest in reum condemnatum, quem certò nouit, innocentem esse idemque dicas de milite, si certò scit bellum esse iniustum: nam ipse in bello se habet, vt Principis minister ad exequendam pœnam, vt alibi dicebatur.

Hinc tamen non inferas, quod ipsi 7
etiam Innocenti secundum publicas allegationes condemnato, licitum sit suæ defensionis causa, publicè potestati resistere: cum id sine scandalo fieri non possit, si eius innocentia publicè non appareat: de qua re nos alibi, & videri etiam potest Couar. *lib. 1. resol. cap. 2. num. 13.* Less. *de iust. & iur. lib. 2. cap. 31. dub. 4. in fine*, Suar. *de legib.*

gib. lib. 5. cap. 10. num. 3.

8 Neque dicas contra id, quòd *suprà* diximus, quod homo in casu nostro probatur esse in culpa: nam respondetur, quod hoc nihil detrahit eius innocentiæ, nec facit eum ex non digno dignum pœna: quapropter ob id nullo modo potest puniri.

Neque dicas secundò, quod Iudex in tali casu intendit seruare iudiciorum ordinem, & bonum publicum, cui per accidens coniuncta est occisio innocentis: sicut qui occidit alterum causa defensionis sui, intendit conseruationem sui, cui per accidens, & indirectè coniungitur occisio inuasoris; nam respondetur; quod seruare iudiciorum ordinem, & bonum publicum in hoc casu, non est quid distinctum ab occisione huius hominis, sicuti est in exemplo posito: directè enim per huius occisionem intenditur hæc conseruatio; imò condemnatio, & occisio huius hominis formaliter putatur esse conseruatio ordinis iudiciorum, & consequenter boni publici; quod non est ibi; imò contrarium; quare ad exemplum adductum constat disparitas.

9 Confirmatur secundò: quia si Iudex certò sciret se non habere authoritatem in reum non posset eum iudicare, etiamsi multi testarentur illam ipsum habere, & ipsi mortem minarentur, nisi faceret, sicut neque posset reum iudicare, si sciret factum illius non mereri pœnam, iuxta legem, &c. ergo neque etiam poterit, quando certò scit reum esse innocentem. Consequentia probatur; quia ad condemnandum aliquem morte, non minus requiritur veritas criminis in reo quàm vera potestas in iudice, & vera æquitas in lege, secundum quã debet iudicari; ergò &c. Atque ita docent Nicolaus Liranus *in cap. 23. Exodi*, explicans *ly innocentem, & iustum*, Adrianus *quodlib. 6. art. 3.* Angel. *vers. indicare, num. 7.* Rosella *ver. Iudex, num. 16.* Petrus Nauarra *cap. 3. num. 161.* Hostiensis, Calderinus, & Panorm. *in cap. pastorali, cap. super quæstionum de officio delegati,* Syluius *2. 2. quæst. 66. art. 2. concl. 2.* Malderus item *2. 2. tract. 6. cap. 1. dub. 13.* Sà *ver. Iudex, num 13.* & multi alij, quos citat Couarruuias *lib. 1. var. cap. 1. num. 13.* & subdunt *ibidem* Doctores hi, quod iudex non possit Innocentem illum condemnare ad mortem, etiamsi officium suum deberet amittere, imò etiamsi ipse alioquin occidendus foret à populo, ex eo, quia hominem innoxium per se, ac directè occidere (nisi Deus iubeat) per se, & intrinsecè malum est, sicuti fornicari, vt *suprà* dicebatur.

Idem quoque dicendum videtur de pœna mutilationis, vt præter alios, teste Sylu. *ver. iudex, 2. quæst. 5.* docet Raimundus in sua gloss. & ratio est, quia etiam in hac pœna homo non est subiectus dispositioni Reipublicæ, vel Principis; ita vt Respublica; vel Princeps possit eam innocenti inferre, sed solum ob veram culpam. 10

Non nego tamen, quod contrarium (& non improbabiliter, saltem ob authoritatem vnius S. Thom. *in 2. 2. quæst. 67. art. 2.* præsertim in casu, quod ex depositione officij magnum incommodum Iudici obueniret) teneant Caiet. Bañes, Salonius, & Aragonius *ibidem*, Sotus *de iust. lib. 5. quæst. 5. art. 2* Valentia *tom. 2. disp. 5. quæst. 11. punct. 2.* Sayrus *in Claui Regia lib. 12. cap. 8. num. 13.* Tannerus *tom. 3. disp. 4. quæst. 4. dub. 2. num. 51.* Strouerdof. *de iust. & iur. quæst. 67. art. 2. concl. 2.* Diana *part. 5. tract. 4. resol. 22.* & multi alij Theologi, item Couar. *loc. suprà cit. num. 6.* & alij multi Iuristæ; quos ipse citat, qui 11

omnes

omnes docent, quod, quamuis Iudex in tali casu teneatur omnes vias, & rationes inire, quibus posset reum innocentem liberare, (vt impediendo accusationem si potest:sæpe, & per interualla examinando Testes, an aliquid varient: extrahendo iudicium; aperiendo Carcerem,si commodè,& sine scandalo potest, &c.) etsi his modis iuuare non potest, teneatur causam remittere ad superiorem, & deposita Iudicis persona, assumere officium testis apud superiorem, si putet cum hac ratione liberari posse; si tamen (inquiunt ipsi) his modis non potest illum liberare, & pars aduersa vrget condemnationem rei,potest Iudex, quinimò & tenetur, illum (quamuis priuatim nouerit innocentem)secundum allegata,& probata condemnare, etiam ad mortem, si sic opus fuerit, seu sic causa postulauerit & ratio ipsorum potissima est, quia Iudex non iudicat, vt persona priuata, sed vt publica: ergò non debet sequi scientiam priuatam, sed publicam.

12 Confirmant Caietanus, & Couarru. *locis cit.num.*10. quia *in cap. Pastoralis, §. quia vero de officio, & potest.iudicis delegati.* ita habetur: attendentes, quod non cognitio, sed executio tantum demandatur eidem: respondemus, quod cum Ordinarius teneatur obsequi delegato,etsi sciat sententiam illam iniustam exequi nihilominus tenetur eamdem,ergo si minister tenetur exequi sententiam (quam nouit esse iniquam) vt sequatur Iudicem, multò magis tenebitur Iudex, vt sequatur allegata, & probata.

Sed ad rationem horum Doctorum responderi potest, quòd ex illa benè sequitur, quòd Iudex ex priuata scientia non possit authoritate iudiciaria condemnare, & absoluere, non tamen inde consequens est, quòd is teneatur sequi publicam scientiam in condemnando, quando certò nouit illam scientiam non esse aliud, quàm iniquum errorem, & calumniam, alioquin quod pro iustitia seruanda introductum est, ad iniuriam detorqueretur.

Ad Confirmationem autem Caietani, & Couar. respondetur, quòd Pontifex *ibi* loquatur de eo, qui merus est executor, & nullam habet causæ cognitionem: hic enim vltrò concedo, quòd tenetur exequi delegati sententiam, quam scit esse iniustam, videlicet contra ius rei; quia cùm non appellet, videtur cedere iuri suo, vel agnoscere crimen,si enim putet sibi iniuriam fieri per sententiam delegati, debet ab eo appellare ad Papam; non tamen potest eam exequi, si sciat esse nullam, vt si esset lata authoritate falsarum literarum, vel per fasa instrumenta, vel per dolum Aduersarij, &c. tunc enim debet supersedere executioni; ita glossa *ibi*; & ratio huius doctrinæ illa est: quia sicut intrinsecè malum est te iubere occidi eum, quem certò scis esse innocentem, ita intrinsecè malum est te hæc iussa exequi Confirmatur,quia ex communi Doctorum opinione, qui certò nouit bellum esse iniquum, non potest ascribi, & militare, quod est sententiam Principis contra hostes exequi, etiamsi Princeps iubet: ergo similiter, si sciat certò hunc inique damnatum, non potest sententiam executioni mandare:secus si non esset moraliter certus de innocentia, vel iniqua damnatione: tunc enim potest, quin & debet superiori credere.

Secundò patet, quòd si quis in iudicio peteret, v. g. hæreditatem ex testamento, quod Iudex priuatim nouit esse suppositium,attamen id nullis indiciis probari potest, Iudex possit ei hæreditatem 14

tatem adiudicare: imò ad hoc tenetur, & cogetur à Principe, quamuis Lyranus, Angelus, Panorm. *in locis suprà cit.* & quidam Canonistæ doceant oppositum: sentiunt enim, quod non possit Iudex etiam in ciuilibus, sicut in criminalibus, contra eum, quem priuatim nouit iustam causam habere, sententiam ferre; sed hæc istorum Doctorum sententia facilè refellitur ex his, quæ *suprà* dicebantur. Itaque postquam Iudex vndique adhibuit diligentiam, vt eum liberaret, & non potest: quia pars aduersa vrget; potest, quin & tenetur Iudex contra eum, quamuis certò sciat, quod iustam causam habeat, sententiam ferre, secundùm allegata, & probata, ad eum modum, quo S.Thom. Caiet. & Couar. *in locis suprà adductis* philosophantur in criminalibus, & ratio huius rei patet ex dictis.

SECTIO XXII.

Proponitur COROLL. IX.

1 LIcitè etiam potest Princeps, si propter imminentes necessitates bellorum sic vrgeat necessitas, cui ille pro bono publico aliter consulere non possit, cudere pecuniam de vili materia, vt de ferro, vel corio, &c. & præcipere, quod illa per Regnum, tanquam bona, expendatur; (quamuis necessitate transacta teneatur Princeps compensare damnum, quod ex ea causa vassallis obuenit) ratio huius doctrinæ est eadem, quam *suprà* dicebam; quia scilicet publica vtilitas præfertur priuatæ, & in casibus necessitatis attendendum est publicum beneficium, & non particulare damnum: atque ita in terminis huius casus docent Andr. *in verb. vectigalia, num.* 23. *quæ sint regalia*, Regens de Ponte *de potest. Proreg. tit.* 4. *num.* 36 & alij Doctores.

Item ob similem causam boni communis licitè etiam potest Princeps augere valorem pecuniæ, & sic in terminis docent Innocent. Ioan. Andr. Isern. *in cap. quanto, de iureiur.* & Regens de Ponte *in loco suprà cit.* vbi, & in praxi id positum esse multoties testatur.

Aduerte tamen, quod in casu posito, sicut crescit, & decrescit æstimatio pecuniæ, ita etiam crescunt, & decrescunt pretia rerum, & ita aduertunt Isern. & Regens de Ponte in locis *suprà* cit. 2

Aduerte secundò, quòd si facienda sit restitutio pecuniæ creditæ, debet solui valor pecuniæ, provt valor erat tempore contractus, non autem provt valor est tempore restitutionis; atque ita contra nonnullos aduertunt similiter Isern. & Regens de Ponte *vbi suprà*, & ex Theologis Petrus Nauarra *lib.* 3. *cap.* 2. & alij, & ego mox *infrà* dicam in sectione sequenti: & ratio pronunc breuiter est, quia in nummis ad differentiam aliarum rerum, ordinariè non spectatur, nisi pretium, non autem ipsa materia: ergo non debet restitui, nisi pretium æquale. de qua re vide quæ diffusè tradit Layman *lib.* 3. *tract.* 3 *part.* 1 *cap.* 5 etsi nobiscum ipse non sentiat, saltem in totum. 3

SECTIO XXIII.

Proponitur circa dicta difficultas cum eius solutione.

PEtes, an licitum semper sit in mutuo pacisci, vt res restituatur in eadem mensura, etiamsi pretium eius tempore 1

pore restitutionis creuerit; verbi gratiâ, si mutues mihi decem modios tritici valentes nunc viginti aureis, an possis exigere à me totidem modios, etiamsi pretium crescat ad viginti quinque aureos.

2 Respondet Sotus *lib. 6. de iustitia, quæst. 1. art. 2.* affirmatiuè, nempe quod in mutuo semper possit exigi eadem mensura, seu idem pondus rerum: & ratio ipsius est, quia in mutuo spectatur proportio, seu æqualitas corporum, quæ permutantur, non autem æqualitas pretiorum; nam si pretiorum æqualitas spectaretur, esset potius emptio, & venditio quàm mutuum.

3 At ego respondeo cum distinctione, quod si est dubium, vtrum res tempore restitutionis valuerit pluris, vel minoris possit mutuator exigere parem mensuram rei, æquè in se bonæ, eámque suo tempore accipere, etiamsi interim pretium eius valdè creuerit. Ratio est, quia tunc par est vtriusque conditio: sicut enim mutuator potest lucrari, ita potest & amittere. Vnde si lucretur ille, non prouenit id ex obligatione mutui (quasi lucrum illud supra sortem exigatur ex pacto) sed per accidens, & casu fortuito, eo quod res tempore redditionis facta sit maioris æstimationis, & sic admitto sententiam Soti.

4 Si autem certum est, vel probabilius, rem tempore traditionis valituram pluris, quàm modò valeat, non potest mutuator ad parem mensuram reddendam mutuatarium obligare, sed tantùm ad eam, quæ tunc temporis adæquabit pretium rei ab ipso mutuante traditæ; vt si decem modij, qui tunc valent viginti aureis, restituendi sint eo tempore, quo valebunt viginti quinque, non potest mutuator exigere, vt restituãtur decem. Ratio est, quia non potest quis pacisci, vt aliquid reddatur vltra id quod æquiualet rei suæ, at decem modij tempore redditionis pluris valebunt quàm valet res ipsius, quam modò tradit. Ergo, &c. Excipe, nisi rem suam mutuator vsque ad illud tempus constituisset seruare; aut saltem de hac re adhuc anceps esset: tunc enim ratione lucri cessantis posset is quid amplius exigere quàm res ipsius modò valet; hîc tamen detrahenda esset æstimatio custodiæ faciendæ vsque ad illud tempus; & æstimatio periculi corruptionis, tantoque minus exigendum.

Molina tamen *de iustit. & iur. disput.* 311. sequens Sotum *in loc. supra cit.* putat non esse contra iustitiam, si exigat mutuator etiam in hoc casu parem mensuram, modò non obliget mutuatarium, vt differat solutionem vsque ad illud tempus; & ratio vlterius esse potest; quia tunc mutuatarius sibi imputare debet quod expectauerit donec pretium creuerit.

At adhuc probabilius est quod *suprà* dicebam; in casu scilicet, quod erat certum, pretium fore augendum, & mutuans constituerat rem consumere, aut alienare ante illud tempus; nam præter rationem *supra* adductam, non apparet quo iure in tali casu possit mutuans æqualem mensuram petere: hoc enim esset clarè aliquid lucrari suprà æstimationem sortis, ex pacto mutui. 5

At si tandem certum est, vel saltem probabilius, rem valituram minoris, potest mutuator maiorem quàm dederit, mensuram exigere (provt id magis vel minus certum fuerit) vt fiat æqualitas: idque siue rem illam esset venditurus, aut quomodocumque consumpturus, siue seruaturus in futurum. Ratio, quia qui dat mutuum, potest in re sua spectare non solum naturalem bonita-

tem, sed etiam pretium, quanti res illa valet, & sic exigere, vt restituatur sibi quid æquale non solum in bonitate, sed etiam in pretio, quanti res ipsius valet.

Confirmatur, quia in omnibus aliis contractibus potest exigi æquale in pretio: ergo etiam in mutuo, cùm vtrobique militet eadem ratio. Quare, si verbi gratiâ, tibi mutuo decem modios, dum valent viginti quinque aureis, possum pacisci, vt restituas mihi duodecim modios & dimidium, si tempore restitutionis singuli modij non valebunt nisi duobus aureis, quia illi duodecim cum dimidio æquales sunt æstimatione meis decem.

6 Dixi, *si tempore restitutionis non valebunt nisi duobus*; quia non possum te obligare, vt ad illud tempus differas restitutionem, etsi possum te obligare vt illam non differas vltra certum terminum, & intra illum soluas ea mensura, quæ adæquet pretium mensuræ quam nunc tibi trado.

Hinc tamen non inferas, quod non esset contractus mutui, sed emptionis, & venditionis; nam respondetur, quod si esset contractus emptionis, & venditionis, non possem exigere, vt reddas mihi rem eiusdem speciei: si enim pretium frumenti mei est vigintiquinque aureorum, debeo illo in venditione esse contentus, nec possum vlterius obligare emptorem, vt vendat mihi vicissim frumentum vsque ad illam summam, pretio tempore traditionis currente: hæc enim obligatio exigeretur supra iustum pretium; est igitur formalis contractus mutui, etsi implicitè venditionem, & emptionem contingat.

Dices, si rem illam eras seruaturus in illud vsque tempus, quo minoris erat valitura, non censetur tibi pluris nunc valere, quàm tunc valebit. Ergo non potes nunc pro ea plus exigere quàm tunc valebit, quidam concedunt totum.

At ego nego consequentiam: quia etsi toto illo tempore, quo manebas in proposito seruandi illam, non pluris valebat, tamen hoc ipso, quod mutasti propositum, statuendo illam nunc alienare per mutuum, potes illam æstimare secundùm præsentem valorem, quem modò habet; ac proinde huic æquale quid exigere.

Aduerte tamen hîc, quod si in contractu fuit conuentum de restituenda maiore mensura, vel de exæquando pretio, sed tantùm de restituendo mutuo, non potest mutator postea, cum pretium decreuerit, maiorem mensuram exigere. Ratio est, quia in mutuo ita vsu receptum est, vt mutuatarius non censeatur obligatus, nisi ad reddendam rem similem in specie, & parem in bonitate, ac mensura; nisi ratione mutationis pretij aliter conuentum fuerit: nam hæc est conditio puri mutui, cui ex natura sua nulla implicitè miscetur emptio, & venditio; atque ita docent Sotus vbi *suprà*, aliíque multi Doctores quamuis Petrus Nauarra *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 257. oppositum non improbabiliter, doceat ex eo, quia alioquin non seruaretur æqualitas pretiorum, quæ in cæteris omnibus permutationibus seruari consueuit: tum quia si, verbi gratia, mutuo tibi centum aureos, dum singuli valent duodecim regalibus, & postea decrescit pretium eorum vsque ad vndecim, non satisfacis, si mihi restituas idem pondus auri; sed maius dare debes, ergò ita similiter dicendum est, vbi materia distinguitur à pretio. 7

Sed ad primum Nauarræ argumentum 8

tum respondeo, quod in mutuo nudo non spectetur æqualitas pretiorum, sed bonitatis naturalis, & mensuræ, quamuis, si mutuans velit, possit habere tunc rationem pretij, & sic spectare æqualitatem pretiorum, quod si tamen non fecit, sibi imputet.

Ad secundum respondeo, quod alia est ratio nummorum, alia frumenti, olei, similiúmque rerum, & in nummis enim ferè semper non spectatur; nisi pretium, vnde non debet restitui nisi pretium æquale: at in aliis rebus primariò spectatur ipsa materia; nemo enim petit mutuum frumentum, oleum &c. propter pretium frumenti, olei, &c. sed propter ipsum corpus, & substantiam frumenti, olei, &c. vnde apparet disparitas ad argumentum.

SECTIO XXIV.

Proponitur Corollarium duodecimum cum multis casibus.

1 Licitè etiam potest Princeps ex eodem principio *suprà* posito (si sic scilicet exigat aliquo modo bonum commune) reuocare sententias in rem iudicatam transactas; atque ita habetur etiam *ex reg. text. in leg. diui fratres, ff. de pœn.* & tradunt gloss. Bald. & Doctor. *in leg. fin. Cod. sentent. resc. non pos. Roman. & in leg. imperium ff. de iurisdict. omn. Iud.*

2 Item ex eodem principio irritare, seu cassare potest Princeps sententias Iudicum, quamuis ritè, & rectè latas; atque ita docet Ang. *in leg. 1. de sentent. pass.* Afflict. *in cap. 1. quæ sint reg. num. 46.* Restau. Castal. *in tract. de imper. quæst. 110. priuil. 141. & in priuil. 300.* tradit, quod Princeps possit res iudicatas, rescindere, & Afflict. *num. 48. dict. cap. 1. quæ si regal.* docet, quod Princeps possit restituere ad appellandum aduersus rem iudicatam; & Luc. de Pen. *in leg. fin. de pasc. publ. num. 47.* tradit, quod possit Princeps tollere sententiam, & Aym, *de antiq. temp. in princ. n. 51.* docet, quod possit Princeps mandare reuisorem sententiæ in rem iudicatam transactæ; & ratio horum omnium, præter rationem *suprà* toties assignatam, vlteriùs illa est quia hæc omnia sunt de iure ciuili, & Princeps est *suprà* ius ciuile; ergò potest illud tollere cum omnibus suis effectibus, atque ita docet Isern. *in cap. 1. de Vassall. decrep. ætat.* inferens ad acquisita alteri per condemnationem delinquentis, quod cum postea Princeps indulgendo crimen, restituit delinquentem ad omnia, restituat eum ad acquisita alteri mediante sententia, non autem ex facto, aut contractu hominis de qua re vide etiam Alex. *in leg. gallus, §. & quid si tantum ff. de liber. & posthum.* & Felin. *in cap. inter quatuor, de maior. & obed.* Andr. & alios.

Item ex eodem principio petito (si sic scilicet exigat aliquo modo bonum commune) potest Princeps dispensare, quod Vniuersitates ex causa aliqua vrgenti vendere possint territoria (in quibus Ciues, & sic Baro etiam, vt primus ciuis, vsum habent) etiamsi Ciues contradicant; quia cum talis Principis dispensatio, seu concessio consistat in vrgenti necessitate, & publico beneficio Vniuersitatis, ita exigit publica vtilitas, quæ (vti dicebam) præfertur priuatæ, cum priuata insit in publica: & quod expedit Vniuersitati, sit idem, quod expedit priuatis 3

Ciuibus, qui, vt Ciues, ad omnia Vniuersitatis onera tenentur, atque ita in terminis nostri casus docent Andr. *in cap.1.ex quib. caus. feud. amitt. num. 15.* Auedan. *de exequ. mand. cap. 12. num. 25. de Franch. decis.* 197. & Regens de Ponte *in tract. de potest. Proreg. tit.* 10. vbi id in praxi positum esse multoties, testatur. Adde, quod in casu dicto præiudicium, quod infertur, modicum esse videtur, at in modicis potest Princeps, etiam ex ordinaria potestate, præiudicare; vt rectè dixit Andr. *in rubr. quæ sint reg. num. 3. argum. text. in leg. in rebus §. possunt, ff. commod.* Vnde dicere consueuimus, quod modicitas præiudicij inducit aliud ius, de quo non curat Prætor, ergo, &c.

4 Item ex eodem principio (si sic scilicet exigat bonum commune) concedere potest Princeps saluum conductum, seu securitatem delinquentibus, iuxta *tex. in leg. relegati ff. de pæn.* de quo per Bart. *ibidem*, & diffusiùs per Restaur. Castal. *vbi suprà, priuileg.* 139 quare multoties bannitis (quamuis multa, & grauia delicta commiserint) si consimiles facinorosos homines occidant, vel viuos capiant, & conducant ad Tribunal, conceduntur indultus; idque etiamsi non adsit partis offensæ remissio; quia sic exigit bonum commune; cùm alioquin Regnum malefactoribus nimis abundet, & populi continuis iacturis in bonis, & in personis affligantur: atque ita tradunt communiter Doctores *in cap. quæ in Ecclesiarum de constit.*

5 Vbi tamen aduerte, quòd huiusmodi indultus coarctari, & cum clausula aliquando concedi solent, vt scilicet tales homines, quibus fiunt indultus, non accedant ad loca delictorum, & vbi partes offensæ degunt, quæ praxis in multis locis seruatur; sicuti notat Farinac. *in tit. Inquisit. lib. 1. quæst. 6. num. 5* & Thesaur. *in decis. Pedemont.* 21. sed de hac re, & de Principe indulgente propter res prosperè gestas, vel propter aliam causam rationabilem, etiam sine remissione partis offensæ, & de remissione pœnarum corporalium in pecuniarias latè tractat Andr. *in tit. quæ sint regal. in ver. & bona committentium post num.* 75.

Item ex eodẽ principio potest, quin & consueuit Princeps cócedere pro debitis ciuilibus indultus Colonis, ad hoc vt hi culturæ, & messi commodè vacare possint; quia bonum commune exigit; vt prædicto tempore à nemine illi vexentur: atque ita habetur *in leg.* 1. vbi Andr. de Barul. *& in l. coloni, l. 2. Cod. de agricol. & censit. lib.* 10.

Item ex eodem principio potest, quin & consueuit Princeps concedere prouisiones, quæ *saluæ guardiæ* vulgò dicuntur, vassallis Baronum, ne contra illos procedatur, etiam pro delictis antiquis inconsulto Principe, ad hoc ne indebitè à Baronibus vexentur: atque ita docet in terminis Auend. *vbi suprà, part. 1. cap.* 11. & citat pro hac sententia Paulum de Castr. & alios multos Doctores. 6

Item ex eodem principio potest Princeps homines reos, præsertim post delictum manentes in triremibus, vel ante sententiam existentes in carcere, cogere ad triremes, soluto tamen pretio, seu salario. Item & cogere populos ad dandos sibi milites, remigantes, & similes. Item & diruere domus, quæ facilitant capturam Vrbis. Item & comburere segetes, ne ex his viuere possint hostes obsidentes, & similia. Vide Mol. *tom. 1. disput. 25. & 121.* Reginaldum *lib. 21.* & Regentem de Ponte *de potest. Proreg. tit. de elect. official. & tit. de regal. impositionibus.*

An autem in casu, quod huiusmodi milites,

milites, vel remigantes, idemque dico de legatis, qui mittuntur, capiantur ab hostibus, teneatur Rex in conscientia soluere pretium pro redemptione illorum. Respondeo non teneri Regem, si quis ex iis accessit voluntariè, quia tunc videtur cessisse iuri suo, teneri autem è contra Regem, si accessit is necessariò, vel vocatus à Rege: atque ita docet Bart. *in l. si seruus communis, §. quod verò, ff. de furt.* Bald *in cap. 1. an agnat. in fin.* Vincent. de Franch. *decis.* 146. Alber. *in leg. inter causas §. non omnia, ff mand. ibi in addit.* vbi subdit, intelligi hoc vltimum tamen debere, si nulla culpa ex parte capti intercesserit: idémque dixit Ioann. de Plat. *in leg. 1. in fin. Cod. de re milit. lib. 12.* & Lucas de Pen. *in l fin. in fin. Cod. de nau. non excus.* vbi ait, quod si naues sumptæ fuerint à Rege inuitis dominis, tenetur Rex dominis nauium compensare damnum, quod illæ passæ fuerint.

10 Item tandem ex eodem principio (si scilicet ita exigit bonum commune licitè potest Princeps, (etiam non remittente parte) pœnam reo remittere, quia si propter bonum commune, quod antefertur priuato, potest licitè Princeps auferre rem alterius, poterit & auferre ius alterius, quod si tamen ita non exigit bonum commune, nullo pacto potest licitè Princeps (non remittente parte) pœnam reo remittere, quia sicut in isto casu non potest licitè auferre rem alterius, ita nec ius alterius: quin imò tenetur ex officio, & debito iustitiæ distributiuæ, ius suum reddere vnicuique, si tamen pars remittit, potest tunc etiam Princeps licitè remittere, dummodo id publicę vtilitati viderit non obfuturum: ratio, quia Princeps tenetur non solum parti satisfacere, sed etiam Reipublicæ, ad cuius bonum spectat, ne delicta restent impunita. Vide S. Thom. *in 2. 2. quæst. 67. art. 4. in corp.* & Regentem de Ponte *de potest Proreg. tit. 1. §. 4. num. 6. & seq.* vbi subdit, quod de facto nonnullæ gratiæ absque remissione partis, à Rege factæ, tãquam irritæ ordine supremi Italiæ Concilij, reuocatæ fuerint: de quibus videri potest præter Regentem de Ponte *loc. suprà cit.* Ioan. Vinc. de Ann. *in repet. cap. 1. de Vassall. decrep. ætat. num.* 252. Caraueta *in ritu 272. Mag. Curiæ Neapolis*, & Lucas de Pen. *in l. 1. num. 57. Cod. de desertoribus libro 11.*

SECTIO XXIV.

Proponitur SUBCOROLL. XIII.

Licitè etiam potest Princeps (si sic scilicet exigit aliquo modo bonum commune) operari, & iudicare contra leges ciuiles, & in illis dispensare, non solùm si leges ciuiles respiciant solùm subditos, Principem autem nullo modo complectãtur, sed etiam si Principem complectantur, & spectent ad communem Reipublicæ gubernationem, idque siue leges illæ ius alteri non conferant, vt quod fur vapulet, &c. siue etiam conferant, quales sunt leges præscriptionis, & leges, quæ præcipiunt parti læsæ pecuniam aliquam à læsore dari; vel habentibus hæc, vel illa merita; hæc, vel illa beneficia conferri, &c. 1

Prima pars huius Corollarij probatur: quia si leges humanæ solùm subditos respiciunt, & nullo pacto Principem complectuntur) ex aliqua scilicet rationabili causa) ex se constat, quod iis Princeps nõ teneatur, verbi gratia, si lex extet, quod nullus induatur serico, &c. 2

Secunda

2 Secunda pars probatur, quod scilicet si leges scriptæ, quæ Principem complectuntur, spectántque ad communem Reipublicæ gubernationem, nullum tamen alteri ius conferunt, possit Princeps contra leges illas operari, & in illis dispensare: verbi gratia, si quis innocens probetur esse nocens: quod possit Princeps in tali casu ex plenitudine suę potestatis illum non condemnare iuxta leges scriptas, secluso tamen scandalo (imò etiam si esset nocens, dummodo sit Reipublicæ vtilis: vel necessarius) Item quod possit Princeps conferre alicui priuilegium, ne bona illius præscribi possint, quo priuilegio existente non daretur alteri locus acquirendi ius in bona illius, & teneretur inferior Iudex iudicare de bonis illius non iuxta leges scriptas, sed iuxta priuilegium à Principe datum, adeò vt si illud non seruaret Iudex inferior, peccaret mortaliter per vsurpationem iudicij, & sententia ipsius inualida esset. Probatur (inquam) secunda hæc pars Corollarij: quia in hoc differt Princeps ab aliis inferioribus Iudicibus, quod hi sunt tantum meri executores, & Ministri legum, habentes solùm authoritatem ipsis taxatam, per leges; Princeps autem est legislator, & conditor, ac legitimus legis interpres, (cum eius sit interpretari, cuius est condere) residétque in ipso suprema plenitudo potestatis ciuilis. Vnde sic formo pro secunda, hac parte Corollarij argumentum: dispensare in lege humana ex causa iusta, idem est quod interpretari legem, & declarare, non fuisse animum legislatoris comprehendere talem casum cum tali iusta causa in illa lege, sed supremi Principis est interpretari legem, ergò, & dispensare in lege ex iusta causa. Minor per se patet. Maior probatur, quia ideò ex communi Doctorum consensu requiritur ad dispensationem iusta causa, quia dispensatio est quædam legis interpretatio, qua exponitur legislatorem (cum de eius prudentia, & æquitate non dubitetur) non intendisse lege sua complecti illum casum, in aquo adeò iusta causa se offert ad ipsum excipiendum ab illa lege: ergò, &c.

3 Confirmatur, quia per omnes ad dispensandum in lege tria sufficiunt, primò, quod lex sit dispensabilis, id est, non sit ex natura sua immutabilis, qualis est lex naturalis, & diuina: Secundò authoritas in dispensante: Tertiò causa iusta: at lex merè humana, ad differentiam legis naturalis, & diuinæ, dispensabilis, & mutabilis est: in Principe est plenitudo authoritatis ciuilis, & causa supponitur esse iusta, ergo &c.

4 Hinc sequitur, quòd quotiescunque potest Princeps in lege scripta dispensare, poterit etiam iuxta suam prudentiam, & non secundùm legem scriptam iudicare: at, quoniam dixi iustam causam requiri, vt possit Princeps dispensare in lege, & aliter, quàm lex præcipit, iudicare, notandum hîc est, quòd causa iusta ad dispensandum requisita debet esse bonum publicum. Ratio, quia causa, & effectus debent commensurari inter se; at lex est regula publica, authoritas Principis est etiam publica, collata ei ob bonum publicum, non ad destruendùm, sed ad ædificandum: ergo & bonum, ob quod potest Princeps dispensare in lege; debet etiam esse publicum, vt si, v.g. commisit quis miles strenuus, & Reipubl. vtilis, homicidium, poterit Princeps cum eo dispensare in lege de occidendis homicidis, & imponere ei aliam pœnam, vel omnino condonare,

donare, bono publico sic exigente: sic Saul meritò dispensauit cum Ionata milite strenuo, & saluti populi tunc maximè necessariò: at si homicida sit, v. g. dilectus Principi, non tamen necessarius, aut vtilis Reipubl. non potest Princeps cum illo dispensare; sed iudicare eum debet debet secundùm legem scriptam, cùm cesset in tali casu causa publica, & bonum commune.

5 Tertia pars corollarij probatur, quod scilicet, si leges scriptæ, quæ Principem complectuntur, spectántque ad communem gubernationem Reipublicæ, ius alteri conferant, possit etiam Princeps contra leges operari, & in illis dispensare. Probatur, inquam, hæc tertia pars Corollarij, quia cùm Princeps sit custos boni publici, quoticscumque videt bono communi ita expedire, potest, quin & debet, bona Ciuium in illud referre, & sic ob bonum publicum bona alicuius Ciuis alteri adiudicare: atque adeo non stare prædictis legibus, etiãsi ius illæ alteri conferant.

SVBSECTIO I.

Proponuntur circa COROLL. XIII. *Aduertenda quadam.*

1 ADuerte, quòd vt sit verum, quod modò dixi, in tertia parte corollarij, requiritur bonum commune sic exigere, quod rarissimè, & fortè nunquam euenturum arbitror, aliter tenetur Princeps sub pœna peccati mortalis obseruare in suis iudiciis, & sententiis leges scriptas, præsertim si leges scriptæ ius alteri conferant, v. g. vocat Paulus Petrum in iudicium, quasi iniquè possidentem bona ipsius: at ostendit Petrus se illa bona fide possedisse toto tempore legis, & verè in illis præscripsisse, tenetur Iudex, etiamsi supremus Princeps ille sit, ferre sententiam pro Petro, nec potest dispensare cum Paulo in lege præscriptionis: atque ita docet S. August. *lib. de vera Relig. cap.* 3 & Arist. 5. *Eth. cap.* 6. *&* 3. *Polit. cap.* 10. *&* 12. & ratio est, quia contra ius naturale est, vt cùm quis legitimo contractu effectus est dominus alicuius rei, aut ius legitimum in illam habet: expolietur illa re, aut legitimo iure, quod in illam acquisiuit, cùm talis expoliatio ipso inuito sit furtum formaliter, & Princeps, quantumuis supremus, non possit dispensare in furto, nec ferre sententiam contra ius naturale: atque adeo non potest spoliare eum, qui iam rem aliquam possidet, aut ius in illam per legitimum contractum habet; sed qui rem aliquam possidet, aut ius in illam virtute alicuius legis Ciuilis habet, habet rem illam, vel ius in illam, veluti per legitimum contractum, cùm possit lex ciuilis de vno in alium dominium bonorum, & ius in illa transferre: ergo in huiusmodi legibus, quæ conferunt ius alteri, non potest, neque supremus Princeps dispensare; sed debet necessariò secundùm illas ius dicere, & sententiam ferre.

Confirmatur, quia si posset supremus Princeps pro libito suo dispensare in huiusmodi legibus, & non iudicare secundùm illas, posset similiter, quando duo litigant de aliqua re tollere illam habenti ius in ipsam, & adiudicare eam non habenti ius in illam; at hoc per omnes esset furtum formaliter, & maxima iniquitas: ergo & illud, ex quo sequitur istud. Consequentia probatur; quia sicut hic litigans habet ius in rem, quam iustè postulat, vt suam iusto titulo; 2

lo; ita & qui rem aliquam, vel ius aliquod habet virtute alicuius legis, habet. illud iusto titulo, cùm lex ciuilis conferat in huiusmodi rebus iustum titulum

3 Confirmatur secundò; quia lex præscriptionis, & aliæ similes leges, non minus conferunt nunc hominibus dominium, & ius in bona temporalia, quàm contulerit eis à principio ius gentium, quo facta fuit diuisio rerum; sed non potest Princeps spoliare eum, qui bona possidet per illam primam diuisionem rerum, quia iam sunt illius facta propria, estque ille illorum factus dominus: Ergò neque potest Princeps spoliare eum, qui aliqua bona, vel ius in illa bona possidet virtute alicuius legis, quia sicut iure naturæ antequam fieret rerum diuisio nihil alicuius erat, at facta illa rerum diuisione, quæ alicui appropriata sunt, ita facta sunt illius, vt committat furtum formaliter, & violet ius naturæ quicumque alius illa bona inuito illo accipit, ita quoque licèt, antequam hæ leges ius, & dominium alteri conferentes condetentur, non esset iure naturæ, neque alia via quis dominus eorum, quæ præscripsit, postquam tamen huiusmodi leges conditæ sunt, & virtute illarum aliquid ille acquisiuit, est furtum formaliter, & contra ius naturæ eum illa re, vel illo iure expoliare. Itaque si aliter in oppositum non exigit bonum commune: tenetur Princeps leges scriptas (præsertim si hæ ius alteri conferant) in suis iudiciis obseruare, alioquin mortaliter peccabit.

4 Aduerte secundò, quod Princeps in tali casu non solùm peccabit mortaliter, sed peccabit grauiùs, quàm peccat homo priuatus, cùm rem alterius subripit. Ratio, quia custos iustitiæ grauiùs peccat iniustè agens, quàm ille ad quem non pertinet ex officio custodia iustitiæ, sed Princeps, sicut & quicumque alius inferior Iudex, est ex officio custos, & minister iustitiæ, ergò, &c.

Aduerte tertiò, quod Princeps in dicto casu non solùm peccabit mortaliter, seu grauiter (& grauiùs, quàm peccat homo priuatus, cùm rem alienam subripit) sed etiam tenebitur ad restitutionem. Ratio, quia Princeps, sicut, & quilibet alius inferior Iudex, est custos iustitiæ, & boni suorum ciuium: ergò si sine iusta causa in lege dispenset, vnde alteri damnum sequatur, est ipse iniustus author illius damni, at quicumque iniustè infert alteri damnum, tenetur ex iustitia damnum illud resarcire, ergò, &c. 5

An autem talis circumstantia personæ publicæ in confessione explicanda sit: affirmat vterque Medina Complutensis, & Salmaticensis, hic *in summa*, ille *in Cod. de Confessione*, at negat, & probabilius (dummodo scandalum absit) Henriquez *lib. 2. cap. 6. num. 3. in gloss. lit. O*, ratio quia talis circumstantia publici officij solùm aggrauat peccatum intra eamdem speciem iniustitiæ, ergò, &c. Ex dictis sequuntur multa, ideo sit. 6

SVBSECTIO II.

Proponitur SVBCOROLLAR. I.

EX dictis sequitur primò, quod, si leges scriptæ continent ius naturale, 1
semper secundum eas iudicare debet Princeps, etiam supremus. Ratio, quia nunquam licet à iure naturali recedere, cùm contrarium huius iuri s semper sit iniquum; quinimò sicut ius naturale est indispensabile, ita sunt, & indispen

indiſpenſabiles leges illud continentes.

2 Confirmatur, quia iudex etiam ſupremus, debet iudicare, quod iuſtum eſt, *Sap.* 1. at iuſtum in huiuſmodi legibus contentum ſemper eſt idem, & immutabile, ergo ſemper iuxta ipſum iudicare ille debet.

3 Confirmatur ſecundò, quia ius naturale, quamuis medio dictamine rectæ rationis excipiatur, re vera tamen habet (ſicut & natura ipſa) Deum authorem ergò ſi quis iudicat aliter, quàm leges iſtæ, ius naturale continentes, poſtulant, violat ius naturale & diuinum ſimul.

4 Confirmatur tertiò, quia (cum iuſtum, quod iſtæ leges continent, ſit ex natura rerum, & intrinſecè bonum) qua ratione non poteſt Princeps mutare naturas rerum, & facere bonum, quod eſt intrinſecè malum, vel è contra, ita non poteſt iuſtè iudicare, niſi ſententiam ferat iuxta iſtas leges.

SVBSECTIO III.

Proponitur SVBCOROL. II.

Cum multis caſibus.

1 SEquitur ſecundò, quod ſi obſeruatio legis ſcriptæ ratione loci, temporis, vel alicuius alterius circumſtantiæ aliquid inducit contra ius naturale, non poſſit Iudex, etiam inferior iudicare ſecundùm illam legem ſcriptam, ſed teneatur iudicare ſecundùm æquitatem, & dictamen rationis, quam vocamus *epiicheiam*. Ratio eſt eadem, quam *ſupra* dicebam; quia ſcilicèt nunquam licet à iure naturali recedere, cum contrarium huius ſemper ſit iniquum; vndè rectè dixit S. Thom. 1. 2. *quæſt* 69. *articul.* 4 *&* 6. quod lex iniqua, aut ſimpliciter, aut ex aliqua circunſtantia, non eſt lex, neque regula, quæ valeat noſtras actiones rectè dirigere, ſed eſt corruptela, quemadmodum horologium, quod non conſentit cum motu ſolis, non eſt horologium, ſed potius perturbatio horarum.

Verbi gratiâ, præcipit lex, ne ciuitate obſeſſa, portæ illius vllo modo aperiantur, euenit poſteà caſus, quòd ciues fugiant hoſtes ſuos, nec aliter ab iis immunes eſſe poſſunt, niſi apertis portis ſe in ciuitatem recipiant, non debet Iudex etiam inferior, iudicare ſecundùm iſtam legem ſcriptam, quæ in tali caſu adeò obeſt ciuibus, & bono communi, atque adeò, & iuri naturali etiam. 2

Item ſecundò, lege ſancitum eſt homicidam ſuſpendi: commiſit autem homicidium artifex Reipublicæ neceſſarius aut vir eruditus, vel ingenioſus, bono communi perutilis: diſpenſat proptereà (cùm ſic exigat bonum commune) Princeps cum homicida iſto in lege de ſuſpendendis homicidis; nam debet, quinimò non poteſt Iudex inferior in tali caſu iudicare ſecundùm legem ſcriptam, ſed tenetur iudicare ſecundùm iuſtam illam Principis diſpenſationem. 3

Item tertiò minatur Tyrannus mortem, ſi hodie ieiunaueris, poſito tamen, quod is non aget in contemptum fidei, vel religionis, ſed ex ſua inſania, &c. non teneris ſeruare legem ieiunij: quia ſi adeſſet legiſlator, non obſtringeret contra ius naturæ te in tali caſu ieiunare cum diſcrimine vitæ; hæc autem, & ſimilia cognoſcimus per *epicheiam*, id eſt, per æquam, & iuſtam interpretationem, de qua S. Thom. 1. 2. *quæſt.* 69. *art.* 4. *&* 6. *&* *quæſt.* 120. 4

5 Ex eodem principio posito non tenetur mulier audire sacrum die festo, si vir austerus minatur ei malum graue, si ex domo, quacumque de causa egrediatur.

Item secundò, non tenetur Sacerdos abstinere à sacrificando, quia adest, verbi gratiâ, excommunicatus, etiam vitandus; vel quia altare lapideum, vel vestes sacras ad sacrificandum necessarias non habet, vel quia ieiunus non est, vel quia est suspensus, excommunicatus, irregularis, &c. si scilicet ex tali abstinentia magnum malum imminere sibi videret; atque ita docent Sotus *in 4 distinct.22. quæst.1. art. 4.* Medina 1. 2. *quæst. 96. artic. 4.* Sanchez *lib. 1. moral. cap. 12. num.8.* Vasq. 1.2. *disp. 161. cap 4.* Auila *part. 2. de censur. cap. 6. disput. 11. conclus.4. & 5.* Suar. *lib. 3. de legibus, cap. 30. num.16. & disput.6. de censur. sect. 3. num 4.* Coninch 3.*p.tom.2. disp. 13. dub. 12.* & alij Doctores passim.

6 Item tertiò, non tenetur homo cum periculo magni damni abstinere se à communione, seu in sacris, seu in politicis negotiis, cum excommunicato, etiam vitando: vel si ipse sit excommunicatus, abstinere se à communione cum non excommunicatis: atque ita docent iidem Doctores *in locis suprà citatis.*

Item quartò, non tenetur homo abstinere se, si grauis mali metum patiatur cum consanguinea matrimonium contrahere, tacita intentione (quantum in me est, si nihil aliud impediat) quamuis non possit licitè cum illa consummare, antè impetratam à Papa dispensationem, quia esset copula fornicaria, & incestus formaliter; atque ita docent Sanchez *lib. 7. disput. 5. de matrim. num. 4.* Suarez *cit. capit. 30. numer. 13.* Vasquez *cit. disput. 161. cap. 3.* & idem sentire videntur Sotus, & Medina *locis suprà citatis* contra Caietan. 1. 2. *quæst. 96. articul. 4.* & Nauarr. *capit. 27. num. 141.* qui huius dicti priorem partem negant.

Item quintò, non tenetur Carthusianus ad legem de carnium perpetua abstinentia, si nullus aliùs cibus suppetit, quia lex naturalis dictat vitam alimento seruandam; quare potius in tali casu peccabit mortiferè Carthusianus si abstinere velit, sicuti rectè probat Ioannes Maior *in 4. dist. 38. quæst. 24.* & Vasqnez 1. 2. *quæst. 162. cap. 4.* licèt contrarium doceat Lessius *de iust. & iur. lib. 4. cap. 3. dub. 2. num. 12.* 7

At quidquid sit de hoc, quando alij cibi suppetunt, conueniunt Doctores, quod fas Carthusianis non sit, cuiuscumque ægritudinis occasione carnibus vesci. Ratio, quia si alij cibi haberi possunt, carnium esus non est medium absolutè necessarium ad vitam seruandam; diutius autem vitam prorogare delicatiori cibo nullus tenetur, si id à vitæ instituto suo sit alienum, & maius, publicumque bonum virtutis, ac regularis obseruantiæ impediat, vel diminuat; tunc enim paruam longioris vitæ iacturam perpeti, vel permittere, à ratione naturali alienum non est, sed potius temperantiæ, ac fortitudinis opus Deo naturæ auctori maximè gratum: ad quod proinde Carthusiani iuxta regulam suam laudabiliter possunt se obligare. Vide Ioannem Gersonem *part. 2. operum, tract. de abstinentia Carthusiensium*, & Victoriam *relect. de temperant. num. 8. & seqq.* & ratio horum omnium est, quia lex humana ordinariè non obligat cum magno incommodo, & rigore, verbi gratiâ, cum periculo mortis, mutilationis, grauis infamiæ, aut magnæ bonorum iacturæ, sicuti docent communiter Doctores contra Caietan. 8

1.2.

1. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. & sumitur *ex cap. consilium, de obseruatione ieiunij*, ibi cùm non subiaceat legi necessitas, & *regul.* 6. *in* 6. nemo potest ad impossibile obligari, quod autem valdè difficile est, moraliter impossibile censetur, hinc Isidorus *lib.* 5. *etymol.* ait: legem humanam oportere esse possibilem secundùm hominum naturam & consuetudinem. Vnde mens legislatoris censeri debet, vt legis suæ obligatio in tali casu cesset, alioquin lex esset iniusta & intolerabilis, séque ipsam euerteret.

9 Hinc discrimen oritur inter legislatorem Deum, ipsúmque Christum, & inter legislatorem humanum; quod iste legum ferendarum potestatem limitatam habet, quam vltrà extendere non potest. Deus autem, ipséque Christus potestatem habet absolutam, & illimitatam, iuxta illud Matth. 28. *data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* quare absolutè nos ad legum suarum obseruationem adstringere potest Deus, ipséque Christus, etsi ordinariè diuinæ leges non cum tanta seueritate positæ sint, etiam in veteri Testamento, vt de Sabbatho obseruando, abstinentia à sanguine, à carne suilla, &c. vti testatur S. Thom. 1. 2. *quæst.* 100. *art.* 8 Sotus *lib.* 1. *de iustit. quæst.* 6. *art* 4. Victor. *relect. de temper. num.* 6. & 10. Vasq. 1. 2. *disp.* 161. *cap.* 2. Suar. *lib.* 3. *de legib. cap.* 30. *assert.* 3. Lessius *lib.* 4. *de iustit. & iur. cap.* 3. *dub* 2. *num.* 10. & colligitur ex *lib.* 1. *Machabæorum, cap.* 2. *num.* 38. & 1. *Regum, cap.* 21. multoque magis in nouo Testamento de suscipiendis sacramentis, per se loquendo: nam per accidens, ratione scandali, vel ratione proprij spiritualis detrimenti vitandi, si scilicet in speciali casu susceptio sacramenti ad salutem alicui necessaria esse videatur, aliter res sese habere potest: lege, si placet, hac de re diffusiùs Suar. *in* 3. *part.* 1. 3. *disp.* 31. *sect.* 3.

Dixi autem *ordinariè*; nam quotiescumque ex legis, vel præcepti humani obseruatione maius Reipublicæ commodum speratur, aut ex illius neglectu maius incommodum timetur, quàm æstimari debeat priuatum periculum vitæ, famæ, aut bonorum amittendorum: tunc lex, aut præceptum, cùm bonum commune præferatur priuato, vti *suprà* dicebam, cum tanto periculo etiam obligare potest, sicuti notauit Carbo *lib.* 7. *de legib. disput.* 6. *posit.* 2. Sotus *suprà cit. quæst.* 6. *art.* 4. & *in* 4. *distinct.* 22. *quæst.* 1. *art.* 4. Medina 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. & Vasq. *cit. cap.* 2. sic enim belli Dux militi præcipit vt stationem seruet cum vitæ periculo; & summus Pontifex Sacerdoti, vt cum simili periculo Christi fidem infidelibus prædicet. 10

Item si legis positiuæ trangressio cedere videatur in contemptum Legislatricis potestatis, aut fidei, & Religionis Christianæ detrimentum, tunc ipsa etiam naturæ lex obligat ad obseruationem legis positiuæ, quamuis cum proprio vitæ dispendio; sicuti rectè notauit Sotus *cit. quæst.* 6. *art.* 4. Medina *l. C*, Vasq. *in fine, disp.* 161. Suarez *de censur. disp.* 6. *sect.* 3 & *cit. cap.* 30. *num.* 7. & Coninch. 3. *part. tom.* 2. *disp.* 13. *dub.* 12. cuius rei exemplum habes in Eleazaro 2. *Machab.* 6. & in eandem sententiam S. August dixit *lib. de bono coniugij, cap.* 16. *Satiùs est fame mori, quàm idolothytis vesci.* subintellige cum scandalo, vel cum Religionis contemptu, secundùm Apostolum 1. *Corinth.* 10. 11

SVBSECTIO IV.

Proponitur SVBCOROLLAR. III.

SEquitur tertiò, quòd Princeps possit faciliùs, & multories dispensare in criminalibus, quàm in ciuilibus, quia in criminalibus dispensatio sæpiùs sine aliorum damno, & iniuria locum habet, in ciuilibus autem rarò, aut ferè nunquam; in ciuilibus enim semper agitur, cuius res sit, mea, an tua, sempérque in his sunt vnus, qui postulat rem suam, & alter, à quo postulatur: vnde fit, quòd nisi in his feratur iudicium iuxta leges, inferatur alteri damnum cum iniuria, sitque sententia illa in præiudicium tertij, quod neque Principi licet, vti *suprà* dicebam: debet enim Princeps, etiamsi sit supremus, iustè iudicare, & ius suum vnicuique reddere, præcipuè ipse, quia quò maiorem habet in Republica auctoritatem, eò magis positus est à Deo ad æquitatem exercendam, & leges seruandas.

SVBSECTIO V.

Proponitur SVBCOROLLAR. IV.

1 SEquitur quartò, quòd si leges scriptæ contineant ius merè positiuum, ordinariè secundùm eas iudicare debeat Iudex præsertim, si supremus non sit: ita S. Thom. 2. 2. *quæst.* 60. *art.* 5. & alij Doctores passim.

2 Dixi, *præsertim si supremus non sit*, quia supremus Princeps potest interdum (vti *suprà* dicebam) dispensare in lege positiua, legísque rigorem, & pœnam relaxare, vel mitigare, quando ita Republicæ expedire ipsi videbitur; hoc autem non potest Iudex inferior, nisi ex tacita, vel expressa Superioris concessione. Quare Constant. Imperator *in l.* 1. *Cod. de legibus*, ait: *inter æquitatem, eiúsque interpositam interpretationem nobis solis, & oportet, & licet inspicere*: vbi Rubrica: *Iudex non debet recedere à iure scripto propter æquitatem non scriptam, nisi auctoritate Principis, ad quem hoc pertinet, scilicet limitare ius scriptum:* & ratio est manifesta, quia Iudex in iudicando non potest excedere limites potestatis suæ: at verò Princeps Iudicibus suis committit potestatem secundùm leges, tum naturales, & omnibus gentibus communes, tum proprias Regni iudicare; cùm lex sit norma, & regula, secundùm quam Iudex iudicare debet, alioquin iacerent leges tantâ sapientiâ, & auctoritate constitutæ, tantâ temporum diuturnitate, ac vsu comprobatæ, præsertim Cæsareæ, quæ propter æquitatem, & iustitiam ab aliis etiam Romano Imperio non subditis Regnis, in honore, & existimatione sunt, & multæ in Ecclesiastico foro receptæ, si inspectis extrinsecis causarum circunstantiis, ex æquo, & bono, sicuti Iudici videtur, liceat iudicare: id enim quiuis in legum studio etiam non versatus, dummodo ingenio & prudentiâ polleat, præstare poterit.

Dixi, *ordinariè*, quia interdum potest, etiam Iudex inferior, recedere à lege 3
scripta, iudicando scilicet contra verba legis; vt si constat mentem Legislatoris aliam fuisse, nec eum voluisse casum hunc verbis legis suæ esse comprehensum, tunc enim Iudex inferior vti debet *epiicheia*, quia magis tenetur sequi Legislatoris mentem (quæ est anima legis) quàm corticem verborum, alioquin summum ius summa iniuria esset.

Adde

Adde, quòd in tali casu (quidquid alij in contrarium dixerint) nec tenetur is Legislatorem, vel Superiorem consulere, quia non est opus inquirere de mente, quando constat de mente; & confirmatur *ex l. nulla ratio, ff. de legib. & l. non dubium, Cod. de legibus*.

4 Item, si non constat, sed probabilius tamen est aliam fuisse mentem Legislatoris, & res non patitur moram, vt Superior consulatur, debet etiam tunc Iudex inferior non sequi verba legis; quia semper intentio Legislatoris præferenda est verbis legis, quod si superior facilè consuli potest, consulendus est: ratio, quia lex infringi non debet, (ne quidem quoad verba) nisi in casu, quod constat aliam fuisse Legislatoris mentem, si de ea constare potest, quod si de ea non potest constare, tunc sequendum id, quod probabilius videtur.

5 Porrò, si vtrinque est æquale dubium, & Princeps consuli non potest, tenetur inferior Iudex secundùm verba legis iudicare, ita communiter Doctores, & ratio est, quia lex est veluti in possessione suæ auctoritatis; vnde in pari dubio non potest Iudex, cùm ex officio sit custos legis, eam sua auctoritate spoliare.

6 Hinc intelligitur, quomodo Princeps sit liber, & solutus à legibus, vt non teneatur secundùm illas iudicare iuxta *leg. Princeps, ff. de legibus*, & è contra quomodo liber, & solutus ab illis non sit. Item intelligitur; quando possit Princeps in legibus dispensare, & quando non, iuxta *can. summoperè 11. quæstion. 3.*

SECTIO XXVI.

Proponitur eiusdem primæ difficultatis posita tertia solutio.

Respondetur itaque tertiò (& multò magis ad rem) distinguendo Antecedens argumenti: Rex, vel quilibet alius supremus Princeps tenetur stare contractui, distinguo; si notabiliter læsus non est, concedo, si notabiliter læsus est, nego; quia in tali casu potest habere beneficium restitutionis in integrum; vt *supra* dicebatur, præsertim si dictam notabilem læsionem passus sit Rex (quamuis scienter) necessitate ductus, vt subueniret bono communi, ad quod præsentanea pecunia tunc ille indigebat; præsertim secundò si qui contraxerunt cum Rege cum dicta notabili læsione Regis, magnum, & exorbitans lucrum fecerint, percipiendo etiam fructus quoad excessum illum, in quo Rex notabiliter læsus fuit (& maximè per multum tempus) cum debuerint prius Vassalli in illa necessitate subuenire Regi (mutuando ei saltem pecuniam) si sine suo magno incommodo mutuare potuerint; præsertim tertiò, si hæc Regis in integrum restitutio cedat in beneficium commune, vt si v. g. quod recuperat per sui in integrum restitutionem in beneficium Regni conuertit; & prætetea ob id Regno nouum in posterum euitat grauamen, quod alioquin, propter vrgentem aliquam necessitatem, necessariò imponendum esset. 1

Atque hinc intelligitur; quod nonnulli Iuristæ, vt Sanctorus Baua *in Resol. pro tract. salis, fol. 12. & 14.* & Doctores 2

Doctores dicunt, nempè quod Rex stet in quasi possessione recedendi à contractu, & à promissis, & practicatis in capitulis Regni; intelligitur enim, quod hi Doctores dicunt, primò secundùm primam responsionem in principio huius dubitationis positam, si contractus sit gratuitus, vel sit priuilegium aliquod ex mera Regis liberalitate concessum; non autem intelligitur, si contractus sit onerosus, & ex vtraque parte obligatorius intelligitur. Secundo, iuxta secundam Responsionem etiam in principio huius dubitationis traditam, si scilicet causam rationabilem (quia sic scilicet exigit bonum commune) recedendi à contractu Rex, seu Princeps supremus, habeat, secus si non habeat, intelligitur. Tertiò, secundum tertiam responsionem mox vltimò positam; si Rex notabiliter in contractu læsus fuerit; secus autem, si læsus non fuerit: nam in casu, quod contractus est onerosus: & causam rationabilem recedendi à contractu Rex non habet, vel saltem notabiliter in contractu læsus non est, necessariò tenetur stare contractui. Ratio, quia licet Rex quodammodo non subdatur iuri positiuo, quia est *suprà* illud; quapropter (vt dicit Isern. *in cap.* 1. *de Vassal. lus, decrep. ætat.* & Regens de Ponte *tit.* 10. *de donis, & expensis vniuers.*) potest Rex ius positiuum tollere cum omnibus eius effectibus, subditur tamen iuri naturali, & diuino; cum quilibet Rex, vtpote creatura, creatori necessariò subdatur. Confirmatur, quia alioquin nemo amplius cum Rege conheret, nec pactitaret, maximè in Parlamentis generalibus: atque ita præter Innoc. *cap. nouit de iud.* Ant. de But. *in capit. cum M. de constit.* Ludouic. Roman. *in consil.* 251. *&* 352. Syl. *in verb. Princeps*, Molin. *tom.* 3. *disp.* 667. Bald. *de vsib. feud. in rubr. de natura feud. & in consil.* 326. *vol.* 1. Matth. de Afflict. *in constit. Regni ea, quæ ad decus.* Ias. *in consil.* 10. *vol.* 3. Philip. Corn. *in consil.* 70. *vol.* 2. Bellug. *in spec. Princip. rubr.* 1. *& rubr.* 46. præter alios Doctores quos ad satietatem citat, & sequitur Borrellus *in addit. ad rubr.* 1. *Belluga*, *lit.* N. docent Vasquez *in opusc. de restitut. cap.* 6. §. 1. *dub.* 2. *Ramonij part.* 1. *consil.* 24. *num.* 81. & alij Doctores passim quod si autem contractus gratuitus sit, seu sit priuilegium, ex mera liberalitate Regis concessum, vel rationabilem (quia sic scilicet exigit bonum commune) recedendi à contractu Rex causam habeat; vel notabiliter Rex læsus fuerit, non tenetur Rex (prout dicit Baua) stare contractui, contra id quod dicitur per argumentum in principio præsentis dubitationis positum.

SECTIO XXVII.

Proponitur contra eamdem dubitationis resolutionem in principio positam secunda difficultas, eiusque solutio.

1 SEcundò obiicies. Rex iurat stare contractui; ergò saltem ratione iuramenti, tenetur stare contractui, cùm iure naturæ teneamur cauere, ne Deum faciamus testem falsi.

2 Respondetur, nego Consequentiam; quia sicut ex rationabili causa tolli potest, etiam à potestate sæculari, obligatio iuramenti, impediendo, ne illam ab initio

initio iuramentum inducat, vt si Princeps statuat iuramentum contractui, vel promissioni alicui adiectum, esse irritum, & nullum; quemadmodum Trident. *sess.* 25. *cap.* 16. *de Regular.* irritum reddit iuramentum adiectum renunciationi bonorum, si fiat hæc ante bimestre, quod præcedit professionem & in Regno Lusitaniæ *de iure regio noua Recopil. l.* 4. *tit.* 74. irriti redduntur omnes contractus, obligationes, conuentiones promissiones, remissiones, & distractus iuramento confirmati: si alioquin ad forum sæculare eorum cognitio pertinebat, nisi cum Regis facultate iuramentum appositum fuerit, & simili fere modo in Regno Castellæ irriti etiam redduntur omnes contractus, exceptis, quibusdam paucis, vt refert Molin. *disp.* 149. quod ideo factum est, ne lites super huiusmodi contractus traherentur ad forum Ecclesiasticum: iuramentum enim facit, vt causa, quæ aliàs merè est ciuilis, fiat fori mixti, vt patet *ex cap. fin. de foro compet. in* 6. sicut (inquam) ex rationabili causa tolli potest, etiam à potestate sæculari obligatio iuramenti, impediendo, ne illam ab initio iuramentum inducat, ita & tolli potest (quidquid in contrarium dixerit Couar. *in cap. quamuis, part.* 1. §. 3. *num.* 22. Rodriq. & *tom.* 1. *summ. cap.* 192. *num.* 9.) obligatio iuramenti, illam iam inductam tollendo per authoritatem superioris, etiam sæcularis, idque etiamsi iuramentum factum in fauorem tertij acceptatum sit, dummodo tamen legitima causa subsit illud tollendi, ex eo quia non potest superior ius alterius tollere sine iusta causa.

3 Causæ autem iustæ sunt: primò, si metu, vel fraude extortum est iuramentum: secundò, si alia iniustitia, vel iniuria intercessit; vt cùm vsurarius exigit iuramentum de soluendis vsuris: item quando quis in contractu grauiter læsus est, & coactus aliquo modo illum iuramento confirmare, vel non aduertens læsionem sponte illum confirmauit: tertiò, in iustam pœnam: quartò, si bonum commune ita postulat, vt si filiusfamilias sub patria potestate existens mutuò pecuniam accepit sine consensu Patris; (qui propterea ex beneficio senatus consulti Macedoniani non tenetur ad solutionem, etiam post mortem Patris) & cum iuramento renunciet tali senatusconsulto Macedoniano; de qua re vide Lessium *lib.* 2. *de iust. & iur. capit.* 2. *dub.* 2. *numer.* 9. item si quis cum Iuramento promittit non accusare, non denunciare, non contra testari, & similia.

Ratio autem, cur obligatio iuramenti tolli possit per auctoritatem superioris, etiam sæcularis, ex iusta causa, illa est, quia in iuramento semper tacitè subintelligitur conditio; *nisi superior sua authoritate ex legitima causa remittat:* vnde dici consueuit in iuramento censeri exceptam authoritatem superioris; qui enim aliquid promittit alteri etiam iurando (cum iuramentum, vtpotè accessorium sequatur naturam promissionis, vt potè principalis) tacitè semper subintelligit conditionem: *nisi superior sua authoritate ex legitima causa remittat,* 4

Sicut & aliam similem; *si velis, nisi remittas, nisi superior, cui materia subest, contradicat, &c.*

SVB

SVBSECTIO I.

Proponitur COROLLAR. I.

1 EX dictis in præcedēti sectione sequitur primò quod quando metu, fraude, vel aliqua alia iniustitia iuramentum extortum est superior etiam sæcularis, qui sua authoritate potest remittere solutionem, potest etiam & remittere iuramentum, sicut enim si is, qui extorsit, remittat, euanescit obligatio iuramenti, ita etiam eadem euanescit, si eius superior, qui potest eum cogere ad remittendum, condonet: hæc enim condonatio Superioris supplet vicē condonationis, quam faceret inferior.

2 Hac ratione itaque huiusmodi iuramenta remittere, seu relaxare potest primò summus Pontifex, & etiam Episcopus, vel qui authoritatem quasi Episcopalem habet; maximè si ille, qui sic exegit, est ei subiectus; quia Superior subditos suos cogere potest, vt ab iniuria abstineant, eamque relaxent, retinere autem alterum iuramento obstrictum, assidua iniuria est, assiduaque afflictio; quod si Superior cogere illum potest, vt relaxet, etiam sua authoritate relaxare potest, sicut quando subditus lege iustitiæ tenetur ad solutionem, vel restitutionem, potest Superior ex bonis subditi restituere, si subditum ob absentiam, vel potentiam cogere ad hoc non potest.

Si autem, qui extorsit, non est subditus, est maior difficultas: quia condonatio mea non potest supplere condonationem alterius, qui mihi non subest, cum ego in illum ius non habeā: nihilominus videtur dicendum te posse relaxare, si is, qui iniuriam passus est, sit tuus subditus: tunc enim ratione iniuriæ subdito tuo illatæ, ius in alterum habes, quo illum ad iniuriam tollendam compellere possis, præsertim si superior illius id facere recuset, quo casu etiam ex bonis illius subdito tuo restitutionem facere posses, si damnum ei esset secutum.

Imò non videtur esse opus; vt superior illius, qui extorsit iuramentum, interpelletur, vt subditum suum compellat ad iuramentum relaxandum, quia cum tu ratione iniuriæ subdito tuo illatæ, satis ius habeas ad illum compellendum, si non potes compellere ob absentiam, vel potentiam, potes ipsemet condonare, hinc Doctores *in capit. debitores de iure iurando* generatim docent, quod iuramentum, quo quis vsurario promisit soluere vsuras, ab Episcopo relaxari potest.

Quod autem dixi de Superiore in ordine ad subditum, si læsus est, idem intelligas de Superiore in ordine ad se ipsum, si ipse læsus fuerit: quod scilicet possit in tali casu sibimet ipse relaxare iuramentum. Ratio est, quia non debet Superior esse deterioris conditionis, quàm subditus: quapropter Doctores in materia de voto docent, quod Prælatus potest etiam directè sibi dispensare in votis propriis. Dixi *directè*, quia non est dubium, quin possit indirectè, nimirum dando alicui ex subditis potestatem; qua in ipsius voto dispenset: sicut enim Prælatus sacerdoti subdito potest dare potestatem, qua ipsum absoluat à peccatis, etiam reseruatis, vt colligitur *ex cap. fin. de pœnit. & remiss.* scilicet si Episcopus incidit in casum Pontifici reseruatum, à quo ipse alios absoluere potest, dare possit subdito potestatem, vt ab illo ipse 3

ipse absoluatur (idémque cõtra Iacobum de Graffiis *in append. ad decis. aur. lib. 3. cap. 8. num. 22.* & Alterium *de censuris, tom. 2. disput. 8. cap. 3. concl. 4. ver. 3.* propter eandem rationem dico de Vicario Episcopi, & Vicario Superioris regularis, quod si scilicet incidat is in casum suo Superiori reseruatum, possit etiam dare alteri potestatem, vt ab illo ipse sine licentia sui Superioris absoluatur, si potestatem tamen subdelegandi à Superiore habeat: sicuti sacra Cardinalium Congregatio declarauit *Trident. Concil. in Concil. in sess. 24. de reform. cap. 6.* & docent communiter, Doctores Palud. *in 4. distinct. 38. quæst. 4. art. 2. concl. 4* Sylu. *ver. Confessor, 1. quæst. 9.* Henriquez *lib. 14. cap. 18. num. 3.* Suarez *tom. 4 disput. 41. sect. 2. num. 9.* Maiolus *de irregular. lib. 5. cap. 21. num. 7* Sayrus *de censur. lib. 7. cap. 9. num. 5.* Sanchez *de matrimon. lib. 8. disput. 3. num. 3. & in summa tom. 1. lib. 2. cap. 11. num. 11. & lib. 4 cap. 37. num. 41.* Vgolin. *de potest. Episc. cap. 39. num. 2.* Floron. *de casib. reser. part. 1. cap. 3. §. 1. num. 3.* Ricc. *in praxi part. 1. resol. 445. num. 2.* Bellett. *in disquisit. Cler. part. 1. tit. de disciplina Cleric. §. 1. num. 54.* Naldus *vers. casus num. 6.* Sà *ver. Confessor. num. 16.* Layman *lib. 1. tract. 4. capit. 22. num. 33.* vbi ait, quod nihil prohibet, quominus alter alteri iurisdictionem committere possit erga seipsum exercendam: sic enim Papa v. g. dat Confessario suo iurisdictionem à peccatis absoluendi ipsummet Papam, vti docet S. Bonauent. *in 4 distinct. 19. art. 3. quæst. 2.*) ita etiam poterit Prælatus Sacerdoti subdito dare potestatem, qua liberet ipsum ab obligatione voti; ne Superior sit (vti *suprà* dicebatur) deterioris conditionis, quàm subditi.

4 Et doctrina hæc communis de voto à Doctoribus communiter tradita, probatur vlteriùs sic, quia sicut Prælatus potest ex iusta causa dispensare cum suis subditis in legibus, & etiam Superiorum, vt in lege ieiunij, esus carnium audiendi sacri, recitandi officij, & similibus, ita ex iusta causa per omnes potest dispensare sibi in iisdem; ergò sicut potest dispensare in votis subditorum, potest etiam in votis suis. Consequentia probatur, quia hìc non plus iurisdictionis requiritur in se ipsum, quàm ibi.

5 Secundò, potest se eximere, quando causa subest, ab obligatione, quam iure naturæ contrahit occasione legis propriæ: ergo & ab obligatione, quam adfert votum proprium.

6 Tertiò, Papa, Episcopus, &c. potest sibi ipsi conferre indulgentias, absoluendo se à debito pœnæ, etiam iniustæ, vt docet Henriq. *lib. 6. cap. 8. & lib. 7. cap. 32. num. 3.* Suarez *3 part. tom. 4. disp. 52. sect. 1. & lib. 6. de legibus, cap. 12. & lib. 6. de voto, cap. 11.* Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 3. num. 12 resp. ad confirmat. 4 argum. contra Richard. in 4. dist. 20. art. 4. quæst. 3* & Palud. *quæst. 4. art. 3. concl. 5.* ergo, & potest se absoluere à debito voti.

Quartò, si quid obstaret, cur minus posset Prælatus in voto sibi dispensare, id esset defectu iurisdictionis in ipsum: quia nemo potest in se ipsum iurisdictionem exercere: vnde nemo potest seipsum à peccatis absoluere, censuris ligare, aut liberare; sed hoc non obstat: ergo &c. Minor probatur, quia non magis requiritur hæc iurisdictio in dispensatione votorum, quàm in dispensatione legum, collatione indulgentiarum, & obligatione per suas leges; sed defe-

ctus iurisdictionis in se ipsum non impedit, quominus quis hæc possit in seipsum præstare, vt patet ex *suprà* dictis: ergo &c. Secundò, quia quòd iurisdictio postulet distinctionem personarum, est, vel quia est coactiua, quæ exercenda est in inuitum, vt est potestas, v.g. inferendi censuram, &c. vel quia est contentiosa, inter partes ius distribuens (non enim videtur æquum, vt quis in sua causa sibi ius dicat contra ius aduersarij se opponetis: sic enim esset sibi simul Iudex, & reus) vel quia pertinet ad absolutionem Sacramentalem, quæ iure diuino postulat distinctionem Iudicis, & Rei: sed iurisdictio, quæ requiritur ad dispensationem voti, nihil horum est: ergo non est, cur requirat distinctionem personarum,

7 Confirmatur ex S.Thom. *in 4. dist. 20. quæst. vnic. art. 5. ad 3.* vbi docet neminem posse seipsum excommunicare, quia excommunicatio fertur per modum sententiæ, quam nemo in seipsum ferre potest, cùm iam idem non possit esse Iudex, & reus, posse tamen sibi dare indulgentias, quia indulgentia non datur per modum sententiæ; sed per modum cuiusdam dispensationis: ergo ad mentem S. Thomæ clarè sequitur posse etiam se eximere ab obligatione sui voti, quia hîc est propriè dispensatio.

Confirmatur secundò, quia si in dispensationibus, requireretur distinctio personarum, sicut in inferendis, & tollendis censuris, non posset quis esse particeps dispensationis & beneficij à se collati Communitati, sicut non potest incurrere censuras à se illatas Communitati, quod est contra S. Thomam vbi *suprà* communiter à Doctoribus receptum: ergo &c.

Confirmatur tertiò, dispensatio votorum nihil aliud est, quàm quædam condonatio nomine, & auctoritate Dei facta; sed condonatio non requirit distinctionem personarum: ergo &c. vnde qui habet; v. g. auctoritatem condonandi omnibus Regi aliquid debentibus, potest etiam sibi condonare: & qui habet aliquid distribuendum, potest etiam sibi applicare, & se numerare inter eos, quibus facienda est distributio, si eadem causa in ipso locum habet; & sic quæstor sibi ipse soluere potest; & pauper eleemosynas sibi applicare,

Confirmatur quartò, quia vt docet Panorm. *cap. ex literis, num. 11. de probationibus*, in iurisdictione voluntaria potest quis sustinere vices plurium personarum, dummodo exercitium vnius actus non impediat exercitium alterius actus, idque probat *ex l. si consul, ff. de adopt.* vbi dicitur, quòd filiusfamilias, si Præses sit, possit seipsum apud seipsum emancipare, vel in adoptionem dare, & *ex l. vna, ff. de offic. Consul.* vbi consul potest apud se manumittere seruum suum, & sic repræsentare personam Consulis, & personam Domini: & ratio est, quia idem secundum diuersas qualitates, & officia potest seipso esse superior, & inferior, vt patet in Pontifice, qui simul est Princeps sæcularis; in Episcopo, qui simul est Canonicus; & in Rege, qui simul est Dux, vel Comes coronæ subiectus, seu vassallus. Idem patet in omni Prælato, & superiore, quia in eo (vt ita dicam) est qualitas superioris, & qualitas personæ priuatæ. Itaque gratias, & beneficia, quæ superior in alios inferiores diffundit, potest etiam diffundere in seipsum: nam vt superior habet veluti vim actiuam, & vt persona priuata, habet veluti potentiam receptiuam, nec mirum: nam in naturalibus etiam idem potest agere in se ipsum, & esse agens,

&

& patiens, vt patet in actibus vitalibus, &c.

9 Confirmatur quintò, quia dispensatio non requirit maiorem distinctionem; quàm actus iustitiæ; sed eiusdem ad seipsum secundum diuersas rationes, & officia potest esse obligatio, & actus iustitiæ, vt patet, cum quæstor, vt debitor, nomine Regis soluit sibi, vt Creditori, & cum Christus,vt homo satisfecit sibi, vt Deo, ergò,&c.

10 Obiicies: Collator non potest sibi ipse beneficium conferre vt habetur *in fin. de institut.* quia vt ibi dicitur inter dantem, & accipientem debet esse distinctio personalis, similiter Patronus non potest se ipsum præsentare, vt habetur *in cap. per nostras 26. de iurepatronatus*, ergò, &c.

Respondeo, argumentum hoc probare plus, quàm intendit; quare signum est, quod non valeat; si enim valeret, non posset Prælatus sui voti dispensationem alteri committere; sicut nec collator potest committere suam potestatem alteri, qui ipsi beneficium conferat, vt docet ibidem ex communi Panorm. *num. 6.* itaque dicendum, quod hoc peculiariter statutum sit in beneficiorum collatione, & præsentatione. Ratio, quia nemo debet se ingerere Ecclesiasticæ prælationis officiis, quantumuis sit idoneus, vt habetur in *cit. capit. per nostras*; tum, quia esset perniciosum exemplum, si quis prouideret sibi, qui aliis conferre tenetur, vt ait Panorm. *suprà.* potest tamen quis se ipsum eligere, nisi fortè sit solus elector, quia id non est iure prohibitum: non enim à se solo tunc ius accipit, sed etiam à coëlectoribus, & præterea rarissimè vsu venit, vt sic promoueatur.

11 Obiicies secundò, *leg. 1. ff. de auth. & consensu Tutorum.* Respondeo, legem istam ad rem non facere: solum enim ibi dicitur, in rem suam tutorem autorem fieri non posse, id est, non posse dare pupillo auctoritatem in negotio, quod ad ipsum tutorem principaliter pertinet, non autem dicitur (vt Aduersarij contendunt) neminem posse præstare auctoritatem in suo facto: id enim falsum est, vt patet in exemplis allatis, & multis aliis; quamuis sit verum, quando agitur de alterius præiudicio rationabili. Vide Panorm. *loc. suprà cit.*

Itaque ex dictis non solùm Ponti- 12
fex potest in votis propriis, & sic propter easdem rationes in iuramentis, & votis iuratis, ex causa iusta sibi dispensare, sed etiam Episcopus, idque in omnibus, in quibus possunt cum suis subditis, quia rationes omnes supradictæ in iis locum habent: idem dicendum de Prælatis Regularium, qui toti Conuentui præsunt, vt sunt Priores, Præpositi, Guardiani, Rectores, &c. imò etiam Vicepriores, & Vicerectores, qui in absentia illorum regunt, quia hi omnes habent iurisdictionem, quasi Episcopalem in suos, & sunt Pastores ordinarij suorum, sicut Episcopi sæcularium, vide Sotum *lib. 7. de iust. quæst. 4. art. 3.* Nauarr. *capit. 12. num. 75.* Sylu. *ver. votum 4. num 3.* & distinctiùs Sanchez vbi *suprà*; *de matrim. lib. 8. disput. 3. num. 6. & seqq.* & ex parte Suarez *in locis suprà cit.* Molinam *disput. 148.* vbi dicit, quod Superior Monasterij, quas facultates, & dispensationes potest aliis concedere, iisdem possit secum vti, quando aliud in ea Religione non est statutum. Vide etiam Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 22. num. 31. & 32.* Sà *ver. Religio*, vbi ait, quod Prælati in Religione possint se-

cum dispensare, sicut cum subditis, quam sententiam dicit esse rationabilem Fumus *ver. Monachus, num. 9.* idem colligitur ex Caiet. 1. 2. *quæst. 96. artic. 5. dub. vlt.* Sylu. *ver. lex num.* 14. Soto *lib. 1. de iust. & iur. quæst. 6. articul.* 1. & aliis, qui docent, Superiorem posse secum dispensare in lege ieiunij, & aliis, in quibus potest cum subditis; idque ne sit (vt *suprà* dicebatur) deterioris conditionis, quàm subditi; quare ad mentem istorum Doctorum poterit etiam Superior sibi dispensare in votis, iuramentis, & votis iuratis, cum sit in omnibus his eadem ratio.

13 Item secundò huiusmodi iuramenta, metu scilicet, vel per aliam iniuriam extorta remittere, seu relaxare possunt Regulares, quibus per priuilegium Sedis Apostolicæ concessum est, relaxare vota etiam iurata, & iuramenta, quorum remissio non est in præiudicium tertij: nam quando iuramentum per iniuriam extortum est, nullum ius propriè acquiritur extorquenti, aut alteri, in cuius fauorem extortum est; ac proinde iuramenti relaxatio in tali casu non censetur esse in eius præiudicium, id est, in eius damnum iniquum: atque ita docent Petrus de Ledesma *de matrimonio, quæst. 47. art. 3. dub. 3.* & alij passim.

14 Item tertiò huiusmodi iuramenta, metu scilicet, vel per aliam iniuriam extorta remittere, seu relaxare potest potestas etiam sæcularis, vt *suprà in sect. præcedenti* contra Couar. & Rodriq. *in locis suprà citatis* dicebamus: non quidem directè, vt sentire videntur Molin. *cit. disp.* 149. Mynsiger. *cent. 3. obseruat.* 99. Andreas Gaill. *lib. 1. obseruat.* 25. sed indirectè, sicuti docent Suarez *lib. 2. de iuram. cap. 41. num. 16.* Sanchez *lib. 3. cap. 22. num. 13.* Gutierrez *in auth. Sacramenta puberum, num. 46.* & alij: ita vt directa relaxatio vinculi iuramenti, quæ fit per modum dispensationis, vel absolutionis, ad Ecclesiasticos tantùm Prælatos pertineat, cùm sit quædam remissio ex parte Dei facta per eius Ministrum, cuiusmodi potestas omino Ecclesiastica, & spiritualis est, & in hunc sensum forsan loquuntur Couar. & Rodriq. *in loco suprà citato,* negantes, quòd potestas sæcularis possit remittere iuramenta; indirecta autem iuramenti relaxatio, quæ fit ratione materiæ, vel supplendo vicem eius, cui iuratum est, & qui remittere debebat, ad ciuilem, seu sæcularem potestatem pertinere possit, dummodò materia temporalis sit, & persona, cui remittitur subdita, de qua re vide diffusiùs *infrà in subsectione quarta sequenti.*

Ex dictis inferas ad sententiam, quam cum Molina *cit. disp.* 149. & Sanchez *cit. cap. 22. num.* 10. *suprà* tradebamus, quidquid in contrarium sentire etiam videantur Couar. *part. 2. §. 1. num.* 18. & Gutierrez *loc cit. num.* 152. quod potestas ciuilis, seu laicalis, si Reipubl. bonum ita postulet, adeo aliquam promissionem, vel contractum prohibere possit, vt etsi iuramentum subditi sui accedat, nulla omnino ex eo obligatio oriatur. Primò, quia potestas ciuilis debet esse sufficiens ad prohibendum, & remouendum ea, quæ fini suo, & bono Communitatis obnoxia sunt, cuiusmodi sunt quorundam pactorum obligationes; alioquin enim deluderetur publica potestas, & iustitia, si improbi homines, quod vna via, siue obligatione pacti consequi non possunt, alia via, siue obligatione iuramenti consequerentur. Secundò, quia potestas ciuilis iuramenti iam contractam obligationem indirectè remittere, seu relaxare potest, 15

vt

vt *suprà* dictum est: ergo & poterit prohibere, seu impedire, quo minus contrahatur à principio.

16 Ex dictis, inquam, infetas ad sententiam, quam cum Molina,& Sanchez contra Couar. & Rodriq. *suprà* tradebamus; quòd sententia hæc intelligi non debet de directa prohibitione obligationis iuramenti, cùm illa spiritualis, & laicali potestati subiecta non sit; sed solùm de prohibitione indirecta, quæ duobus modis locum habere potest. Primò, si laica potestas, iusta lege lata, executionem; siuè solutionem rei taliter promissæ prohibeat, illicitámque reddat, ad improborum hominum fraudes, & iniurias arcendas: tunc enim huiusmodi iuramentum erit de obiecto illicito, atque adeò non obligatorium, qua ratione prodigus, cui bonorum administratio à Magistratu interdicta est, iuramento se obligare non potest ad alienandum, soluendum, &c. sicut ex probabiliore Doctorum opinione docet Couarr. *in capit. quamuis pactum, part 2. §. 3. num. 11. argum. leg. si quis cum sciret, ff. pro emptore.*

17 Secundò, quotiescumque sæcularis potestas recipientem, seu exigentem iuramentum, ratione fraudis, violentiæ, vel alterius causæ iustæ compellere potest ad eius relaxationem, etiam lege publica lata impedire poterit, quo minus obligatio iuramenti erga huiusmodi homines, saltem efficaciter, aut sine exceptionis, vel actionis remedio contrahatur: qua ratione ciuilis potestas prohibere videtur, atque impedire, ne ex contractu Tutoris cum pupillo, etiam accedente iuramento, obligatio, vel solutio sequatur.

SVBSECTIO. II.

Proponitur SVBCOROLLAR. II.

EX dictis *in sect. eadem XXVII.* sequitur vndecimò, quod superior, etiam laicus, potest remittere, seu relaxare iuramentum, in pœnam, quando scilicet is, cui præstitum est iuramentum, ita meretur; siue quia iniquè exegit illud, siue quia commisit aliquid, ob quod meretur bonis spoliari, hoc modo Iudex, etiam sæcularis, ad puniendum vsurarium, qui absque Principis permissu vsuras fecisset, posset relaxare iuramentum ipsi vsurario præstitum de vsuris soluendis. idem dicendum de iuramentis vi, vel fraude extortis, vt patet *ex leg. 2. Cod. si aduersus vendit.* in qua dicitur: per vim autem, aut per metum extorta sacramenta, etiam à maioribus, nullius esse momenti, iubemus, vbi generatim videntur omnia huiusmodi iuramenta irrita reddi, ac proinde non agere relaxatione Iudicis, probabilius tamen puto, non esse irrita; neque legem illam ab Ecclesia eo sensu receptam; nam *in cap. si verò, de iure iur.* dicitur, requiri absolutionem à talibus iuramentis, dicuntur autem nullius momenti, quia talia iuramenta præstita in irritum reuocari possunt, etiam per iudicem sæcularem, præcedente tamen causæ cognitione; quia extorquens meretur, ita puniri. 1

Excipe iuramentum de non accusando maleficium, seu delinquentem; hoc enim iuramentum videtur statim irritum reddi, quia sic bonum publicum iustitiæ videtur postulare, & ratio est, quia alioquin non posset hæc accusatio sit, 2

sine periurio fieri, nisi quis ante recurrat ad Episcopum, quod tamen *ibi* non videtur lex intendere.

3 In pœnam quoque relaxatur iuramentum subditorum, quo obstricti sunt Principi, vel alteri superiori, quando ille priuatur per summum Pontificem, vel per alium superiorem, officio, vel dignitate, ratione cuius ei erat præstitum iuramentum, vel quando suspenditur ab officij executione, sic absoluuntur (vt habetur *in cap. absolutos, de hæreticis*) à debito fidelitatis, dominij, & obsequij illi, qui manifestè lapsis in hæresim, iuramento quacumque firmitate vallato, tenebantur astricti, vt sunt subditi, serui, & Vassalli idem dicendum est de iis, qui publicè excommunicatis hoc modo obstricti erant. *cap. Nos sanctorum, is quæst.6.* ex Gregor. VII.

SVBSECTIO III.

Proponitur SVBCOROLL. III.

1 EX dictis *in eadem sect.* 27. sequitur tertiò, quod superior, etiam laicus potest remittere, seu relaxare iuramentum, ratione boni publici, sicuti est in casu nostro, item quando quis cum iuramento alicui spontè, vel coactè promisit, non accusare, non denunciare, non contra testari, & similia: nam nisi talia iuramenta possent relaxari, non possent crimina detegi, & puniri, iudicia exerceri, innocentia defendi, iniquitas opprimi, &c. quæ omnia sunt contra bonum publicum, ergo, &c.

2 Itaque huiusmodi iuramenta ob prædictas causas relaxare potest primò summus Pontifex, Episcopus, & qui authoritatem quasi Episcopalem habet, secundò priuilegiatus: tertiò etiam Princeps sæcularis indirectè tamen modo *suprà* explicato, quia ratio officij Principis sæcularis etiam postulat, vt possit tollere obligationes, quæ eiusdem rectam administrationem possent impedire, vt *supra* dicebatur.

SVBSECTIO IV.

Proponitur circa dicta Aduertendum primum cum solutione multorum casuum.

ADuerte tamen hîc, quod quamuis 1 iuramenti cognitio (quando agitur de viribus, & valore iuramenti, vel in dubium probabile vertitur, an iuramentum sit licitum, an obliget in conscientia, an possit relaxari, &c. ad forum Ecclesiasticum pertineat, vt patet *ex cap. fin. de foro competenti in 6. & ex cap. venerabilem, §. vtrum verò de elect.* & notat ibi Abb. *num.* 13. Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disp.* 32. *num.* 18. Andr. Gail. *lib.* 1. *obseruat.* 25. *num.* 1. & nos in *subsect. sequenti* dicemus; tamen, quando manifestè constat de iniuria, vel iniustitia exactoris, aut pœna locum habet, aut quando constat huiusmodi iuramentum bono publico noxium esse, potest ex dictis etiam Princeps sæcularis, & aliquando iudex inferior, non solum præcipere, vt exactor illud remittat, sed etiam sua authoritate illud remittere, & relaxare. Ratio, quia hæc potestas non est (vt *suprà* dicebatur) per se spiritualis, sed generatim fundata in potestate gubernandi, sine qua potestate gubernatio ciuilis prorsus esset imperfecta, ac manca, & plurimis incommodis non posset subuenire.

Confir

2 Confirmatur, quia Princeps sæcularis (vt *suprà* etiam dicebatur) ab initio potest obligationem iuramenti impedire, ne nascatur; ergo, & natam, ex iusta causa, potest de medio tollere: hæc enim duo sunt eiusdem rationis, & potestatis. Adde, quod contractus ipsi, qui iuramento confirmantur, potestati Ciuili subduntur, & sic cum illos potestas ciuilis irritat, statim cessat, & ruit iuramentum, quod ipsos confirmabat: nam cessante, & ruente principali, necessariò cessat, & ruit accessorium eius, atque ita contra Couar. *cap. quamuis, part.* 1. *§.* 3. *num.* 22. & Rodr. *tom.* 1. *summ cap.* 192. *num.* 9. docen Mynsingerius *cent.* 3. *obseruat.* 99. Andr. Gail. *lib.* 1. *obser.* 25. Gutierez *in auth. Sacramenta puberum, num.* 46. & Pereira *de manu regia, cap.* 19. & ex Theologis Molin. *de iust. & iur. tom.* 1. *tract.* 2. *disput.* 149. *num.* 13. Sanchez *in summa tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 22. *num.* 10. *& seq.* Vasq. *de testam. cap.* 3. *dub.* 2. Suar. *lib.* 2. *de iuram. cap.* 41. *num.* 16. Pontius *de matrim. lib.* 12. *cap.* 8. *§.* 5. *num.* 39. & Fagundez *de precept. Eccles. tract.* 1. *lib.* 3. *capit.* 7. *numer.* 17. & alij quàm plures.

3 Cùm autem dixi, quod Princeps etiam sæcularis, & aliquando iudex inferior, possit sua auctoritate iuramentum remittere, seu relaxare, id verum est non directè (vt docere videtur Molina, Mynsingerius, Andr. Gaill. & alij) quia, vt *suprà* dicebatur, directa relaxatio iuramenti, cùm fiat per modum dispensationis, vel absolutionis, ad Ecclesiasticos tantùm Prælatos pertinet: sic enim est quædam remissio ex parte Dei facta per eius Ministrum, cuiusmodi potestas omnino Ecclesiastica, & spiritualis est, sed est verum solùm indirectè (vt docent Gutierrez, Suar. & Sanchez) ratione scilicet materiæ, quæ cum sit temporalis, laicæ potestati subiecta est, vel supplendo vicem eius, cui iuratum est, & qui remittere debebat.

Ad hunc modum relaxandi iuramenta pertinet, primò, si laica potestas aliquem ab officio, vel dignitate remouet, ratione cuius subditi ei obedire iuramento obstricti erant: nam in tali casu, nonobstante tali iuramento, non tenentur illi obedire, vt *suprà* dicebatur. 4

Secundò, si laica potestas ob iustam causam aliquid præcipit, vel prohibet, ei, nonobstante contrario iuramento suo subditus obtemperare debet; v.g. quod ciuitatis gubernationem accipiat, *l. vlt. ff. ad Municipal.* quod ciuitate non egrediatur: quod ad talem locum non accedat, &c. 5

Tertiò, si is (cui iuratum est) propter vim, fraudem, aut iniustitiam quamcumque, vel propter aliam causam pertinentem ad Reipublicæ bonum, cogi potest (vt *suprà* dicebatur) ad relaxandam obligationem iuramenti: Superior (illo etiam inuito) talem remissionem, seu relaxationem facere potest: quia factum Superioris in tali casu reputatur factum partis, vti docent Doctores in *l. si ob causam C. de euictionibus*: requiritur tamen in tali casu partis citatio: hæc enim substantialiter requiritur, quotiescumque actus iudicialis cedit in graue præiudicium partis, vti habetur *in leg. de vnoquoque, ff. de re iudic. in leg. nam ita, ff de adoption.* & docet Couarr. 1. *resol. cap.* 4. *num.* 5. Sanchez *lib.* 3. *cap.* 21. *numero* 28. & Gaill. *libro* 1. *obseruat.* 109. 6

Quartò, si Reipublicæ bonum ita postulat, promissionem, vel contractum prohibere potest potestas ciuilis, vt etsi iuramentum subditi accedat, nul- 7

la omninò ex ea promissione, vel contractu obligatio oriatur: quin imò si laica potestas, iusta lege lata, executionem, siue solutionem rei taliter promissæ prohibet, illicitámque reddit (ad improborum, verbi gratia, hominum iniurias, vel fraudes arcendas) tunc eiusmodi iuramentum erit de obiecto illicito, ideoque nullo modo obligatorium, vt *suprà* dicebatur.

8 Vnde prodigus, cui bonorum administratio à Magistratu interdicta est, iuramento se obligare non potest ad alienandum, soluendum, &c. sicuti ex probabiliori docet Couar. *in cap. quamuis pactum, part.* 2. §. 3. *num.* 11. *argum. leg. si quis cum sciret, ff. pro emptore.*

9 Vnde secundò, quotiescumque sæcularis potestas eum, cui factum est iuramentum, ratione fraudis, vel ob aliam causam rationabilem compellere potest ad eius relaxationem; potest etiam lege publica lata impedire, quominus obligatio iuramenti erga huiusmodi homines (saltem efficaciter, aut sine exceptionis, vel actionis remedio) contrahatur.

10 Vnde tertiò potest Ciuilis potestas prohibere, atque impedire, ne ex contractu Tutoris cum pupillo, etiam accedente iuramento, obligatio, vel solutio sequatur; de quibus vide *subsectionem primam superiorem.*

SVBSECTIO V.

Proponitur Aduertendum II.

1 Aduerte secundò, quod obligatio iuramenti (sicut & voti) est spiritualis. Ratio, quia vtraque obligatio per se, & immediatè tendit ad Deum, quare si iuramentum, & votum soli Deo, seu intuitu tantum pietatis, fiant, ad eorum obseruationem, solus iudex Ecclesiasticus, & nullo pacto laicus, compellere, vel in iisdem, ob iustam causam, dispensare potest; sicuti ex communi docet Abb. *in capit. licèt, num.* 3. *de voto*, & Sanchez *lib.* 3. *moral. cap.* 13. *num.* 16. quemadmodum propter eamdem rationem quotiescúmque de iuribus, seu valore iuramenti agitur, vel in dubium probabile vertitur, vtrum licitum sit, nec ne; obligatorium, nec ne; huius rei cognitio ad solum Iudicem Ecclesiasticum spectat, vt *in subsect. precedenti* dicebatur: at si iuramentum interponatur super contractu, vel alio negotio ad sæculare forum pertinente; tunc ex dictis ratione huius Iudex laicus etiam compellere potest subditos suos ad iuramenti obseruationem, si de obligatione constet; sicut & compellere eosdem ad eiusdem iuramenti relaxationem, vel simpliciter, vel saltem ad effectum agendi, quatenus id ad terminationem litis, & publicæ institiæ conseruationem, necessarium est; indirectè tamen modo quo *suprà* dicebatur: qua ratione testatur Andreas Gaill. *cit. obseruat.* 23. Cameræ Imperialis consuetudinem esse, vt ipsamet Camera relaxationem iuramenti faciat, præcisè ad effectum agendi contra recipientem iuramentum, actione iniuriarum, vel damni dati, &c.

2 Illud tamen fatendum est, quod non solùm Iudex laicus ad obseruationem Iuramenti super contractu, vel simili negotio interpositi laicos suos compellere potest, sed etiam possit Iudex Ecclesiasticus; sicut habetur expresè *in cap. vltimo de foro compet. in* 6. vbi Doctores adnotant, quod iuramentum non mutat

mutat forum; sed addit forum foro: & sensus est, si contractus, v.g. iuramento confirmatus est, potest quidem iurans ratione contractus politici coram sæculari Iudice conueniri, vt is totam litem definiat; sed potest etiam conueniri coram Iudice Ecclesiastico, ratione interpositi iuramenti, cuius obligatio per se ad forum Ecclesiasticum spectat: quate in tali casu materia iuramenti est mixti fori. Similiter etiamsi iuramentum propter turpitudinem laici recipientis, v.g vsurarij, ab eodem remittendum est, ad id etiam Ecclesiasticus Iudex compellere potest; sicuti constat *ex cap.*1. iuncta Gloss. *verb. iuramenta, de iureiur.* & docet *ibidem* Abbas *num.* 3 Couar. 1.*resol.cap.*4.*num.*5.§. *verum,* & Sanch. *lib.*1.*de matrim.disp.*32.*n.*18.

SECTIO XXVIII.

Proponitur tertia difficultas eiúsque solutio.

TErtiò obiicies: Rex hoc ipso, quòd exigit beneficium restitutionis in integrum, ex eo, quòd læsus est, tenetur restituere omnem pecuniam, quam accepit ab iis, qui cum ipso contraxerunt cum alagiis: ergo &c.


Respondetur, nego Antecedens: sed sufficit, quòd ad limites iustitiæ, (cùm sic non violetur æqualitas) contractum reducat, soluendo, verbi gratia, quot annis proportionatum, & iustum interesse, vel pro hoc iusto & proportionato interesse, assignando æquiualentia corpora, siue ex emptis, siue ex aliis, quæ rationabiliter voluerit Rex, præsertim si Rex hîc, & nunc non sit in posse, vt pecuniam illam restituat; vel si sit, est in necessitate, vt illam insumat ad subueniendum necessitatibus Regni, vt bellorum, &c. præsertim secundò, si qui contraxerunt cum Rege magnum lucrum fecerunt in damnum Regis, & Regni, & ex alio capite teneantur vassalli subuenire Regi, si Rex in necessitate est ad subueniendum bono communi; præsertim tertiò, si Rex, quod recuperat, in beneficium commune conuertit, & præterea per hoc euitat nouas impositiones, & gabellas, alioquin necessariò imponendas, cùm sic vrgeat Regni, nedum Regis necessitas.

SECTIO XXIX.

Proponitur quarta difficultas eiúsque solutio.

QVartò, obiicies: saltē Rex per hoc quod exigit beneficium restitutionis in integrũ, & non restituit pecuniam iis, qui cum ipso læso contraxerunt, rescindendo scilicet totaliter contractum cum illis, amittit fidem, ita vt cum ipso inposterum nemo contrahere velit; quod cedit in magnum præiudicium, etiam Regni: ergo &c.

Respondetur: nego Regem per hoc amittere fidem in contrahendo, vt patet in pupillis, Ecclesiis, locis piis, & aliis, quibus de iure conceditur beneficium restitutionis in integrum in casu, quòd læsionem magnam in contrahendo patiantur: & ratio à priori est, quia cum concessione beneficij restitutionis in integrum fauorabilium locorum, & personarum nunquam inuoluitur læsio, & aggrauatio alterius partis; sed semper ibi insistitur, vt seruetur æqualitas; etsi aliquando meritò in pœnam illa non seruatur.



DVBITATIO QVINTA.

An Rex, vt subueniat suæ, vel Regni necessitati, possit in bona conscientia reducere contractus ad limites iustitiæ, non solùm quos ipse cum Mercatoribus cõtraxit cum alagijs, & læsione magna ipsius, sed etiam quos similiter contraxerunt ipsius incerti, & ignoti Vassalli; & sic exigere à Mercatoribus non solùm id, in quo ipse læsus est ab illis, sed etiam id, in quo ipsius incerti, & ignoti Vassalli læsi sunt ab iisdem.

SECTIO I.

Proponitur Dubitationis resolutio.



1 VIDETVR dicendum quod non, quia id in quo læsi sunt vassalli, spectare videtur de iure ad ipsos vassallos, vtpotè ad partem læsam. Ergo, &c. Et confirmatur, quia multoties Regis ministri fuerunt causa talis damni vassallis, cogendo quodam modo illos per difficiles solutiones ad contrahendum sic cum mercatoribus, id est, cum alagiis, & damno notabili ipsorum.

Respondetur tamen affirmatiuè: si vassalli, qui læsi sunt, incerti sint, & ignoti. Ratio est clara: quia Rex, cùm sit supremus Princeps in temporalibus, eius proprium munus est, de temporalibus suorum subditorum disponere, prout expedit ad bonum commune, sicuti in Dubitatione præcedenti dicebatur: quod maximè locum habet, quando ipsi domini (cùm ignorentur) de illis disponere non possunt. itaque potest Rex in beneficium commune, tamquam in causam maximè piam, bona illa destinare.

Confirmatur: quia potest Rex determinare de thesauris, & aliis bonis domino carentibus. Ergo & de bonis, incertisque debitis: nam bona hæc incertorum dominorum, post diligentem inquisitionem censentur tamquam adespota, id est, quæ domino carent: cùm non magis illis prodesse possint, quàm si illorum non essent, & omnino domi- 2

no

no carerent: ergo si Rex de his disponat, nullam facit dominis iniuriam.

Hinc in quibusdam locis Fiscus Principis occupat bona eorum, qui intestati moriuntur, & nullum hæredem intra decimum gradum relinquunt. Et in Hispania animalia certorum dominorum oberrantia, si domini post diligentem inquisitionem inuenti non fuerint, applicantur quibusdam Magnatibus. Idem fit de cæteris inuentis in Gallia, teste Couarruuia *ad reg. peccatum, part.* 3. §. 1. *num.* 5. quæ omnia iniquissima essent, si de his disponere Rex non posset.

3 Dices: Sotus *lib.* 5. *de iustit. quæst.* 3. *art.* 3. *ad* 2. & Petrus Nauarra *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 75. qui pro se citat Ledesmam, Mercatum, & Barthol. Medinam, putant inuentorem, si post diligentem inquisitionem dominus inuentus non fuerit, posse inuenta (habentia scilicet dominum, sed incertum) sibi retinere, neque obstare vllum ius positiuum Ecclesiasticum, aut diuinum, quo hæc necessariò sint pauperibus eroganda; quia (vt inquiunt ipsi) talia bona, hoc ipso, quo per sedulam inquisitionem, tempúsque ad id sufficiens, dominus non potest deprehendi, censentur adespota, ac proinde iure naturæ fiunt occupantis, sicut thesauri, & alia quæ nullius sunt; & si tacita quædam obligatio illis annexa est, vt si dominus compareat, restituantur.

Respondetur, id esse verum, remota dispositione Principis; non autem si sit dispositio Principis in contrarium, vt est in casu nostro.

4 Adde, quod opposita sententia contra Sotum & Nauarram est ferè communis, & probabilior: nempe, quod talia bona pauperibus, vel aliis piis operibus, sint impendenda: eámque tenet S. Thomas 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 5. *ad* 3. & passim Theologi *in* 4. *distinct.* 15. Sylu. *verbo inuentum*, *num.* 2. vbi dicit, omnes Canonistas ita sentire. Nauarr. *cap.* 17. *num.* 170. Couarr. *ad regul. peccatum*, 3. *part.* §. 1. *num.* 1. *& seqq.* qui etiam non approbat *suprà* tactam consuetudinem illam applicandi hæc Magnatibus: & ratio huius sententiæ contra Sotum & Nauarram est, quia passim apud pios viros est consuetudo, vt piis operibus hæc impendantur; quę consuetudo videri potest habere vim legis: orta enim est ex praxi communis sententiæ, quæ vsque ad Sotum viguit; vnde magnum scrupulum plerique, si hæc sibi retinuerint, concipiunt: tum quia est magis consentanea iuri communi: nam *in authent. omnes peregrini*, *Cod. communia*, *de success. statuitur*. si peregrinus intestatus decesserit, ad hospitem nihil perueniet, sed bona ipsius per manus Episcopi loci, si fieri potest, hæredibus tradantur, vel in causas pias erogentur, &c. tum quia hæc videtur esse domini voluntas, vt sic ei res sua aliquo modo prosit; & quisque de rebus suis perditis ita fieri rationabiliter cupit.

Aduerte, quòd cùm domini adsunt, 5 qui sciri possint, non est tolerabilis consuetudo, quæ in quibusdam locis dicitur esse, vt scilicet bona naufragorum in littus eiecta, habeantur tanquam adespota, & occupentur à Gubernatore loci: nam præterquam quòd talis consuetudo est contra ius naturæ, vtpote alieni occupatio, & magna in miseros crudelitas; & etiam contra ius Cæsareum *auth. Nauigia, Cod de furtis*; quinimò si sint bona Christianorum, occupantes excommunicantur *in Bulla Cænæ*; & meritò, quia id est afflictionem addere afflictis, & maximo damno affectis modicum, quod benigna sors ad

ſolatium extremæ miſeriæ indulſerit, eripere, de quo vide Nauar. *cap.* 27. *num.* 60. *&* 118. & Couar. *ad reg. peccatum, part.* 3. §. 1. *num.* 5.

6 Secunda ratio reſponſionis affirmatiuæ noſtræ eſt, quia poteſt Princeps debitores talium bonorum, & illa retinentes, in pœnam iniuſtitiæ, vel etiam in fauorem pauperum, & multò magis in fauorem cauſæ communis, maximè piæ, reddere incapaces, ne poſſint illorum dominium acquirere, & retinere.

7 Tertia ratio eſt, quia talia bona ex tacita dominorum voluntate videntur in cauſas pias eroganda, vti *ſupra* dicebam; quare tertiò ſic arguo: bona incerta (id eſt habentia dominum ignotum) & incerta debita, ſiue ex contractu, ſiue ex delicto, reſtituenda ſunt in pauperes, vel in cauſas pias eroganda, ſi non iure naturali, ſaltem iure poſitiuo, vel conſuetudine, ſicuti teſtatur communis Doctorum ſententia apud Couar. *ad reg. peccatum, part.* 3. §. 1. *num.* 3. Ioann. Medin. *Cod. de reſtit. quæſt.* 3. *cauſ.* 10 & apud Nauar. *in ſumm. cap.* 17. *num.* 92. *&* 93 & quidem de incertis ex delicto probatur *ex cap. cùm tu, de vſuris*, vbi Alex. III. iubet, *vt ea, quæ vſuris iniquè acquiſita ſunt, ſi non ſuperſunt illi, quibus debentur, aut eorum hæredes, dentur pauperibus, & vſurarij, eorúmque hæredes Eccleſiaſticis pœnis ad hoc cogantur*; quod Doctores communiter extendunt ad incerta debita ex aliis delictis, vt ex furto, rapina, damno dato, & iniquis contractibus, &c. idque meritò, quia eadem, vel etiam maior eſt in his ratio, ne hominibus iniquis integrum ſit ex iniquitate, & iniuriis diteſcere, & de debitis ex contractu, v. g. ex depoſito, commodato, mutuo, venditione, &c. probatur, quia etſi de his non extet canon, tamen vbique eſt conſuetudo piorum, vt hæc in pias cauſas expendantur; quando dominus inueniri nequit, ad hoc vt animæ eius proſint; quæ conſuetudo videtur orta ex quadam conuenientia, quia debitor ex conuenientia tenetur hæc reſtituere eo modo, quo poteſt, nempe, vt vel ipſæ res, vel vtilitas ex illis ad dominum perueniat; quod fiet, ſi dentur pauperibus, vel in cauſas pias erogentur, ad ſalutem domini viui, vel mortui; quia ſicut (vti *ſupra* dicebam) hæc videtur eſſe rationabilis domini voluntas, vt ſic ei res ſua aliquo modo reſtituatur, & rationabiliter quiſque de rebus ſuis perditis, ita fieri cuperet: at nomine pauperum veniunt non ſolùm mendici, ſed etiam quibus neceſſaria ad decentem ſtatum deſunt: & etiam quæuis opera pia (vt ex communi docet Nauarra *cap.* 17. *num.* 93. ergo multo magis veniet Princeps in caſu noſtro, cùm in tali caſu non ſolùm neceſſaria ad decentem ſtatum, ſed etiam neceſſaria ad conſeruationem boni communis, Princeps non habeat: quare in dicto caſu abſque difficultate poterit Princeps diſponere de bonis incertis, & de incertis debitis, in beneficium commune, ſeu in cauſam piam communem, quæ eſt omnium cauſarum maximè pia.

Dices: Petrus Nauarra *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 47. & alij Doctores tenent, quòd bona incerta, & incerta debita non iure naturali, ſed iure poſitiuo ſint pauperibus, vel piis cauſis impendenda: ergo ceſſante lege poſitiua, vel conſuetudine vim legis habente, illa non neceſſariò ſunt in pauperes, vel in cauſas pias eroganda: atque adeò cùm ſolùm lex inueniatur de iis, quæ ex delicto debentur, vt de vſuris, ſequitur, quod quæ debentur ex contractu, poſſint tanquam adeſpota, poſt diligentem in- 8

quiſitionem

quiſitionem, ab inuentore retineri. Reſpondetur, tranſeat, quod hæc horum Doctorum ſententia ſit probabilis, præſertim cum non conſtet conſuetudinem eſſe in contrarium: at procedit illa, ſi non adſit diſpoſitio Principis in contrarium, de qua nunc ſermo eſt.

Adde, quod oppoſita ſententia, nempè quod bona incerta, & incerta debita (etiam ex contractu) ſint in pauperes, vel in cauſas pias eroganda, eſt fortaſſe probabilior, ſicut etiam communior, & magis pia ſententia; cum vbique vigere videatur conſuetudo piorum, vt hæc in pauperes, vel pias cauſas expendantur, quando Dominus inueniri non poteſt, orta ex conuenientia (vti *ſuprà* dicebam) vt omni meliori modo, quo poteſt, vel res ipſæ, vel vtilitas ex illis ad dominum perueniat; quod fiet, ſi dentur in pauperes, vel in cauſas pias ad ſalutem domini viui, vel mortui: ergò iure naturæ hæc in pauperes, vel in pias cauſas ſunt eroganda: vnde multò magis in hac ſecunda ſententia poterit Princeps de incertis bonis, incertíſque debitis diſponere in bonum commune, quæ eſt cauſa cauſarum omnium maximè pia.

Ad rationem dubitandi in principio poſitam reſpondebitur *infra* commodiùs *in dubitatione ſequenti*.

SECTIO II.

Proponitur Appendix ad dicta in ſectione præcedenti.

1 Vt autem ſciatur doctrina de obligatione reſtituendi bona incerta, incertáque debita, ſiue ex contractu, ſiue ex delicto, in caſu etiam, quod non adeſt diſpoſitio Principis, ſupponendum eſt, quod ſi is, qui hæc bona habet, verè pauper eſt, poterit ea, tanquam vnus è pauperibus, ſibi retinere; atque ita docet Scot. *diſtinct*. 15. *quæſt*. 3. Caietan. *quæſt*. 62. *articul*. 5. & alij: ratio eſt, quia non debet eſſe peioris conditionis, quàm alij pauperes; præſertim ſi non interceſſit ipſius culpa in re illa acquirenda, vel debito contrahendo, quod ſi culpa interceſſit, meretur quidem ea re priuari, tamen paupertas eſt ſufficiens ratio, cur poſſit ei per confeſſarium, vel etiam per propriam autoritatem applicari: non enim eſt neceſſe, vt detur pauperiori, vel ſanctiori (quamuis id expediat) ſed ſatis eſt, ſi detur pauperi nomine, ſeu titulo paupertatis. Vbi autem illi res hoc modo applicata fuerit, non tenetur poſteà ditior effectus aliis pauperibus reſtituere; quia ſibi cauſa paupertatis applicando, benè eam diſtribuit, iuxtà generalem intentionem eius, cuius eſt de bonorum incertorum diſtributione ſtatuere, Pontificis ſcilicet, & domini incerti:

Dices, quod ſi dominus poſteà comparuerit. Reſpondeo primò, ſi aliis pauperibus poſt debitam diligentiam diſtribuiſti, ad nihil amplius teneris; non enim teneris ratione rei, cum in tua poteſtate ampliùs non ſit, neque teneris ratione iniuſtæ acceptionis; quia etiamſi iniuſtè acceperis, tamen hæc culpa iam eſt abſterſa per reſtitutionem factam iis, & eo modo, quo potuit, & debuit in tali caſu fieri. 2

Secundò, ſi eam tibi, tamquam pauperi aſſignaſti, teneris reſtituere Domino cognito, modò adhuc extet in ſe, vel in pretio; ídque etiamſi ſine tua culpa 3

culpa eam habueris. Ratio, quia teneris ratione rei, dummodo non sis in tanta necessitate, vt propterea eam tibi possis retinere.

4 Tertiò, si ea nec in se, nec in pretio extet, ad nihilum teneris, præsertim si sine culpa eam acquisiueras, ratio, quia qui bona fide rem alienam consumpsit, non tenetur; nisi quatenus ex illa factus est ditior.

5 Quartò, si per culpam rem acquisiueras, adhuc probabilius est te non teneri domino comparente, si post debitam inquisitionem animo restituendi factam, tibi tamquam pauperi applicasti, eámque consumpsisti, ita vt, nec in se, nec in pretio apud te extet. Ratio, quia nec ratione rei acceptæ teneris (vt quæ nec in se, neque in pretio extat) nec ratione iniustæ acceptionis; quia culpa absterſa est per voluntatem restituendi, & diligentiam præstitam, vt domino restitueres, & per restitutionem, quam tibi, tamquam pauperi, fecisti.

SECTIO III.

Proponuntur circa dicta in Appendice præcedenti Aduertenda quædam.

1 ADuerte primò, quosdam Doctores sentire, rem semel debito modo pauperi applicatam (etiamsi tibi ipsi applicueris) non debere domino posteà comparenti restitui, etiamsi in sua specie extet; atque ita insinuat Nauarra *lib. 4. capit. 2. numer. 57.* & docet apertè Henriquez *de indulgentiis, capit. 34. num. 8.*

Primò, qua dum applicata est pauperi, censetur in vtilitatem domini restituta, & Dominus tenetur talem restitutionem ratam habere.

Secundò quia per hanc applicationem transfertur dominium, ergo, &c.

Sed hæ rationes non conuincunt: facilè enim ad illas Respondetur.


Ad primam, quod non tenetur Dominus habere ratum, nisi donec rem suam inueniat; quia cum hac tacita conditione debet fieri applicatio, videlicet, vt si dominus postea compareat, ei restituatur.

Ad secundam, negatur transferri dominium, ni posta possideatur tempore ad vsucapionem, vel præscriptionem necessario, vt rectè docent Couar. & alij Doctores, iura enim alium modum transferendi dominium non tradunt; quod si tamen in aliqua Prouincia esset constitutio ordinans, & sic dominium transferatur, non esset constitutio illa damnanda: quia dispositio talium bonorum subest authoritati Principum, nisi quatenus Pontifex eam sibi reseruauerit,

Aduerte secundò, quod dixi in Appendice; *si is, qui hæc bona habet, verè est pauper.* quia si solum est pauper pro loco, vel tempore, tenebitur postea iuxta communem sententiam veris pauperibus restituere: nam ex ordinatione Ecclesiæ, & consuetudine piorum virorum veris pauperibus incerta bona sunt distribuenda. Porrò pro loco pauper est qui alibi bona habet; pro tempore autem, qui nouit artem, vel industriam, qua facilè sibi necessaria ad statum comparare potest, vel aliunde ea proximè expectat. 2

Aduerte tertiò, expedire, vt quis in hac distributione) præsertim quando sibi rem alienam reseruat) vtatur consilio Episcopi, vel Parochi, vel prudentis Confessarij 3

Confessarij, quia facilè amor proprius in hoc negotio decipere potest, absolutè tamen id non est necessarium: nam sufficit, vt prudenter fiat. Vide Sylu. ver. Restitutio 8. quaest. 5. Medinam quaest. 3 causa 10. & Nauar. cap. 17. num. 92. qui notat, in quatuor casibus Episcopû posse se interponere in tali euentu.



DVBITATIO SEXTA.

An si Vassalli laesi à mercatoribus, sint noti, & certi, possit Rex in bona conscientia ad finem, vt subueniat suae, vel Regni necessitati, facere idem, quod suprà dicebam in dubitatione praecedenti.

SECTIO I.

Proponitur Dubitationis resolutio.

1 RESPONDETVR etiam affirmatiuè. Ratio est, quia licèt non possit quis à deceptore, vel vsurario, vel fure accipere vllo titulo res alienas, quae in specie extant, vt iura, actiones, vestes, catenas, lectos, &c. etiamsi tales homines eas alienando, non fierent impotentiores ad soluendum; quia cum ipsi talium rerum dominium non habeant, non possunt illud in alium transferre; id tamen intelligitur, quando inuito domino dono acciperentur, vel emerentur, secus verò, si id fieret ex consensu domini, saltem tacito, & praesumpto, quia ex communi excusantur propterea, qui dono accipiunt, vel emunt pignora, & alia, quae vsurarij passim in oppidis publicè vendunt, ex eo, quia mutuatarij, postquam ea reliquerunt pro vsuris, habent pro derelicto, & non solent curare, ad quos perueniant, etsi rogarentur, libenter facerent potestatem dono illa accipiendi, vel emendi, &c. ergò multò magis id dicendum est in casu nostro, cum Princeps, quod recuperat à mercatoribus, conuertat in beneficium commune Regni, & sic in beneficium etiam ipsorum laesorum; & praeterea per id euitet nouum grauamen, nouamque gabellam communitati, atque adeo, & ipsis laesis, alioquin necessariò imponendam.

Confirmatur, quia multi Doctores, vt 2
Petrus Nauarra lib. 4. cap. 1. num. 58. & alij

& alij probabiliter docent, rem haberi etiam pro derelicto, quando dominus ita eam proiicit, vel relinquit, vt nulla ei (sicut est in casu nostro) spes supersit, industriâ, vel aliquo casu, eam recuperandi, itaque tunc, si quis illam aliquo modo eripiat, vel saluet, efficit suam: contrarium tenent alij, vt Less. *de iust. & iur. lib. 2. cap. 5. dub. vlt. in fine*, qui non existimant id esse verum, nisi dominus aliquo modo, saltem implicito, significauerit se eam occupanti concedere, vel si æstimatio industriæ sit ferè par illi rei: at opinio prior est etiam probabilis, ergo, &c.

3 Confirmatur secundò, quia multi alij Doctores docent, pro derelicto etiam haberi rem illam, quæ, v.g. fluctibus procul est abrepta, vel alio modo (vt est in casu nostro) amissa, & dominus sciens, vbi sit quærenda, non curat eam recuperare, ex eo, quia eam parui facit, vel quia essent magnæ expensæ faciendæ, vel subeundum magnum incommodum, vel experienda magna difficultas, ne dum moralis impossibilitas, vt est in casu nostro: & ratio horum omnium est, quia dominus in tali casu rem talem non videtur velle habere in bonis suis, ob incommodum tale coniunctum: ergo &c.

4 Confirmatur tertiò, quia nonnulli alij Doctores, vt Nauar. *in summ. cap. 17. num. 99.* & alij probabiliter docent, quòd possis tibi retinere rem alterius, si ea certò fuerit domino peritura, nisi tu illam eripuisses, vt saccharum, frumentum, farina, papyrus, & similia: ergo multò magis poteris tibi illam retinere, si ea iam moraliter suo domino periit, vt est in casu nostro. Contrarium docent alij, ex eo, quia, vt habetur *in l. Pomponius, ff. de acquirendo dominio*, quælibet res nostra, quantumcunque periclitetur, manet semper nostra, quamdiu non est consumpta, si scilicet cupimus eam nostram manere: vt si, v. g. ouis nostra ex faucibus lupi eripiatur, aut domus ab incendio liberetur, nostra manet semper, dum extat: vnde quod docet Nauarra loco *suprà* citato posse te retinere rem alterius, si cum aliquo vitæ periculo eam ex vndis eripuisti, non est, inquiunt ipsi, absolutè verum, nisi quando rationabiliter credi potest dominum res huiusmodi, siue eiectas, siue ex naufragio periclitantes, permittere ei, qui se periculo voluerit exponere; vt si, v.g. res illæ statim essent perituræ, & non sine discrimine vitæ possent recuperari, ita vt periculum ferè tanti æstimetur, quanti res ipsæ: tunc enim etsi domninus ius habet rem vindicandi; tamen recuperator potest exigere æstimationem sui laboris, & periculi: vnde si dominus, inquiunt ipsi, nihil dicat, poterit retinere rem tanquam ratione periculi recuperatori concessam; secus autem si res aliter se habet, vt in casu nostro: at opinio prior est etiam probabilis: ergo &c.

Ad rationem dubitandi in principio Dubitationis præcedentis positam respondeo, & quidem si Vasalli læsi notabiliter à mercatoribus sint incerti, & ignoti, patet ex dictis *in dubitatione præcedenti.* Porrò si Rex culpa sua fuit causa, vt vassalli, qui notabiliter læsi sunt à Mercatoribus, contraherent cum tanto damno, & læsione, non nego, quod tenetur is, ratione iniustæ actionis, compensare illis damnum, saltem cùm ad meliorem fortunam perueniret: quippe quod propria culpa subditis suis intulit tale damnum: atque ita docet Molina *tract. 2. tom. 3. disp. 667.* & videri potest S. Anton. *part. 2. tit. 1. cap. 13. §. 2.* & Layman *lib. 3. tract. 3. part. 1. c. 3.* 5

SEC

SECTIO II.

Proponitur Appendix ad dicta in sectione praecedenti.

DIxi autem *suprà*, non posse quempiam à deceptore, vel vsurario, vel fure, &c. accipere vllo titulo res alienas, quæ in specie extant, vt iura, actiones, vestes, catenas, lectos, & similia, etiamsi homines non fierent impotentiores ad soluendum, nisi id fiat consensu domini illarum rerum, saltem tacito, & præsumpto: at non nego propterea quod non possit è contra quilibet ab huiusmodi hominibus quolibet titulo, etiam gratuito, accipere res illas, quarum ipsi dominium habent. Ratio est, quia hæ res non sunt alienæ; sed ipsius deceptoris, vsurarij, vel furis, &c. neque aliis sunt illæ vlla reali obligatione obnoxiæ (non enim res deceptoris, vsurarij, vel furis, &c. sunt tacitè hypothecatæ pro deceptione, vsuris, vel furtis, &c. vt quidam olim putarunt: nusquam enim in iure positiuo talis hypotheca constituta reperitur: neque de iure naturali adest in illis vlla tacita hypotheca, quapropter quod furis bona pro furtis hypothecata non sint, docent communiter Doctores apud Nauar. *in summa, cap.* 17. *num.* 265. Syluestrum *verb. vsura* 6. *num.* 5. Couar. *leg.* 3. *variar. cap.* 3. *num.* 6. & alios) ergo potest fur earum dominium validè in alios transferre. Consequentia probatur, quia dominus rei alteri non obligatæ, habens illius liberam administrationem, potest eius dominium in alium transferre, vt omnes nemine discrepante, Doctores docent: ergo &c.

SECTIO III.

Proponitur difficultas circa dicta in Appendice praecedenti.

PEtes; quid si per eam donationem, vel alienationem deceptor, vsurarius, vel fur, &c. fiat impotens ad soluendum?

Respondent multi Doctores in tali casu eum, qui aliquid accepit, teneri ad restitutionem. Ratio, quia accepit in fraudem creditorum, ac proinde iniustè: sed vtendum est distinctione, quare sit.

SECTIO IV.

Proponitur primum dictum pro difficultatis solutione.

DIco primò, si non inducis deceptorem, vsurarium, vel furem, &c. ad donandum, vel alienandum, sed ipse sponte tibi donat, vel vendit, non teneris ad restitutionem in foro conscientiæ, etiamsi scias ipsum per hoc fieri impotentem ad soluendum: ita Petrus Nauarr. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 218 & Molina *disp.* 327. colligitur apertè *ex l. vlt.* §. 4. *ff. quæ in fraudem credit.* & patet ex ratione *suprà* allata; quia illæ res, vt *suprà* dicebam, nemini sunt obstrictæ, ac ipse est earum dominus; & ex alio capite nulla lege est inhabilis ad transferendum earum dominium: ergo si vendit, vel donat, transfert re ipsa dominium: nec obstat, quòd ille peccet donando, quatenus hoc reddit se impo- 1

 tentem

tentem ad soluendum creditoribus; quia tu non es causa, cur velit donare; sed supposito, quod ipse sponte velit donare, tu acceptas, vtens iure tuo: non enim iustitia, vel charitas postulat, vt negligas tuum commodum, etiamsi inde per accidens alteri tantundem damni sequatur.

2 Hinc beneficiarius, quia est dominus omnium beneficij fructuum (etsi cum onere, & obligatione, vt superflua in pios vsus expendat) validè, etiam superfluorum beneficij fructuum, dominium in alium transfert, siue per donationem inter viuos, siue etiam per vltimam voluntatem, vbi viget consuetudo beneficiarios esse habiles ad testandum: quam consuetudinem in multis locis vigere, dicet Couarruuias *in cap. cùm in officiis 7. de testamentis*, peccat tamen mortiferè beneficiarius, sic disponendo de superfluis, de iis enim quæ ex prouentibus beneficiorum congruenti sustentationi subtraxit, licitè, nedum validè, potest testari, etiam ad causas profanas: sicut & de patrimonio, & de aliis, quæ suo labore & industria congregauit, vt ex communi docent Nauarr. *tractat. de redditib. Ecclesiast. quæst.* 3. Lessius *de iust. & iur. cap.* 4. *dub* 6. & alij: ratio, quia licèt sit dominus omnium beneficij fructuum, est tamen eorum dominus cum onere & obligatione, vt superflua in pios vsus expendat, vt *suprà* dicebam: At quia tamen, nonobstante tali onere, dominus est validè, etsi illicitè, non obstante tali onere, de iis disponit: nam aliud est dispositionem esse illicitam, aliud esse irritam: etsi enim ex præcepto Ecclesiæ, & fundatorum intentione, teneatur expendere superflua in pios vsus, non tamen decernitur irritum si contrarium fecerit: sicut cùm quis de superfluis suis disponit in vsus prophanos, cum ea in eleemosynam, vrgente graui necessitate proximorum, conferre tenetur, dispositio valet, etiamsi ipse mortiferè peccet; & hinc fit, quod hæredes validè beneficiario succedant: accipiunt enim ab illo, qui validè poterat disponere, neque beneficiarij fructus, quamuis superflui, per se sunt obligati piis vsibus, sed omnis obligatio erat personalis, ad solum beneficiarium donantem vel testantem pertinens; quæ propterea non transit ad donatarios, nec hæredes: vnde fit, vt donatarij, & hæredes non peccent, ea accipiendo à beneficiario, titulo donationis, vel hæreditatis, sed solus ipse beneficiarius donans, vel testans, ita expresse vel tacitè disponendo de superfluis beneficij.

An autem peccent donatarij, & hæredes beneficiarij, si ipsum beneficiarium ad donandum, vel testandum de superfluis induxerint, dicam mox *sect. 6. & 7. sequenti.*

Vbi aduerte, quod cùm dixi in aliquibus locis vigere consuetudinem, beneficiarios testari posse de fructibus beneficij, intelligitur de beneficiariis non religiosis: beneficiarij enim Religiosi testari non possunt, nisi ex concessione Summi Pontificis; qui sicuti potest facere potestatem donandi inter viuos ad pias causas, ita etiam potest facere potestatem condendi testamentum ad causas pias: vide Couarr. *de testament. cap. 2. num. 17. & 18.* hæc autem facultas concedi non solet nisi Religiosis habentibus beneficium aliquod regulare, vel sæculare; vel Religiosis degentibus extra Monasterium, & sua industria victum quærentibus, vel quibus aliquid certi quotannis à Monasterio assignatur, vt se indè sustentent, sicuti docet Nauarr. *comment. 2. de Regular. num.* 58. vide Lessium *de instit. & iur. lib. 2. cap.* 3

cap. 41. *dub.* 8. *num.* 71.

4 Hinc ſecundò, quia maritus (quamuis donatio inter coniuges decernatur iure nulla, ſicuti docet communis ſententia Doctorum, *ex l. cùm hic ſtatus, ff. de donat. inter virum & vxorem*, & *cap. fin. eodem tit.* idque ne coniuges mutuo amore bonis ſe ſpolient) hæreditatem, legatum, vel fideicommiſſum ſibi delatum, & nondum acceptatum, validè repudiat, vt perueniat ad vxorem: vt habetur *in l. ſponſus*, §. *ſi maritus, ff. de donat. inter virum & vxorem.* & docet Gomez. *tom.* 2. *cap.* 4. *numer.* 23. & 24. & ratio eſt, quia in tali caſu maritus nihil donat, ſeu nihil ipſi detrahitur ex bonis, vel iuribus iam quæſitis: ſequitur quod vxor validè acceptat, idque propter eamdem rationem *ſuprà* dictam.

5 Hoc tamen quod modò dixi, intellige, ſi vxor aliàs erat ſucceſſura, vt quia marito erat ſubſtituta, vel quia ab inteſtato debebat ſuccedere, vt rectè notat Gomez. *ſuprà*: tunc enim non accipit vxor immediatè à marito, ſed iure proprio: quod habebat, marito non acceptante: alioquin ſi ipſa nullum ius habebat, & maritus repudiet in fauorem vxoris, erit potius ceſſio quàm repudiatio: nam ipſa ius immediatè accipiet à marito; & ſic ceſſio talis in fauorem vxoris non valet, quia eſt donatio formaliter; nam continet tacitam acceptationem natura priorem: hoc ipſo enim quo maritus cedit, cenſetur tacitè, & natura priùs acceptaſſe, vti colligitur *ex l. ſi auia, Cod. de iure deliberandi.*

6 Sic etiam non valet, ſi mihi donatum iubeam dari vxori: quia hoc ipſo, quod id mando, ſupponitur tacitè me acceptaſſe: idem enim operatur tacitum, ac expreſſum, vt colligitur *ex l.* 1. *ff. de rebus eorum, qui ſub tut.* vbi dicitur, ſi minor emat prædium obligans illud pignori, donec ſoluat integrè pretium obligationem non valere, quia hoc ipſo quo dominium quæſitum eſt minori, incipit non poſſe obligari: cenſetur enim quæſitum tacitè, & priùs natura, quàm poſſit oppignerari.

Dices: legatarius rei certæ ſtatim per mortem legantis acquirit dominium legati: nam vt habetur in *l. à Titio, ff. de furtis*, ea quæ legantur rectâ viâ ab eo, qui legauit ad eum cui legata ſunt, trāſeunt: vbi Bartolus dicit hoc dominium tranſire fictè à die mortis, verè autem à die hæreditatis aditæ; ergo repudiatio talis legati eſt alienatio, & donatio, ac proinde non valet. 7

Reſpondetur: nego conſequentiam: quia hoc dominium non eſt omnino perfectum, & abſolutum antè acceptationem, ſed habet hanc imperfectionem, quod ſit repudiabile, adeò vt ſi repudietur, retrotrahatur repudiatio, & fingatur nunquam acquiſitum, vt expreſsè habetur *in l.* 1. *ff. ſi quid in fraudem patroni*, vbi dicitur: *quamuis legatum retrò noſtrum ſit, niſi repudietur; attamen cùm repudiatur retrò noſtrum non fuiſſe, palàm eſt.* Idem cernitur in hæreditate reſpectu hæredis ſui: hic enim ſtatim accipit dominium hæreditatis abſque aditione, (vnde & ad ſuos hæredes tranſmittit) ſed reuocabiliter, ita vt poſſit repudiare, vt conſtat *ex l. apud hoſtes, Cod. de ſuis, & legitim. hæredibus*, & *ex l. ſi fratres, Cod. de iure deliberandi.* Vide Gomezium *tom.* 1. *cap.* 9. *num.* 17. & 20. Valet igitur in ſupradictis caſibus repudiatio, etiamſi bona omnia repudiantis ſint creditoribus hypothecata, aut fiſco iure addicta ob crimen; aut quamuis fiat in fraudem creditorum, quibus potuiſſet repudians ſoluere, ſi non repudiaſſet: quinimò in 8

hoc postremo casu Gomezius *tom. 2. cap. 4. num. 22* putat, repudiantem etiam licitè, nedum validè, repudiare (& sic licitè, ne dum validè acceptare acceptantem) forsan quia creditoribus sunt obligata tantùm bona, non autem persona debitoris, quæ, vt docet S. Thomas 2.2. *quæst. vlt. art. 6.* libera est pro ære soluendo: vnde idem S. Thom. & Caiet. *ibidem.* Sylu. *verbo Religio*, 2. *quæst.* 4. Paludan. *in* 4. *distinct.* 38. *quæst.* 4. *art.* 3. *conclus.* 3. Angel. *verbo Religiosus*, §. 6. S. Antonin. *part.* 2. *tit.* 11. *cap.* 2. §. 1. & alij contra Medinam *Cod. de restitut. quæst.* 3. *causa* 8. Nauar. *comment.* 1. *de regular. num.* 8. Valentiam *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 6. *part.* 7. Petrus Nauarr. *lib.* 4. *cap.* 4. Mol. *tom.* 3. *poster. disput.* 757. & Layman *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 12. docent, quod non teneatur debitor manere in sæculo, vt soluat cui debet, sed sufficit si bonis cedat creditoribus. Item, quod debitor, si professionem fecerit, non teneatur artem exercere, nec etiam honesto consueto labore laborare, vt soluat creditoribus, quia in professione cessit bonis suis, quæ solum obligata erant creditoribus pro ære soluendo: atque ita præter Doctores *suprà* citatos, docet etiam Sanchez *lib* 4. *moralium*, *cap.* 19. *num.* 14. contra Innocent. *rubric. de obligatis ad ratiocinia*, Abb. *cap. cum* 1. & *A. num.* 27. *de sentent. & re iudic.* Medinam, Nauarr. *in locis suprà cit.* Molinam *conclus.* 2. Azorium *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 1. *quæst.* 5. & Layman *in loco suprà citato.*

9 Opinio hæc Gomezij non est improbabilis; ac probabilior est opinio contraria, nempè, quod repudians (sicut & consulens, nisi ignorantia excuset, vt docet Sanchez *de matrim. lib.* 6. *disput.* 4.) in vltimo casu posito peccet mortaliter contra iustitiam. Ratio, quia eadem virtute obligantur ad finem, & ad media fini necessaria, sed debitor obligatur ad finem, nimirum ad solutionem creditoribus; ergò ad acceptationem hæreditatis, quæ hîc, & nunc est medium ad solutionem omnimodè necessarium: in vtraque tamen sententia repudiatio est valida; & sic qui acceptat, acceptat validè; quinimò & licitè, si non induxit ad repudiandum, vt *supra* dicebam. An acceptet licitè, etiamsi induxit ad repudiandum, dicam mox *infra in dicto* 2. & 3. *sequenti.*

SECTIO V.

Proponuntur circa dictum positum Aduertenda quædam.

Aduerte primò, si titulo gratuito accepisti à deceptore, vsurario, vel fure, &c. Iure ciuili concedi creditoribus actionem, qua possint illud à te repetere: & quidem si sciuisti illum ea donatione fieri impotentem, cogeris restituere, etiamsi neque res extet, neque ex ea factus sis ditior, vt patet *ex leg. quod autem, ff. quæ in fraudem credit.* quod si titulo onoroso accepisti, si quidem sciuisti illum sic reddi impotentem (si venderet domum, vel agrum vt insumat in conuiuia, in ludum, &c.) cogeris reddere, non restituto pretio, nisi quatenus indè aliquid extat in bonis debitoris, vt patet *ex leg.* 78. & *vltima, ff. quæ in fraudem credit.* si verò nesciuisti, non datur actio creditoribus ad rescindendum, vt expressè habetur *in distinct. leg. quod autem, eod. tit.* vbi dicitur: *si quid in fraudem creditorum factum sit, si tamen is, qui cepit, ignorauit* 1

ranit, cessare videntur verba edicti.

Aduerte secundò, hanc actionem concedi creditoribus, solùm per vnum annum, qui computandus est ab illo die, quo primum sciuerunt alienationem esse factam, vt patet *ex legibus suprà citatis.*

SECTIO VI.

Proponitur secundum dictum.

DIco secundo, si vi, aut fraude induxisti deceptorem, vsurarium, furem, vel debitorem, &c. ad donandum, vel alienandum, vel repudiandum, &c. peccasti, & teneris ad restitutionem: est communis opinio Doctorum, & probatur, quia fraus, vis &c. vel exercetur circa creditorem (vt si quis, v. g. illum vi detineat, vel minetur, ne petat, vel ne sollicitet; aut si quis, v. g. literas intercipiat, vel fraude eum auertat à re prosequenda) & sic manifestè fit illi iniuria, ex qua sequitur damnum: nam contra voluntatem suam modo iniusto impeditur à prosecutione, ad quam ius habet; & sic damnum, quod inde sequitur, censetur meritò per iniuriam illi illatum; vel exercetur circa ipsum debitorem (vt minando, verbi gratia, vel fraude persuadendo ei, ne soluat, vel restituat creditoribus (& sic etiam fit iniuria creditori. Ratio; quia violatur ius ipsius, quod habet ad illud bonum Adde, quod si quis voluntatem alicuius, qui proposuit, vel deliberat tibi dare aliquid (etiam si debitor tuus non sit) per vim, aut fraudem directè impediat aliòue inflectat, veram tibi iniuriam facit: nam ius tuum in libertate collatoris constitutum, violat, ergò, &c.

SECTIO VII.

Proponitur tertium dictum.

DIco tertiò, si sine vi, aut fraude, 1 sed suasionibus, precibus, blanditijs, muneribus, &c. deceptorem, vsurarium, furem, vel debitorem, &c. induxisti ad donandum, alienandum, vel repudiandum, &c. putans eum per hoc fore impotentem, teneris ad restitutionem, si hæc impotentia sit causa non soluendi. Ratio est, quia per omnes Doctores, qui causam damni dat ei, qui habet ius in re, vel ei, qui habet ius ad rem, damnum ei dedisse videtur: ergò &c. quòd si ista impotentia non sit causa, cur non soluatur, non teneris; vt si ipse ea esset industria, vt facilè possit tantumdem lucrifacere: tunc enim non impotentia, sed negligentia esset causa non soluendi: quo euentu potes licitè petere ab illo donationem, vel condonationem, &c. Pari modo si iam ante statuerat non soluere (vt fit in multis vsurariis furibus, &c.) tunc enim, & si tua inductione fiat impotens, tamen non teneris ad restitutionem: quia hæc inopia non est causa non soluendi, sed propositum illud firmum prauum non restituendi.

Confirmatur, quia creditores nihil à talibus expectant, vnde non censent tibi fieri iniuriam, si quis à talibus aliquid sibi donari, vel condonari petat.

Aduerte tamen illum, qui induxit 2 alium ad donandum &c. videns eum sic reddi impotentem ad soluendum, ita, vt industria non possit supplere, debere esse paratum ad restituendum, quando

quandocumque viderit illum velle soluere suis creditoribus, & per impotentiam (cuius ipse sua inductione est causa) impediri à prosecutione talis effectus. Ratio est, quia in eo casu ipse est causa non soluendi: cùm sit causa impotentiæ, propter quam debitor non soluit suis creditoribus, qui etsi non habent ius in re, habent tamen ius ad rem, vti *suprà* dicebam: idem dicendum, si creditores bona illius sint publica authoritate occupaturi; quia tunc esset causa, cur creditores minus in bonis eius inuenirent. Idémque dicendum, si possent agere contra debitorem in iudicio, & non agerent, quia debitor factus est impotens: nam tunc ipse similiter esset causa, cur creditores contra debitorem non agerent, & ius suum non prosequerentur in iudicio.

SECTIO VIII.

Proponitur quartum Dictum.

Dico quartò si vsurarius, fur, vel alius similis debitor, &c. non est soluendo, nihil potest ab eo accipi per vltimam voluntatem, vt per Testamentum, Codicillum, fideicommissum, vel donationem causa mortis; sed totum in foro conscientiæ restituendum est creditoribus. Colligitur ex *dict. leg. quod autem, §. 9. ff. quæ in fraudem credit. & l. vltim. §. etsi Cod. de iure deliberandi*, & probatur, quia nemo post mortem suam habet potestatem lucrandi, & compensandi creditoribus, si quid ex bonis ipsius, quod creditoribus dandum erat, in alios collatum fuerit: ergò par non est, vt de rebus suis possit pro eo tempore cum damno creditorum disponere.

Confirmatur, quia ideò potest res suas alienare, dum viuit, quia quamdiu viuit, manet ipsius persona obligata, quæ adhuc lucrari potest: ergò cùm post mortem non possit ipsius persona manere obligata, aut aliquid lucrari, vndè soluatur creditoribus, non potest etiam in illud tempus aliquid in fraudem creditorum alienare.

DVBITATIO



DVBITATIO SEPTIMA.

An, si Rex aliunde potest sua, & Regni necessitati subuenire, gratias, & pensiones, etiam ex causa remunerationis, aliquibus assignatas, diminuendo, vel etiam suspendendo, donatiuum, seu tributum à Vassallis petere possit, in casu quod Vassalli, & Vniuersitates sunt multum grauata.

SECTIO I.

Proponitur Dubitationis Resolutio.

1 RESPONDEO negatiuè; & ratio est, quia publica vtilitas præfertur priuatæ, præsertim cum in publica includatur priuata, vt *alibi* dicebatur.

2 Secundò, quia gratiæ, & pensiones, etiam ex causa remunerationis concessæ, intelliguntur concessæ cum conditione, quod soluantur, si Regni necessitas aliter non requirat: & ratio est, quia Princeps pro seruanda iustitia, & pro seruando Regno, habet dohanas, gabellas, & alios Regni redditus, vt ex communi docet Iser. *in cap. 1. in verb. vectigalia ante num. 15. quæ sint regal. & in tit. de stat. & consuet. in verb. Prouincia, num. 39.* ad hunc enim finem omnes redditus Regni instituti sunt, vt ex iis iustitia administretur, & Regnum defendatur, vt ex communi docet etiam Andr. *in constit. Reg super incisionibus*, Afflict. *in constit. Reg. Magistri Camerarij, & in cap. 1. §. illicitas de pac. iur. fir. & in rubr. &* & *in cap. 1. de pac. ten.* post Luc. de Pen. *in l. neminem, Cod. de suscept. & arc. in l. annonam, Cod. de mil. ann. erog.*

Hinc officialibus administrandam iustitiam deputatis Rex tenetur de redditibus Regni soluere salarium, vt dixit Iser. communiter receptus *in constit. Regni cum circa iustitia.*

Item hinc Rex est debitor iustitiæ, vt dixit ex communi idem Iser. *in cap. quoniam inter diuina col. pen. de proh. feud. alien.* debétque custodire, & protegere Regnum, vt ex communi etiam docet idem Andr. *in tit. de stat. & consuet. in verb. ipso iure, num. 6.* 3

Item hinc etiam iustificantur Regni impositiones; quia cum hoc onere, & conditione in principio iis populi con-

sentierunt, & ad earum solutionem se obligarunt.

4 Quare cùm Rex redditus Regni, quos habet, submissos habeat huic oneri, & conditioni; sequitur, quòd cum de illis disponit, & illos in alium finem transfert, dispositio, & traditio Regis, nihil aliud de iis transferat in eum, qui accepit, quam quod est apud Regem concedentem: atque ita habetur *in l. traditio, ff. de acquirend. rerum domin. & concordat. reg. text. in leg. nemo plus iuris, de reg. iur.*

Confirmatur, quia alioquin totum cederet in præiudicium; & iniuriam subditorum, quod velle Rex nullo modo præsumitur, vt rectè Andr. *in cap. 1. num. 5. de vassall decrep. etat.*

5 Confirmatur secundò, quia dum disponitur de re aliqua, transit illa cum sua causa, vt habetur *in l. si conuenerit, la secunda, §. si fundus, ff. de pignor. act.* quapropter cùm alienatur, transit cum pignore, si pignori erat submissa, vti habetur *in leg. bouem, §. pignori, ff. de adil. adict.* quam legem allegat ad propositum Bart. *in leg. vbi autem, §. sed & ff. de indict. adiect.* Imò, vt docet Bart. *ibi*, & ego *suprà* dicebam, causa necessariæ sustentationis semper intelligitur insita in origine institutionis Impositionum; quæ causa necessariæ sustentationis, & origo principaliter semper attendi debet, vt habetur *in leg. 1. §. quod si nemo, ff. quod cuiusque vniuers. nom.* & ratio est, quia prædicta causa præcedit, & est anterior cæteris omnibus dispositionibus: quin imò has omnes resoluit, vt docet Bart. *in loco suprà cit.* igitur pensiones, etiam remuneratoriæ, non intelliguntur alio modo concessæ, quàm sunt apud concedentem: atque ita habet text. *in cap. 1. §. profecto, de leg.* Corrad *vbi* Doctores: vnde si Rex reuera aliud ius non habet, quàm dispositionem eius, quod remanet, deducto eo, quod publicæ vtilitati deseruit pro Regni conseruatione, id tantum intelligitur concessisse, & non quod est in publicas necessitates destinatum: atque ita habetur *in leg. qui tabernas, ff. de contrah. empt. in leg. vxor patrui, Cod. de legat.* & tradit Afflict. *in decis. 334.* & alij Doctores.

SECTIO II.

Proponitur tertia, & quarta ratio.

TErtiò probatur, quia Rex in pensionibus concedendis, etiam ex causa remunerationis, intentionem (vti dicebatur) habere censetur, vt illæ soluantur solùm si Regni necessitas aliter non requirat: ergo &c. Antecedens vlteriùs probatur: quia si Rex de hac re, dum illas concedebat, interrogatus fuisset, sic vtique respondisset: vnde habetur hoc pro expresso, sicuti dicitur *in leg. tale pactum, §. fin. de pactis.* quia impliciti, & expressi eadem est virtus: *vbi* gloss. & Doctores extendunt dispositionem illius legis ad concessiones, & priuilegia, quæ Rex concedit, vt latiùs *ibi* tradit Ias. *num. 16.* non enim credendum est, quod (si Regi fuisset dictum, an vellet, quod pensiones, quas concedit, præferantur prouisionibus faciendis pro armatione, & sustentatione Triremium, pro munitione Castrorum, pro stipendiis militum, & similibus, in defensionem Regni, & in rectam gubernationẽ populorũ) respondisset velle omnia hæc in collapsũ ire; sed potiùs velle in tali casu nihil cõcedere; quia in tali casu nihil cõcedere poterat, nec debebat. 1

Confir

Confirmatur, quia alioquin seruitia Regi præstita (ob quæ pensiones conceduntur) non fuissent ad conseruationem Regni, sed potiùs ad destructionem illius: ergo dicendum est, quòd pensiones intelligi debent concessæ sub onere, & conditione, vt soluantur solùm, si Regni necessitas aliter non requirat.

2 Quartò probatur, quia qui donat, in tantùm tenetur ad id, quod donat, in quantùm potest moraliter, id est, in quantum potest honestè, & commodè, ita vt iuxta qualitatem suæ personæ non egeat, sicuti habetur *in leg. in condemnatione, vbi* gloss. & Doctores *de re iudic.* ergo &c. & licèt in patre, patrono, & similibus hæc regula intelligatur, non deducto ære alieno, tamen in donante intelligitur, quod teneatur, in quantum potest commodè in eo, quod remanet ære alieno deducto, sicuti habetur *leg. sunt qui, cum leg. seq. & l. inter eos, §. his quoque, ff. de re iudic. & in leg. qui id, ff. de donat.*

3 Quin imò in tali casu, qui donat, ita tenetur, inquantum potest commodè, deducto ære alieno, ne egeat, iuxta qualitatem suæ personæ, vt non inspiciatur tempus concessionis, vel obligationis (cum hoc beneficium à lege concedatur miserationis causa ex inopia inopinata, & ex aliis accidentibus de nouo superuenientibus) sed inspiciatur tempus exactionis, siue petitionis, aut rei iudicatæ, vt habetur *in l. rei iud. ff. sol. matrim. in l. verum, §. tempus. ff. pro socio, in l. si à Domino, §. eodem tempore, ff. de petend. hæred. & in leg. in pupillo, ff. de solut. cum concord.*

4 Dices, id quod dictum est, non habere locum in donatione facta propter seruitia præstita, vt in casu nostro: ergo. Antecedens probatur, quia donatio propter seruitia præstita est donatio remuneratoria, quæ non dicitur propriè donatio; sed potiùs facta pro satisfaciendo debito. Respondetur, nego Antecedens: & distinguo probationem: si seruitia præstita, ob quæ facta est donatio, non sint facta ex debito officij, vel ex alia obligatione, concedo; si sint facta ex debito officij, vel ex alia obligatione, nego. At ita est in casu nostro: nam licèt Rex explendo munus suum debeat subditis suis gratum, & liberalem se præbere, vltra eorum merita, vt habetur *in l. fin. Cod. de offic. Præfect. Afr.* hinc tamen non infertur, quod donatio à Rege facta subditis suis ob seruitia præstita, dicatur donatio remuneratoria: sed potiùs quòd dicatur donatio pura: quia ad seruitia illa præstanda ex officio tenebantur subditi; atque ita docet Rip. *in leg. si vnquam, Cod. de reuoc. donat.* Tiraq. *ibidem, num.* 106. Bal. Salic. Paul. de Castr. Ias. Corn. & alij communiter *in l. si donatione, Cod. de collat.* vbi rectè dixit Decius, quòd etsi donans ob seruitia præstita teneatur de euictione rei donatæ, id tamen intelligendum sit, si seruitia præstita fuerint talia, quod pro eis præstandis daretur actio aduersus donantem, non solùm ex obligatione antidorali, sed etiam ex obligatione ciuili, & strictè sumpta: idem etiam docet Loffred. *in cap. Titius, 2. col. vers. 3. potest restringi, si de feud. def. mil.* & Regens de Ponte *in cons.* 59. *1. vol. num.* 15. *& seqq.* vbi testatur sic sæpe decisum: idque ex eo, quia cùm, qui inseruiunt Regi, inseruiant vt stipendiati, & subditi, correspondendo obligationi, quam habent Regi ex debito officij, donationes eis à Rege factæ ob seruitia præstita, non remuneratitiæ; sed potiùs puræ donationes respectu Regis dicendæ sunt: idem etiam docet Ioan. Francis Capiblancus *in*

tract. de iure, *& auctor. Baron.* vbi ad hoc probandum multos alios adducit Doctores, inſértque doctrinam hanc non ſolùm ad milites ſtipendiatos, ſed etiam ad officiales, quod ſcilicet donationes iis etiam à Rege factæ ob ſeruitia præſtita, non remuneratoriæ donationes, ſed potius puræ donationes dicendæ ſint.

SECTIO III.

Proponitur quarta, & ſexta ratio.

1 QVintò probatur, quia quæ ſunt deſtinata pro victu Regis, pro dignitate regia, & pro ſuſtentatione Regni (vt ſunt Dohanæ, gabellæ, & alij Regni redditus) vel ſunt ſimpliciter inalienabilia (vt multi Doctores docent apud Andr. *in capit. nec Dominus de prob. feud. alien.*) ad euitandam (vt inquiunt ipſi) vexationem, & exuiſcerationem populorum, & ne Rex cogatur poſteà extendere manus ad iniquitatem, auferendo bona ſubditorum, illóſque in dies nouis, & nouis donatiuis, & impoſitionibus grauando, etſi alij, vt Bertachinus 1. *part. de gabellis*, *quæſt.* 9. Molin. & Vaſq. *in opuſc. de reſtit. capit.* 6. §. 1. *dub.* 1. contrarium ſentiant, & ſatis probabiliter, de qua re, nos *infrà dub.* 12. dicemus; vel ſaltem ſunt (vt docet Andr. *in loc. ſuprà cit.* inalienabilia ſecundùm quid, in terminis ſcilicet text. *in capit. intellecto*, *de iure iur.* nempè, ſi indè graue præiudicium Regno, & regiæ dignitati ſequatur; in quo caſu (vt inquit idem Andr. *vbi ſuprà*) adeò ſunt inalienabilia, vt non valeat conſuetudo in contrarium. Ratio, quia totum in ruinam, & perniciem Regni cederet: idem etiam docet Luc. de Pen. *in leg. quicumque*, *Cod. de omn. agr. deſert. col.* 6. *num.* 13. ex eo, ne (vt inquit ipſe) diminutis redditibus bonorum domanialium, quæ pro vita Regum, & ſuſtentanda Republica inuenta ſunt, cogantur poſteà Reges ad bona ſubditorum, calcata iuſtitia, manus extendere; & adducit Bullam Innocent. VI. excommunicationis pœnam imponentis; igitur occurrente caſu imminentis publicæ neceſſitatis, ita vt Rex aliundè de ſuo non habeat, poteſt ille impoſitiones omnes, etiam ex cauſa remunerationis, conceſſas ſuſpendere, quin imò & tollere. Conſequentia probatur, quia priuilegia omnia hanc clauſulam inſitam habent, vt conceſſa intelligantur, rebus in eodem ſtatu permanentibus, ſicuti habetur *in leg. cum quis*, *ff. de ſolut.* & *in capit. ſuggeſtum de dec.* & ratio eſt, quia ſtatu mutato, & vrgente neceſſitate, priuilegium incipit eſſe iniquum, vt proptereà tunc obſeruandum non ſit, vti habetur *in l. ex facto*, *ff. de vulg. & pupi.* vbi communiter Doctor. Hinc gloſſ. *in dict. capit. ſuggeſtum* dicit, quod ſecundùm diuerſitatem temporum, & rerum varietatem, priuilegia varianda ſunt; quapropter extat regula iuris, *quod id, quod non eſt licitum in lege, neceſſitas facit licitum*, quæ ſunt propria verba tex. *in cap. quod non eſt extra*, *de reg. iur.* vnde cum aliis communiter deducit Iaſon. *in l. ſi ex toto*, *de leg.* 1. quod à collectis immunitatis priuilegium ceſſat, ſi bellum poſtea Regno ſuperueniat.

Sextò probatur, quia Rex ob neceſ- 2
ſitatem poteſt capere bona ſubditorum, & reſtituere ea illis, quando poteſt, & ex

ex eadem causa potest differre debitas solutiones, cum hoc importet ius Regis & his periculis subiecti sint, qui cum Rege contrahunt, vt *suprà* alibi dicebatur, & docet Andr. *in rubr. quæ sint, regalia num.* 13. & ratio est, quia sic exigit bonum commune quod priuato antefertur: ergo multò magis ex simili causa poterit Rex suspendere, differre, ac etiam tollere pensiones, etiam ex causa remunerationis, concessas.

SECTIO IV.

Proponitur septima ratio.

1 SEptimò probatur authoritate Doctorum: quia ita docet Alexand. *in consil. volum.* 2. *num.* 22. 26. 30. *& sequentib.* neque obstat, inquit ipse, quod concessiones sint ex causa remunerationis: nam, vt succurratur, respondet idem, publicis necessitatibus, possunt concessiones suspendi, & tolli: quod consilium allegat & sequitur Ias. *in l. ex hoc iure, num.* 54. *ff. de iust. & iur.* ita etiam docet Andr. *in cap. similiter* 2. *addit. de cap. qui cur. vend.* vbi ait, quod in censibus, vectigalibus, tributis, & redditibus ciuilibus sunt prohibitæ diminutiones; & quod remissiones, donationes, & concessiones sunt nullæ, etiamsi ex certa scientia sint factæ: subditque quod Princeps, qui non auget, sed diminuit enormiter, non sit Princeps, quia non agit vt Princeps, scilicet in beneficium commune: ita etiam docet Isern. *in cap.* 1. *de prohib. feud. alien per loth.* vbi ait, quod supradicta omnia sint simpliciter inalienabilia: ita etiam docet Luc. de Peñ. *in l. quicumque, de omnib. agr. desert. & in l. fin. Cod. de pet. bonor. subl.* vbi textus sic habet: *patri forma res ciuiles, & ad ius publicum pertinentes ab omni petitione muniendas esse censemus*; quæ & locum etiam habent in impositionibus pro sustentatione, & stipendio militum factis, vt habetur *in l. omnes, Cod. de fund. patrim. lib.* 11. quia (vt dicit *ibi* Luc. de Peña) expedit Reipublicæ talia retineri in patrimonio Regis, ad hoc, vt deseruiant publicis necessitatibus: quapropter alienatio eorum est in magnum præiudicium communitatis; ideoque text. *in l.* 2. *Cod. de priuileg. schol. lib.* 12. tradit, quod priuilegia omnia intelligi debent concessa, ita vt sub prætextu ipsorum, nec flagitiorum crescat authoritas, nec publica vacillet vtilitas: per quem textum Doctores docent, quod priuilegia omnia intelliguntur concessa, dummodò non lædatur publica vtilitas: idémque tradit text. *in §. quod autem, in authentic. vt Iud. sine quoque suffragio,* vbi gloss. & Doctores, & quoad pensiones in specie Andr. & alij *in cap.* 1. *de not. feud.* docent, quod semper intelliguntur concessæ, dummodò dominus non egeat: & quod præferuntur omnes, qui cum domino contraxerunt, etiam post pensiones concessas: & quod propterea domino egente, sunt illæ suspendendæ, quod etiam innuit text. *in dict. cap.* 1. & tradit Præpos. *in cap.* 1. *de feud. cogn,* vbi ait, *quod si Dominus inuestiuit te de feudo Camera, & superuenerunt creditores, vt necesse habeat eis soluere, deducitur æs alienum, ne ipse dominus egeat; quia hæc est natura talis feudi de Camera*; & Zasius *in tract. feud. part.* 11. *num.* 37. *in* 10. *volum. tract.* docet, quod pensio non soluitur, si Camera ære alieno prematur; plus addit Massitiens. *lib.* 5. *nou. recollect. leg. Hispan. tit.* 10. *lib.* 6. *gloss.* 2. *num.* 30. nempè, quòd pensio

annua à Principe concessa potest per eumdem Principem, vel etiam per Proregem, ad libitum reuocari: ac tandem in casu, quod Rex aliunde potest suæ necessitati subuenire, gratias scilicet, & pensiones, etiam ex causa remunerationis concessas diminuendo, vel etiam suspendendo, non possit donatiuum, seu tributum à vassallis petere, si Vniuersitates sunt multum grauatæ, docent in terminis Valenzuela *consil. 99. punct. 2. num. 29. & seqq.* Scipio Rouitus *in consultatione de donatiuis, num. 4. & seqq. post consil. 200.* Carolus de Tappia *decis. 13. num. 83.* & Rastellius *de regim. Princip. lib. 3. in princip. num. 4.*



DVBITATIO OCTAVA.

An si Rex non potest aliunde suæ, & Regni necessitati, subuenire modo aliquo ex dictis in Dubitationibus antecedentibus, donatiuum, vel tributum à Vassallis petere possit.

SECTIO I.

Proponitur Dubitationis resolutio.

1 RESPONDEO affirmatiuè: vide text. *in l. 1. Cod. de superindict.* vbi gloss. *lib. 10.* eadem gloss. *in l. fin. in vers. idoneos, Cod. de annon. & tribut. eodem libro, in l. vectigalia, ff. de publican. in l. 1. toto tit. Cod. noua vectigalia institui non poss. in cap. innouamus, de censibus*, vbi gloss. & Doctores *text. notabilis, in l. comparationi, Cod. de excusat. muner. lib. 10.* Abbas *in cap. super quibusdam, de verbor. significat.* Innocent. *in dict. cap. innouamus*, vbi Butrius post Hostiens. Isern. *in verb. vectigalia, & in verb. extraordinaria collatio*, & vtrobique Afflict. & idem Afflict. *in rubr. quæ sint reg. & in decis. 261.* & *ibi* Adden. vide etiam Cyn. Salicet. & Bald. *in l. neminem, Cod. de sacrosanct. Eccles.* & eumdem Bald. *in cap. conquerente, in fin. de offic. ordin.* Capic. *in §. firmiter, de prohibend. feud. alien.* & cum S. Thoma *in opuscul. ad Ducissam Brabantiæ*, ex Theologis Molina *de iust. & iur. tract. 2. disput. 667. & seq.* Vasq. *opuscul. de restitut. cap. 6. §. 2. dub. 1. & 2.* Suar. *de legib. lib. 5. cap. 14. & 15.* Salas *de legib. quæst. 96. tract. 14. disput. 15. sect. 10. num. 118.* Valentia *tom. 3. disput. 5. quæst. 6. puncto 5.* Medina *Cod. de restitut. quæst. 13.* Alphonsus à Castro *lib. 1. de lege pœnali, cap. 9.* Rastellius *lib. 3. de regimin. Princip.*

Princip. pag. 132. Turrianus *in* 2. 2. *tomo* 2. *disput.* 44. *dub.* 1. & 2. Aragon. *in* 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 3. Reginald. *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 25. *num.* 372. Ledesma *tomo* 2. *tract.* 7. *cap.* 2. Malderus 2. 2. *tractatu* 5. *cap.* 6. *dub.* 2. Tanner. 2. 2. *disp.* 4. *quæst.* 6. *dub.* 12. *num.* 343. & 344. Molfes. *in summ. tom.* 2. *tract.* 12. *cap.* 22. *num.* 38. 39. & 62. Syluius 2. 2. *quæst.* 66. *art.* 8. *conclus.* 1. Aragon. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 3. Villalobos *in summ. tomo* 2. *tract.* 7. *dub.* 13. *num.* 4. & 5. Bonacina *tract. de contractib. disput.* 2. *quæstion.* 9. *punct.* 1. Bartholom. à S. Fausto *in specul. Confess. disput.* 33. *quæst.* 2. & alij passim, tam Theologiæ, quàm Iuris Doctores.

2 Ratio autem Responsionis est, quia in tali casu sic exigit bonum commune, & iusta causa per omnes petendi donatiuum, & imponendi tributum, est necessitas communis, vel certè magna vtilitas boni communis, si ei alia ratione Princeps subuenire non potest, vt si etiam v. g. necessarium is habeat ad securitatem viarum, ad stipendia militaria, & ad reparationes vrbium, vel viarum, aut ad quæcumque alia similia opera publica instauranda (quo etiam spectat Principis conueniens sustentatio: nam & hæc etiam ad bonum publicum pertinet) ergò, &c.

3 Confirmatur, quia Princeps tenetur populum regere, ius dicere, hostes arcere, tranquillitatem, & prosperitatem temporalem totis viribus procurare: ergò vicissim tenetur populus necessarios ad hæc Principi sumptus subministrare. Consequentia probatur, quia dignus est operarius mercede sua; & hac ratione tributum dicitur iustum stipendium Principis; & potest Princeps, si opus fuerit, cogere populum ad id præstandum, vt dicetur *infrà in dub.* 18.

Confirmatur secundò, quia causa iusta, propter quam Episcopus licitè potest petere à Clero subsidium charitatiuum, est Ecclesiæ necessitas, aut magna vtilitas, qualis est, v. g. vt magna eius onera debitorum soluantur, vt contra hostes defendantur; vel si opus sit multis sumptibus pro Ecclesiæ fabrica, pro profectione ad Concilium, &c. qua de re vide Remig. Gonnij *de Charitat. subsidio, quæst.* 5. Bellencit. *quæst.* 16. Azor. *tom.* 2. *lib.* 9. *cap.* 14. *quæst.* 4. ergò sic, &c. 4

SECTIO II.

Proponuntur ad dubitationis resolutionem positam quædam requisita.

VT autem doctrina modò *suprà* posita locum habeat; requiritur primò, quòd verè Rex non possit aliunde suæ, & Regni necessitati subuenire. Ratio, quia alioquin reuera in necessitate non esset, atque ita docent Doctores *in locis supra cit.* 1

Requiritur secundò, quod prius restringat statum suum, quatenus sine dedecore potest, modo explicato in tertia, dubit. qua de re vide *ibi*: vide etiam Medin. *Cod. de restit. quæst.* 13. Less. *lib.* 2. *de iust. & iur. cap.* 33. *dub.* 6. Vasq. *opusc. de restitut. cap.* 6. §. 1. 2. Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 1. *cap.* 3. Rastell. *de regim. Princip. lib.* 3. *fol.* 131. Dian. *tom.* 1. *tract.* 3. *de parlam. resol.* 4. & Regentem de Ponte cum aliis Iuristis, quos ipse adducit, & sequitur *in tract. de potest. Proregis. tit.* 4. *de regalib. impositión.* Ratio, quia bonum 2

num commune anteferre debet priuato.

3 Requiritur tertiò, quod prius etiam suspendat gratias, & pensiones, etiam ex remuneratione, concessas; idque propter eandem rationem, vt præcedenti dubitatione diffusè dicebatur.

Requiritur quartò, quod Regnum habeat vires sufficientes ad noua grauamina sustinenda; quod in omni casu simili semper suppono, & in suo loco diffusè probabitur.

4 Requiritur quintò, quod causam petendi donatiuum, vel tributum constet esse iustam: vel (si de ea sunt diuersæ opiniones) habeat saltem Princeps probabiles rationes, ob quas possit prudenter statuere se hîc, & nunc posse ob talem causam, donatiuum, seu Tributum exigere: nam si tales rationes non habet; vel certè non considerat, sit ne iustum, necne, quod agit, sed cæco more procedit, non potest illud exigere, cum nesciat, an ius exigendi habeat: & sic exigendo iniuriam Populo infert, & nisi posteà constet causam fuisse iustam, ad restitutionem tenetur. Ratio, quia quod mala fide acquiritur, semper restitutioni obnoxium restat. Vide Suar. *de legib. lib.* 5. *cap.* 15.

5 Requiritur sextò, quod tributum non sit maius, quàm causa postulat: ex qua parte enim excedit, est iniquum, quia quo ad eam partem non est necessitas; atque ita docent Doctores *in locis suprà cit.*

6 Requiritur septimò, quòd non continuetur diutius, quàm causa exigit: ex quo enim tempore diutiùs continuatur, est iniustum, idque propter eandem rationem, quæ *suprà* dicebatur. Excipe, nisi noua causa similis, & æquè iusta, posteà superuenerit, qua de re vide, vbi *suprà* eosdem Doctores citatos.

Requiritur octauò, quòd Princeps 7 donatiuum, vel tributum, quod exigitur, postea non insumat in alienos vsus, vt in prodigas largitiones, & alias expensas inutiles, siue priuatas publiblicas. Ratio, quia ad has populus non tenetur contribuere, sed solùm ad id, quod necessitas boni publici requirit: atque ita docet Angelus *ver. pedagium* §. 6. Caietanus *verb. vectigalia*, Suarez *de legibus*, *lib.* 5. *cap.* 15. Molfes. *in summ. tom.* 2. *tract.* 12. *capit.* 22. *num.* 62. Medin. *Cod. de restit. quæst.* 13. & Petr. Nauarr. *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 155. vbi ait, quod si aliter fiat, tunc necessitas publica assumitur pro forma: re ipsa verò fraus est, & rapina, pauperumque oppressio: quod maximè (inquit ipse) locum habet in vectigalibus, & tributis nouis, quorum causa, an & qualis fuerit, cognoscitur, aut saltem coniecturari facilè potest. Vide, quæ dicentur *infrà in dubitatione sequenti.*

SECTIO III.

Proponitur circa donatiui, vel tributi exactorem difficultas, eiúsque solutio.

PEtes, an in dubio, si tributum sit 1 iustum, vel iniustum, peccet, & ad restitutionem teneatur exactor?

Respondetur cum Caietan. *in loc. supra cit.* §. *occurrunt*, si dubium est, an 2 tributum sit iustum, vel iniustum) aliis scilicet affirmantibus, aliis verò negantibus)

tibus) exactor, qui est subditus Principis, & obedientia compulsus exigit, non peccat, nec ad restitutionm tenetur: idque ex communi sententia Doctorum: quia obedientia excusat in dubio, sicuti subditus, qui compellitur exequi sententiam, quam ei non constat esse iniustam: vel compellitur ire ad bellum, quod non constat ei esse iniustum, excusatur per omnes à peccato mortali, & ab obligatione restitutionis, etiamsi postea sententiam, vel bellum iniustum fuisse, deprehendatur. Ratio est, quia in dubio melior est conditio superioris, qui ius imperandi possidet; quare meritò inferior in dubio iudicium suum superiori debet submittere, & obsequium debitum ei non subtrahere; secus tamen esset, si sciret Superiorem suum dubitare, & dubitanter imperare. Ratio, quia sciret tunc non habere illum ius imperandi: si verò non est subditus, aut non compellitur, non potest ad talia dubia tributa exigenda se spontè offerre, nisi tantam sciat Priincipis probitatem, & prudentiam, vt meritò possit in iudicio illius acquiescere; alioquin mortiferè peccabit, exponens se periculo cooperandi iniustitiæ, & ad restitutionem tenebitur, nisi postea deprehensus fuerit, causam iustam fuisse; ratio, quia in tali casu mala fide exegit, & lata culpa damnum intulit. Contrarium & non improbabiliter sentiunt alij vt Nauarra *de restit. lib. 2. cap. 3. num.* 278. Suarez *tract. de charitate disput.* 13. *sect.* 6. *num.* 11. *&* 12. & Tanner. *in* 2. 2. *disp.* 2. *quæst.* 6. *dub.* 4. *num.* 49. qui vniuersaliter docent, quod quiuis subditas, siue compellatur, siue non compellatur, possit in omni negotio Principi in dubio credere, si de iniustitia non constat; quia in dubio quilibet tenetur quemlibet, præsertim Principem, bonum præsumere: hæc opinio est probabilis; sed nostra est probabilior,

An autem talis exactor sit excommunicatus in Bulla Cœnæ, quando dubitatio de iustitia tributi oritur ex dubitatione de potestate imponentis. 3

Respondeo, in opinione eorum, qui dicunt quod exactor in tali casu non peccat mortaliter, certum est, quod non sit excommunicatus. Ratio; quia excommunicatio maior supponit peccatum mortale, sicuti docent Caiet. *in summ. ver. præcepti transgressio*, Palud. *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 1. *art.* 2. Nauarr. *cap.* 27. *numer.* 9. Gabr. *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 2. *corol.* 2. Soto *dist,* 22. *quæst.* 1. *art.* 2. *concl.* 1. Couarr. *cap. alma, part.* 1. § Auila *part.* 2. *cap.* 5. *disput.* 1. *dub.* 2. aliique cummuniter, & sumitur *ex cap. nemo Episcoporum, cap. nullus Sacerdotum* 11. *quæst.* 3. & Trid. *sess.* 25. *cap.* 3. *de reformat.* & ratio est, quia pœna debet esse commensurata culpæ *cap. Felicis de pœnis, in* 6. Sed excommunicatio maior grauissima pœna est, vtpote gladius spiritualis, ac neruus Ecclesiasticæ disciplinæ, teste Trid. *cit. cap.* 3. ergo grauem, seu mortalem culpam exigit. 4

Idem etiam de aliis censuris docet ex communi Ægid. *disput.* 13. *dub.* 8. *num.* 68. & ratio est, quia aliæ censuræ etiam (sicuti ferri solent) magnis commodis spiritualibus priuant, quare vt potè graues pœnæ graue peccatum etiã requirunt, atque ita contra nonnullos docent Suar. *de censur. disput.* 4 *sect.* 4. Vaqs. 1. 2. *disput.* 158. *caput.* 5. *num.* 48. Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 4. *num.* 54. & alij quam plures Doctores. 5

Hinc sequitur, quod quotiescumque aliquis ob ignorantiam, vel animi pas- 6

sionem, vel ob considerationem, vel obliuionem legis, aut præcepti (ignorantia enim, inconsideratio, & obliuio æquiparantur, cùm æque tollant voluntarium, saltem perfectum) à grauitate mortalis culpæ excusatur, à censura etiam excommunicationis, suspensione & personali interdicto, saltem totali, excusari debet; nec non, & probabiliter, ab irregularitate ex delicto, etiam propter eamdem rationem, vt inter alios docuit Sanchez, *lib. 9. disp. 32. num. 17.*

7 In opinione autem eorum, qui docent, quod exactor mortaliter peccat, adhuc dicendum est, quòd non sit excommunicatus, nisi à parte rei is, qui imposuit, deprehendatur potestate caruisse. Ratio, quia Ecclesia sub censura non punit peccatum putatiuum, seu ex conscientia erronea, sed peccatum, quod sit reale, tam quoad formale, quàm quoad materiale peccati.

Quod si is, qui imposuit, verè caruit potestate, exactor cum dubio exigens, ab initio excommunicatus censeri debet quia mala fide exegit, quæ imponi non poterant, & ita accomodantur ei verba Bullæ Cœnæ, *& capit. quamquam de censibus in 6.* vide Nauarr. *cap. 27. num. 61. & 70.*

SECTIO. IV.

Proponitur ad dubitationis resolutionem suprà positam Addendum primum.

ADde primò, quod ratio, cur solum is, qui in terris suis Superiorem non agnoscit, vel qui à supremo Principe, vel legitima præscripta consuetudine, potestatem imponendi vectigalia, & tributa consecutus est, donatiuum petere, vel tributum imponere possit, absque eo, quòd peccet, ad restitutionem teneatur, & incurrat excommunicationem Bullæ Cœnæ (quam incurrant alij, siuè in terris suis nouas gabellas imponant, siue veteres augeant, siuè etiam impositas exigant, de qua re vide *cap. quamquam de censibus in 6.* & Nauar. *cap. 27. num. 61.* Molin. *tract. 2. tom. 3. priore disput. 666.* & Alphons. à Castro *lib. 1. de lege pœnali cap. 10.* & sic quod vectigalis, & tributi impositio inter regalia numeretur, iuxta *lib. 2. feudor. capit. 56.* quæ sint regaliæ; ratio (inquam) illa est, quia Principes, seu Magistratus supremi solum à subditis accipere debent sumptus necessarios; Proreges verò, duces, & Gubernatores, cæterique similes, ab ipsis Principibus supremis, à quibus constituuntur, & dependent,

SECTIO V.

Proponitur Addendum secundum.

ADde secundò, quod licèt in genere iusta, & legitima causa petendi donatiuum, vel imponendi tributum, sit necessitas, vel magna Reipubl. vtilitas, cui alia ratione subueniri non possit; quo etiam spectat Principis sustentatio, considerato statu, dignitate, ac meritis eius in Rempublicam; vt *suprà* dicebatur, in specie tamen iustæ causæ (quæ omnes reducuntur ad supradictas duas in genere) multæ sunt, quarum. 1

Prima est, ob adeptionem possessionis Regni: sicut enim pro noua Episcopatus possessione datur Episcopo subsidium 2

dium charitatiuum, ita pro noua Regni possessione datur Regi donatiuum, atque ita docet Regens de Ponte *in tit. tract. de donis, & expensis Vniuersitatis num. 2. cum seqq.* & probatur tam de iure communi, quàm de iure municipali Regni Neapolis; de iure communi, quia ita habetur *in l. vnica, Cod. publica lætitiæ, lib. 12.* vbi gloss. & Doctores de iure municipali, quia ita habetur *in constit. Regni, quamplurium*, quæ constitutio, quamuis loquatur de Barone adipiscente possessionem terræ, extenditur tamen ad Regem, qui Regni possessionem adipiscitur, atque ita docet gloss. & Isernia *in d. constit.* & Regens de Ponte *in tract. de potest. Proreg. tit. 4. de regal. impos. num. 46.*

3 Secunda causa est, ob exercitum construendum contra hostes Regis, vt *in dicta Regni constitut* habetur: expedit enim Regno hostes expelli: atque ita præter alios docet Frecc. *de subfeudis, lib. 2. in 2. auctor. Baronis, num. 24. verb. versatur in hoc*; quod etiam procedit regulariter, quando bellum exercetur extra Regnum: expedit enim Regno, vt bellum exerceatur distanter à Regno; atque ita docet Regens de Ponte *in tract. cit. tit. 4. de Regal. imposit. num. 47.* Vasquez *in opusc. de restitut. cap. 6. §. 3. dub. 2. num. 70.* Turrian. 2. 2. *disput. 46. dub. 1. num. 5. cum. seqq.*

4 Tertia causa est, si Regi proles nascatur, idque tam de iure communi, quàm de iure municipali; de iure communi, vt probat gloss. *in leg. placet, in verb. extraordinariam, & in verb. canonicum de sacrosanctis Ecclesiis, vbi* Iason *num. 19. de iure municipali*, vt habetur *in dicta Constitut. Regni*; ibi pro faciendo filio milite, vel pro maritanda, aut monacanda filia: nam hoc ipso, quod Regi proles nascitur, destinatur illa ad militiam pro fidei, & Regni defensione, si mas est; si autem fœmina, ad matrimonium carnale, vel spirituale; quod & procedit ante natiuitatem prolis, quia cum agatur de fauore prolis, illa pro nata habetur, vt sancitur *in leg. quod dicimus, ff. de verb. signif. & in leg. qui in vtero, ff. de statu hominum*, quin ita in praxi positum in nonnullis Regni Neapolis generalibus Parlamentis; exactio tamen donatiui fieri non debet ante prolis natiuitatem. Ratio, quia fieri potest, quod non nascatur, & ex alio capite ratio haberi debet ad id, quod euenire potest *leg. si quis domum, §. idem quæritur, ff. locati, & §. illud quæsitum*, vbi gloss. *Institut. de rerum diuis.* & explicat. Bart. *in leg. inter stipulantem, §. sacram. num. 7. de verb. obligat. in l. si idem, §. si vnam, num. 5 de iurisdict. omn. Iud.* & Valenzuola *in cons. 99. pun. 3. num. 52.*

Quarta causa est, si Rex ab hostibus capiatur, vt habet *d. cta constit. quam plurium*, tunc enim pro redimenda persona Regis Donatiuum præstari debet à Regno: expedit enim Regno liberum suum Regem habere, à quo defendatur, & à quo iustitiæ administrationem recipiat, & abundantiam rerum. 5

Quinta causa est, si Rex expensas fecerit pro hospitio Papæ, Imperatoris, vel Regis, vt tradit Frecc. *in dicta 2. auth. Baronis, per totam*, & Belluca *in rubr. 43. & 46.* Ratio, quia, & tunc sic exigere videtur bonum commune; sunt & aliæ in specie causæ, propter quas Regi donatiuum à Regno præstari debet, vt videre est (ne sim longior) apud Gabrielem *in 4. disp. 15. quæst. 5. art. 3. concl. 3* S. Anton. *part. 2. tit. 1. cap. 13. §. 2.* Regentem de Ponte *in cit. tract. tit. 4. & 5. num. 28.* & Molfesium *in summa, tom. 2. tract. 12. cap. 22. num. 69.* 6

SECTIO VI.

Proponitur addendum tertium.

ADde tertiò, quòd si Princeps sine iusta aliqua ex dictis causa: atque adeo sine necessitate populum grauet nouis tributis, aut quomodocunque petat aliquid, quod vassalli rogati ob metum recusare non audent, non solùm peccat peccato rapinæ, seu concussionis (vt loquitur Richard. *in 4. dist.* 25. *art.* 3. *quæst.* 2. ex S.August. *de verb. Domini, serm.* 19. *relato in cap. militare* 23. *quæst.* 1. *quicunque sibi stipendia publicè decreta consequitur, si amplius quærit, tanquam calumniator, & concussor, Ioannis sententia Luc.* 3. *condemnatur*) sed etiam (vt ex communi docet Sà *verb. gabella, num.* 7.) obligatur ad restitutionem, quæ restitutio facilè fieri potest in casu, quod collecta pecunia in Fisco Principis conseruatur: poterunt enim tunc, vel tributa ordinaria minui, vel extraordinaria, quæ futuro tempore propter aliquam occurrentem necessitatem exigi possent, omnino intermitti, & pecunia antè collecta ad talem vsum applicari: sin verò pecunia, tributi nomine collecta, à Principe, vel antecessoribus eius consumpta sit, tunc difficile est quidem restitutionem facere: sed tenetur Princeps parciùs viuere, & restringere statum suum, quatenus sine dedecore potest (vt *suprà* dicebatur) alioquin à restitutionis obligatione liberabitur. Vnde si postea accidat Rempublicam in periculum deuenire, vel ipsummet Principem non habere redditus sufficientes ad dignitatem status sui tuendam, tenetur populus ad nouam contributionem faciendam, cùm sic exigat Regni bonum commune; eo tamen pacto, & conditione, vt si postea contigat Principem ad meliorem fortunam deuenire, obligatus sit ille ad compensationem damni præstandam: quippe quod propria culpa, vel culpa Antecessorum (in quorum commoda, & onera successit) Vassallis illatum fuit: atque ita ex communi docet Mol. *tract.* 2. *tom.* 3. *prior. disp.* 667. & videri etiam potest S.Anton. *part.* 2. *tit.* 1. *cap.* 13 §. 2.

SECTIO VII.

Proponitur Addendum quartum.

ADde quartò, quod licèt Princeps nec subditis tributum imponere, aut impositum augere, nec donatiuum ab illis petere possit, si Fiscus ad publica onera sustinenda, & Reipublicæ pericula auertenda sufficiens sit, sicuti ex supradictis colligi potest; tamen in vno casu solùm non est censendum illum sufficere (vt rectè præter alios notauit Syl. *verbo gabella* 4 *quæst.* 3.) quando scilicet Princeps non potest se defendere, aut publicum bonum procurare, nisi ita se depauperet, vt nihil remaneat, quo iuuari possit, si iterum intra breue tempus ab aduersariis inuaderetur: maximè si multos insidiatores habeat: tunc enim necessarius est thesaurus, eò quòd aduersarij illum scientes, magis timent: ideoque magis pacificè viuitur. Quæ doctrina tamen in tantum vera est, in quantum periculum rationabiliter timetur in futurum, & non efficitur ad tegendam auaritiam. Vide quæ pro defensione Principum maiora interdum tributa ad debellandos hæreticos, & infideles, petentium & exigentium, scribit

bit Vasq. *in opuscul. tract. de restit. cap. 5. §. 3. dub. 1. & cap. 6. §. 3. num 55.* & nos suo loco *infrà* dicemus.

SECTIO VIII.

Proponitur Addendum quintum.

Adde quintò, quod licet Officiales, seu executores, præsertim si præceptum exigendi commodè declinare non possunt, iustè tributum, vel donatiuum exigant sine peccato, quia quamdiu non adest moralis certitudo de iniustitia causæ, possunt (vt *suprà* dicebam) præsumere, quod Princeps ita præcipiens causam iustam habeat, ipsis incognitam; idémque dico in casu de bello dubio, & de sententia dubia: alia tamen ratio est de Parlamentariis, qui se habent, vt Iudices, & alia ratio est de Consiliariis: hi enim, cùm ad ipsos ex officio spectet de iniustitia donatiui, vel tributi cognoscere, non possunt eius impositionem, vel auctionem decernere, vel consulere, aut Principi eam proponere, nisi tum tributi imponendi potestatem, tùm etiam causæ, seu iustitiæ probabilitatem rectè cognoscant. Qua de re vide Caietan. *verb. vectigalia*, Medinam *Cod. de restit. quæst.* 7. Petrum Nauarr. *lib. 3. cap. 1. num.* 267. Vasq. *de restit. cap. 6. §. 3. num.* 73. Suar. *de legib. lib. 5. cap.* 15. Reginald. *lib.* 10. *num.* 374. Megal. 1.2. *instit. Confess. lib. 2. cap. 17. num* 40. Molfes. *in summ. tomo 2. tract. 12. cap. 22. num.* 73. Less. *lib. 2. de iustit. & iur. cap. 17. dub.* 7. & Rastell. *lib. 3. de regim. Princip. p.* 161.

DVBITATIO NONA.

An si Rex non potest aliunde suæ, & Regni necessitati subuenire, ex eo quòd sua culpa, v.g ludis, conuiuiis, profusis largitionibus, bellis inconsultis, & temerè gestis, ac tandem expensis inutilibus, siue priuatis, siue etiam publicis, ærarium exhauserit, & in egestatem inciderit, donatiuum vel tributum à Vassallis petere possit.

SECTIO I.

Proponitur Dubitationis resolutio.

1 

Respondeo affirmatiuè, si Rex alia ratione non potest publicum malum auertere. Ratio, quia hîc & nunc sic exigit bonum commune; & subditi in publica necessitate tenentur Regi opem ferre: alioquin inopia Regis vergeret in perniciem Regni: quare, vt vrgenti necessitati possit Rex prouidere, poterit ex dictis licitè hîc, & nunc, donatiuum, seu tributum petere, aut impositum augere.

Nec obstat, quod Rex culpa sua in ege-

egestatem inciderit; dummodò per donatiua, vel tributa, quæ de nouo exigit, vel imposita auget, prouideat bono publico, quod, ne ruat, hìc,& nunc ita exigit: atque sic contra Gabrielem *in 4. distinct. 15. quæst. 5. art. 1. conclus. 2.* S. Antoninum *part. 1. tit. 1. cap. 13. §. 2.* Medinam *Cod. de restitut. quæst. 13.* docent communiter Doctores: Molin. *de iust. & iur. tract. 2. quæst. 667.* Vasq. *opuscul. de restitut. cap. 6. §. 1. dub. 1. num. 24.* Less. *lib. 2. cap. 33. dub. 6. num. 48.* Turrian. *2. 2. tom. 2. disput. 44. dub. 2, num. 5.* Molfes. *in summ. tom. 2. tract. 11. cap. 22. num. 72.* Malder. *2. 2. tract. 5. cap. 6. dub. 4.* Rastellius *de regimin. Princip. pag. 131.* Bartholom. à S. Fausto *in specul. Confess. disput. 33. quæst. 11.* & alij passim.

Obiicies: Rex in tali casu sibi imputare debet suam egestatem. Ergo, &c.

2 Confirmatur: quia subditi non tenentur onera sustinere ob regimen malum Regis, sed tenentur ad illa solùm, quando rex donatiuis, vel tributis indiget, ob publicam vtilitatem, vel necessitatem. Ergo, &c.

Respondetur: Rex in tali casu sibi imputare debet suam egestatem, quoad culpam, concedo; quoad pœnam etiam nego: at damnum inde sequeretur toti communitati.

3 Ad confirmationem respondetur, quod hîc & nunc: consequenter scilicet ad culpam commissam à Rege, verè Rex indiget donatiuis, vel tributis, ob publicam vtilitatem, cui semper ex dictis tenentur subditi subuenire.

SECTIO II.

Proponuntur ad Dubitationis resolutionem positam requisita quædam.

VT autem quæ dixi, locum habeant:

Requiritur primò, quod verificentur requisita, quæ in præcedenti Dubitatione dicebantur. 1

Requiritur secundò, quod verè Rex suæ, & Regni necessitati aliunde non possit subuenire: de suo, sicuti *dub. 3.* dicebam, & præter Theologos ibi citatos cum S. Thoma *in opusculo ad Ducissam Brabantiæ*, docet Cyn. *in l. neminem, Cod. de sacrosanct. Eccles.* vbi subdit, quod Rex propter bellum faciendum, & propter similia negotia publica exercenda, si non habet de suo, quod sufficiat, tunc potest recipere à subditis, & (quando periculum imminet) ab vna Ciuitate; & posteà diuidere per Prouincias: idemque docet Bald. *in capit. conquerente in fin. de offic. ordin. & in dict. leg. neminem*, vbi ait, quod quando proprium Regis marsupium non sufficit, tunc potest Rex collectas imponere; idem docent *ibidem* Salic. & Innoc. idémque docent etiam Doctores *in capit. innouamus de censibus*. Capic. *in §. firmiter de prohib. feud. alien.* per Fred. Afflict. *in rubr. quæ sint regalia num. 90. & in decis. 201.* & *ibi* Addentes. Ratio autem est, quia ex dictis, si Rex aliunde potest subuenire de suo, re vera non est in necessitate; tum, vt differat à tyranno, debet ipse esse propter Regnum, & non est contra: adde, quod bonum Regni redundat in bonum 2

bonum Regis, ſicut & deſtructio Regni redundat in deſtructionem Regis: vires enim Regis non inſidunt, niſi in viribus Regni, vt *alibi* dicebatur.

2 Requiritur tertiò, quod Rex, cum ad meliorem fortunam redierit, compenſet Vaſſallis damnum extraordinarium iſtud, ex tali impoſitione iis illatum. Ratio, quia culpa ſua illud intulit; atque ita docent. S. Ant. *part.* 2. *tit.* 1. *cap.* 13 §. 2. Med. *Cod. de reſtit. quæſt.* 13. Leſſ. *de iuſt. & iur. lib.* 2. *cap.* 33. *dub.* 6 Molin. *tract.* 2. *tom.* 3. *diſput.* 667. Vaſq. *in opuſc. de reſtit. cap* 6. §. 1. *n.* 24. Molfeſ. *in ſum. tom.* 2. *tract.* 12. *cap.* 22. *num.* 72. & Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 1. *cap.* 3. vide quæ dicebantur *in Dubit.* 8. *præcedenti.*



DVBITATIO DECIMA.

An Rex, ſi non poteſt aliunde ſuæ, & Regni neceſſitati ſubuenire, etiam ex eo quod culpa ſua, vt ludis, conuiuiis, &c. in egeſtatem inciderit, poſſit à Vaſſallis potentibus mutuum exigere, vel ijs debitas ſolutiones differre.

SECTIO I.

Propositur Dubitationis reſolutio.



1 RESPONDEO, affirmatiuè; atque ita docent ex communi Maior *in* 4. *d.* 15. *quæſt.* 34 Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *cap.* 3. *num.* 2. & ex Iuriſtis Luc. de Pen. *in leg.* 1. *Cod. vt ruſt. ad null. obſeq.* Regens de Ponte *de poteſt. Proreg. tit.* 4. *de regal. impoſition. & tit.* 2. *num.* 6. vbi authoritate Angeli, & aliorum Auend. *in tract. de exequut. mand. reg. cap.* 14. *verſ. quartus caſus, lib.* 2. *& cap.* 19. *num.* 34. *lib.* 1. & authoritate Iacobi *in tit. de homag. num.* 35. & Recentiorum Adden. ad Andr. *in tit. quæ ſint regalia, in verb. & extraordinaria collatio, verſ. manus ſuas ad iniquitatem in fin.*) docet, quod ob publicas neceſſitates, non ſolùm poteſt Princeps ad mutuandum cogere ſubditos, ſed etiam ad idem poteſt Ciuitas cogere Ciues: & ratio eſt, quia in publica neceſſitate (vti *ſuprà* dicebam) non attendendum eſt damnum particulare; ſed attendendum eſt beneficium publicum, quod magis refert; præſertim cùm

in

in beneficio publico includatur beneficium particulare: ergo &c. Vide Pasqualigum *in suis decisionibus, decis.* 425.

2 Confirmatur, quia in casu necessitatis (vti dicebam *dub.* 4. & docent Cyn. *in l. neminem, Cod. de sacros. Eccles.* & Regens de Ponte *loco citato, num.* 3.) potest Rex sumere de Prouincia, quin & de ciuitate, & deinde diuidere per Regnum: ergo &c.

3 Confirmatur secundò, quia & in casu necessitatis (vti dicebam *cit. dub* 4. & ex Iser. docet Regens de Ponte *loco suprà cit. num.* 38.) potest Rex sumere bona subditorum, & deinde, cùm habebit, pretium illis soluere: ergo &c.

4 Confirmatur tertiò, quia & in casu necessitatis (vti docent nonnulli Doctores) potest Rex sumere etiam bona Ecclesiæ, soluto pretio; cùm in bono communi Reipublicæ includatur etiam bonum Ecclesiæ; sicut & in damno communi Reipublicæ includitur etiam damnum Ecclesiæ: ergo &c.

5 Confirmatur quartò, quia & in casu necessitatis (vti dicebam *dub.* 4. *cit.* & docent Innoc. Ioan. Andr. cæteríque Doctores *in cap. quanto de iureiur.* Item & Andr. *in verb. vectigalia, num.* 23. *quæ sint regal.* & Regens de Ponte *vbi suprà, num.* 36.) potest Rex augere valorem pecuniæ; illámque cudere de vili materia, vt de ferro, corio, &c. & statuere, vt tanquàm bona expendatur, quamuis inde priuatis magnum damnum sequatur (quod tamen postea, necessitate constante, debet Rex illis compensare:) ergo &c. Vbi aduerte, quod in casu, quod sit auctus valor pecuniæ, & fit deinde restitutio creditori pecuniæ creditæ; attendi debet valor pecuniæ, prout erat tempore contractus; non autem prout est tempore restitutionis: qua de re vide *cit. dubit.* 4. *sect.* 22. & 23.

Confirmatur quintò, quia & pro ornatu Ciuitatis, vt pro viis ampliandis, pro porticu faciendo, & similibus (vt dicebam *dub.* 4 *cit.* & docet ex Lanario Regens de Ponte *loco cit. num.* 66) potest Rex priuatorum domus diruere, ædificia impedire, & similia præstare: ergo &c. Vbi aduerte, quòd in tali casu debet Rex imponere collectam, soluendam proportionaliter ab iis, qui inde commodum reportant, sicuti rectè præter alios notauit Regens de Ponte *in loco suprà citato.* 6

Confirmatur sextò, quia & in casu necessitatis (vti dicebam *dub.* 4 *cit* & docent Ripa *tit. de remed. preser. num.* 217. & Regens de Ponte *loco citato, num.* 49.) potest Rex cogere homines, vt seruiant, mediante salario, in regiis Triremibus pro rimeriis, & in transmittendo exercitu contra hostes pro fodiatoribus: ergo &c. quod inde magis probatur, quia per regias Constitutiones, Capitula, & pragmaticas Regni tenentur Baronales vassalli inseruire Baronibus pro seruitiis necessariis: ergo multò magis id concedendum est Regi, qui est Dominus omnium, & in specie ita habetur *in constit. Reg. incip. quia frequenter*, vbi Afflict. & Frecc. *lib.* 2. 24. *author. Baron. & in capitulis Regni ad regale fastigium, & in cap. finis præcepti charitas, in fin.* & ratio est, quia id fit in Regni necessariam defensionem, propter publicam vtilitatem, cui postponi debet priuata; quapropter capitulum tertium concessum Ciuitati Neapolis in anno 1554. per Carolum V. *in libro Capitulorum Ciuitatis, fol.* 153. ne pendente appellatione ad sacrum Concilium detenti in carcere ad triremes interim transmittantur, non est seruatum in praxi ex causa publicæ necessitatis, sicuti testatur Regens de Ponte *loco suprà cit. n.* 55. 7

Vbi

Vbi aduerte, quòd homines, qui in casu publicæ necessitatis compelluntur, vt mediante salario, inseruiant pro rimeriis, vel pro fodiatoribus, debent esse facinorosi, vel saltem vagi, & inutiles, non autem bibulci, vel similes, qui vacant agriculturæ, vt rectè notarunt Ripa, & Regens de Ponte *locis suprà cit.* & ratio est, quia alioquin impediretur annona, quæ quamplurimum facit ad bonum commune.

Sed de hac materia, quid possit facere Rex in casu publicæ necessitatis: vide omnino *dubitationem quartam cit. sect.* 24.

SECTIO II.

Proponuntur circa Dubitationis resolutionem positam requisita quædam.

VT autem, quæ modò *in sectione præcedenti* dicta sunt, locum habeant,

1 Requiritur primò, quòd Rex obseruet prius, quæ dicebantur *in dubitatione octaua, & nona præcedenti*, nempe, quòd non insumat, quod exegit à vassallis, in alienos, & inutiles vsus. Secundò, quòd causam petendi euidenter, vel satis probabiliter iustam habeat. Tertiò, quòd non petat plus, quàm causa exigit. Quartò non continuet diutiùs quàm exposcit necessitas. Quintò, quòd re vera necessitati publicæ de suo prouidere aliunde non possit. Sextò, quòd restringat prius statum suum. Septimò, quòd suspendat omnes gratias, & pensiones, etiam ex causa remunerationis, concessas. Octauò, quòd cùm redierit ad meliorem fortunam, damnum læsis compenset, & similia, vt *ibi*.

Requiritur secundò, quòd Rex necessitati publicæ non possit subuenire aliunde, neque de suo, neque de communi (grauando scilicet commune) siue quia instat necessitas, & periculum est in mora; siue quia commune hîc, & nunc est exhaustum, & sic impotens ad subueniendum Regi; alioquin enim in publica necessitate (cùm publica necessitas spectet ad omnes, & singulos) non vassallos particulares; sed omnes, & singulos grauare deberet, idque seruata æqualitate proportionis geometricæ, secundùm eorum vires, & facultates; sicuti rectè docet S.Thom. 1.2.*quæst.*96. *art* 4 Syluest.*ver.lex, quæst.*5. Vasq.*disp.* 155.*cap.*1. Carbo *lib. 6.de legibus, disp.* 10 Suarez *lib.* 1. *de legibus, cap.* 9.*n.*14. 2


Hinc si Rex concedit aliquibus immunitatem à soluendis tributis, vnde alij plus grauantur, iniqua est Regis dispositio, sicuti etiam præter Doctores *suprà* citatos, annotauit Abb. *in cap.* 2. *de immunit. Eccles. num.* 16. Alphonsus de Castro *lib.* 1. *de lege pœnali capit.* 1. *& capit.* 5.*docum.*2. 3

Item si subditis imponit tributum, quod æquè pauperes, ac diuites soluere debeant, verbi gratia singuli denos aureos, iniustum est etiam tributum; quia licet grauentur omnes, non tamen grauantur, seruata æqualitate proportionis geometricæ, secundum scilicet eorum vires, & facultates. 4

Item si taxat pretium frumenti, vel vini, & similium, ita vt vna pars Ciuitatis verbi gratia taxam seruare debeat, iniqua est etiam dispositio. Excipe, nisi iusta aliqua causa (vt *suprà* dicebatur) huiusmodi discrimen postularet. 5

Requiritur tertiò, quod Rex postea compenset damnum subditis illatum, 6

vel de proprio, si redierit ad meliorem fortunam; vel de communi, imponendo postea, cum potuerit, grauamen vniuersale super omnes, & singulos, attenta proportione geometrica, vti *suprà* dicebatur.



DVBITATIO VNDECIMA

An assignare certam summam pecuniæ pro sustentatione Regis, vel pro regimine, & defensione Regni necessariæ, spectet ad Regem, ita vt in eius arbitrio positum sit, an spectet potius ad Parlamentum.

SECTIO I.

Proponitur Dubitationis resolutio.

1 RESPONDEO, spectare ad Regem; atque ita docet Alphonf. Castr. 1. *lib. de lege pœn. cap.* 10. & Vasquez *in opusc. de resist. cap.* 6. §. 1. *dub.* 1. & Ratio est, quia cum Regibus, & cæteris habentibus supremum Imperium in aliqua Ciuitate, vel Prouincia, &c. congrua de iure naturali (vt latissimè probat idem Alphonf. Castro *loc. suprà citat.* & ego dicebam *dub.* 8.) debeatur sustentatio, quæ ad dignitatem decenter sustentandam, & ad Regnum, vel Prouinciam ab hostibus tuendam sufficiat; videtur ex pacto tacito inter Regem, & Regnum (si expacto tale debitum ad certam pecuniæ summam redactum non est) relictum arbitrio Regis, aut supremi Principis, qui illius Prouinciæ curam gerit, iustam pecuniæ summam assignare pro iis, quæ regimini, & defensioni ipsius Regni necessaria sunt; idque ex consensu ipsius Regni seu populi, cum in principio id determinare non curauerit Regnum, seu populus, ex consensu cuius electus est Rex, aut Princeps, &c.

Confirmatur, quia cum de iure naturali, & diuino debeatur altaris ministris sustentatio; quota assignatur à Pontifice (decima scilicet pars fructuum, ad quam reducta est omnis obligatio, quæ iure naturali, & diuino spectabat ad altaris ministros sustentandos) ergo cum de iure naturali, & diuino debeatur etiam tributum Regibus: quota in impositione tributorum assignabitur à Rege: Consequentia 2

quentia probatur: quia vtrobique est eadem ratio, & obligatio.

SECTIO I.

Proponuntur circa Dubitationis resolutionem positam Aduertenda quædam.

1 ADuerte, quod quæ *in sectione præcedenti* dixi, intelligenda sunt, dummodò moraliter aliud in contrarium non constet, nempè quod Rex ad fines supradictos, hîc, & nunc euidenter moraliter superexcedentem pecuniæ summam non petat: nam, vt docet Menoch. *de præsumpt. libr. 2. præsumpt. 10. num. 31.* & Soccin. *lib. 2. consil. 164. volum. 5.* recedendum est, etiam ab expressa assertione Regis, cum de veritate in contrarium constat; & ratio est, quia semper, & in omni casu, præsumptio cedere debet veritati vide *suprà* dicebantur *dubit. 2.* vide etiam Gloritium *in responsione pro Ciuitate Messana respons. 1. part. 3. numer. 13. & seqq.*

2 Aduerte secundò quòd in tantum summam iam semel taxatam potest postea Rex in Regno continuare, in quantum indiget illa reuera: alioquin pro parte, arbitrio boni viri, tenetur illam remittere. Ratio, quia Rex (vt sit Rex, & non Tyrannus) non tantum suam, sed & Regni, imò magis Regni, tenetur necessitatem attendere, cùm Rex sit propter Regnum, & non è contra.

Confirmatur, quia Rex, si de nouo indiget, de nouo potest petere, ergo si de nouo non indiget, sed abundat, de non tenetur remittere: & licèt taxatio illa sit antiqua, tamen si Rex non indiget (maximè si populis est onerosa, vt sine detrimento eorum magno non possit exigi) tenetur in conscientia, prout Ratio dictauerit, illam remittere, propter rationes, quas *suprà* dicebam. 3

Excipe, nisi ex alia parte maius immineat malum, v. g. bellum, vel simile, cui necessarium sit prouidere: tunc enim tenentur subditi minus malum sustinere, vt huic maiori malo occurratur. 4

Neque obstat, quòd forsan Rex Regnum bello, & armis vendicauerit, & sic potuerit imponere tributum exorbitans; nam forsan, & subditi etiam Regi præsto fuerunt in bello, & opem illi tulerunt, & tunc cessat instantia, vel si id non fuit, adhuc subditi non debent ita grauari, vt cum detrimento magno totius Regni tributa soluant, maximè si Rex non indiget; quia hoc ipso, quòd Rex est, debet potius bonum commune, quàm proprium particulare procurare, præsertim cum in bono communi proprium particulare contineatur & in viribus, & potentia Regni insidant vires, & potentia Regis, sicut & è contra in destructione Regni destructio Regis. 5



DVBITATIO DVODECIMA.

An, si iam esset assignata certa summa pecuniæ pro sustentatione Regis, & pro regimine, ac defensione Regni necessaria, ex pacto inter ipsum, & Regnum inito; possit Rex ex aliqua iusta causa de nouo adueniente nouum tributum, seu donatiuum petere, vel antiquum augere pro defensione eiusdem Regni, vel pro sustentatione sui status.

SECTIO I.

Proponitur dubitationis Resolutio.

1 RESPONDEO affirmatiuè; atque ita docet Gabriel. *in 4. dist.* 15. *quæst.* 5. *art.* 2. *conclus.* 3. Molfes. *in summa tom.* 2. *tract.* 11. *capit.* 22. *numer.* 70. Turrian. 2. 2. *tom.* 2. *disput.* 45. *dub.* 2. *num.* 8. qui omnes docent posse Regem, aut quemcumque alium supremum Principem, vltra possessiones, & redditus sibi assignatos, etiam ex pacto cum Vassallis à se, vel suis antecessoribus inito, noua tributa imponere, vel antiqua augere, quotiescumque patrimonium sibi assignatum hîc, & nunc sufficiens non esset suæ congruæ sustentationi, secundum regiam dignitatem, vel secundum necessitates publicas Regni; idque propter multa, quæ solent accidere, in quibus de nouo tenentur Vassalli Regi prouidere, vt benè aduertit Gabriel *vbi suprà* S. Antonin. 2. *part. cap.* 13. *§. η tamen*; ex S. Thom. ad Ducissam Brabantiæ in quadam Epistola, quæ habetur *opusc.* 21. idémque aduertit Vasq. *de restitut. cap.* 6. *§.* 1. *dub.* 1. *num.* 18. vbi ait, quod Rex pro temporum necessitate imponere potest tributa, vel imposita augere prout necessitas sua, & Regni postulauerit. idem etiam docet Regens de Ponte *de potest. Proreg. tit.* 5. *num.* 29. qui citat Frecciam, & alios. & ratio, quoad necessitatem Regni, est clara, quia sic exigit in tali casu bonum commune de qua re vide, quæ dicebamus *dub.* 8. & quoad necessitatem Regis, etiam est clara; quia quòd Rex habeat conuenientem statui suo sustentationem, etiam spectat ad bonum commune, vt *in citat. dub.* 8. dicebamus.

2 Confirmatur, quia si Regno aduenit noua necessitas, tenetur Rex nouam operam, & industriam præstare, ergo & è contra, si Regi aduenit pro persona sua noua necessitas, tenetur Regnum nouum subsidium, & stipendium etiam præstare.

3 Confirmatur secundò, quia cùm Regnum teneatur de iure naturali præstare Regi conuenientem sustentationem, secundum illius dignitatem regiam si Rex pro necessitate sua de nouo adueniente nouum subsidium petit, non nouam obligationem Regno imponit, sed exigit naturalem antiquam, qua tenetur omne Regnum Regi suo conuenientem sustentationem præbere, iuxta statum dignitatis regiæ, ergo, &c.

Hæc autem intelligo, suppositis vitibus Regni, & suppositis cæteris requisitis, quæ *in dubit.* 8. *&* 9. dicebantur.

SECTIO II.

Proponuntur, & soluuntur Difficultates contra dubitationis resolutionem positam.


1 OBiicies; saltem non tenetur Regnum in casu, quòd Rex regia tributa vendidit, vel donauit; alioquin si Rex in tali casu petere potest, poterit, & quilibet Baro (si de nouo indigeat) nouum tributum etiam petere.

2 Respondeo, dispositas est, quia cùm Rex vendendo, vel donando oppida, & Regia tributa, quæ habet, iure id faciat; nempe in remunerationem laboris in bello, vel alia iusta de causa, vel quia ex iis venditis pecuniam accipiens, prouidet instanti necessitati, fit, quod meritò propter necessitatem de nouo postea aduenientem nouum subsidium petat; & quod merito regia tributa exigat is, cui Rex illa concessit; quia manet idem finis tributorum, scilicet bonum commune, propter quod opus est, vel vendi aliquando tributa, & oppida à Rege, vel aliquando donari. Adde, quod Rex semper manet cum suprema potestate, & cura illius oppidi, aut Ciuitatis, &c. cum ille, cui venditur, aut datur, maneat semper Regi subiectus, vnde tempore Belli, & Rex debet defendere, quamuis Baro onus defensionis pro parte sua subire debeat; & sic, si communis necessitas, vel vtilitas, (quò spectat, & Regis conueniens sustentatio, vt *dub.* 8 dicebam) ita postulat, potest adhuc Rex in iis ciuitatibus, & oppidis imponere noua tributa, quæ ipsi, vt supremo domino, habenti merum, & mixtum imperium, semper debentur propter curam, quam adhuc habet in iustitia illis administranda, & in ipsis (quando oportuerit) defendendis, quæ omnia in Barone locum non habent, vnde non mirum, si Baro tantum in eo statu, & iure, quo venditum, vel donatum sibi oppidum fuit tributa exigere potest, nihil autem de nouo imponere, quia supremam (vti dicebam) non habet potestatem, & ad ipsum non spectat cura de communi. Vide, quæ dicebam *cit. dub.* 8. vbi reddebam rationem, quare vectigalis, & tributi impositio inter regalia numeretur, & solum ad supremos Principes spectet.

Porrò, quod ex iusta causa, & rationabili necessitate, arbitrio boni viri (etiamsi regium patrimonium lædatur) licitè á Rege venditione, vel etiam donatione, alienari possint oppida, & regia tributa, quodque in hoc rationabiliter inuiti non sint Regis successores, 3

sentiunt propter rationes iam dictas, Mol. *de iust. & iure tom.* 3. *prior. disp.* 673. Bertachinus 1. *part. de gabellis quæst.* 9. & Vasq. *in opusc. de restit. cap.* 6. § 1. *dub.*1. *num.* 15. quamuis quamplures Iuristæ oppositum sentiant, sicuti *in dub.* 7. notabam.

At quid dicendum si Rex in alienando, siue venditione, siue etiam donatione, oppida, regia tributa, & similia, fuerit in culpa ita vt culpa propria in necessitatem inciderit? ideo sit.



DVBITATIO XIII.

An si, iam aßignata ex pacto inter Regnum, & Regem inito certa pecuniæ summa pro Regno, & sustentatione Regis necessaria, culpa propria Rex, patrimonium regium exhauriendo, in egestatem inciderit, poßit de nouo ex noua causa iusta adueniente, tributum, seu donatiuum à Vassallis petere, aut antiquum augere.

1 RESPONDEO affirmatiuè; atque ita docent Vasq. *in opusc. de restitut. cap.* 6. §. 1. *dub.* 2. Molfes. *in summa, tom.* 2. *tract.* 12. *cap.* 22. *num.* 70. & Turrian. *in* 2. 2. *tom.* 2. *disp.* 45. *dub.* 2. *num.* 8. contra Medinam *quæst.* 13. *Cod. de restitut.* Gabr. *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 5. *art.* 1. *concl.* 2. *casu* 3. & S. Anton. 2. *part. cap.* 13. §. 2. qui in loco citato docent, quòd si Rex in tali casu tributa noua imposuerit, teneatur, quod de nouo imposuit restituere; & subdunt, id ideo esse verum, quod si Rex in bello ex parte sua iniusto, ab hostibus capiatur, neque etiam possit pro sua redemptione noua tributa imponere, aut imposita augere, absque eo, quod ad restitutionem similiter teneatur.

Ratio tamen responsionis nostræ affirmatiuæ contra hos Doctores est; quia licèt Rex patrimonium consumpserit, & debita contraxerit iniustè, v. g. bello inutili, & iniusto, vel libidini suæ, & desiderio dominandi inseruiens, &c. adhuc tamen non prohibetur noua tributa imponere, aut imposita augere, ex eo, quia sic hic, & nunc exigit publicum bonum: cum Regis inopia euidenter tendat in perniciem Regni; vnde vt imminenti ex Regis inopia malo 2

pro

prouideatur, erit Regi licitum de nouo imponere, vel imposita augere tributa, quæ sufficiant conseruationi Regni in futurum: nam cùm hostes (præcipuè potentes) meritò timeantur, oportet, vt Rex vim eorum possit reprimere, & sic habere Thesaurum, & redditus, quibus milites conducat, & bellum gerat, sicuti rectè notauit Gabriel *loco supra cit.* Neque refert, quod Rex in inopiam inciderit culpa sua, modò tributis de nouo impositis, vel de nouo auctis, re vera bono communi prouideat.

3 Differentiam tamen hîc ponunt aliqui; quod si Rex absque culpa; sed propter bonum publicum, in inopiam incidit, possit toties quoties imponere, aut augere tributa, quæ sufficiant necessitati publicæ, & etiam suæ, nempe decentiæ status; quod si autem culpa sua, & non ob bonum publicum, semel ac iterum in inopiam incidit, possit ei Regnum meritò (præsertim si decentiæ status Regis solùm deseruiant) tributa negare, & ipsius Regni negotia, si de Regis prodigalitate timeatur, per Ducem, qui fideliter ea administret, exercere, quod tamen ego non admitterem, nisi solùm in casu, quòd certò constaret de Regis prodigalitate, quòd vix vnquam moraliter continget.

4 Similiter nec admitto, quod Medina, Gabriel, & S. Antonin. *supra* docebant, non posse scilicet pro redemptione Regis, si ab hostibus captus fuerit, tributa imponi: nam si Rex captus sit ab hostibus, expediátque bono publico, vt redimatur (quod vt plurimum sic expedire arbitror, etiamsi ille sua culpa, & in bello iniusto ex parte sua, captus fuerit) absque dubio imponi possunt noua tributa, vel imposita augeri, idque ob eandem rationem, quàm *suprà* afferebam.

Nec oppositum (vt existimat Gabriel) 5 docet S. Thom. *in epist. ad Ducissam Brabantiæ*: ille *ibi* tantùm dixit non posse Regem tributa imponere pro sola libidine, vel pro iniusto bello gerendo, quia ob hunc finem non debentur tributa; at alia ratio est in casu nostro, etiamsi culpa sua Rex in id inciderit: nam in tali casu (sicuti dicebatur) militat alia ratio, quod sic scilicet hîc, & nunc exigit bonum commune: ergo &c.


Confirmatur à pari: nam si Ecclesiæ 6 publica necessitas, aut magna vtilitas, qualis est, v.g. vt grauia eius onera debitorum soluantur, vt contra hostes defendatur: item si multis opus sit sumptibus pro Ecclesiæ fabrica, vel lite, aut profectione ad Concilium, Papam, vel Imperatorem, &c. de qua re Remig. Gonius *de charitat. subsidio, quæst.* 5. Barthol. Bellincin. *quæst.* 16. & Azor. *tom.* 2. *lib.* 9. *cap.* 14. *quæst.* 4. exigit hîc, & nunc, vt subueniatur Episcopo, potest de nouo Episcopus exigere à Clero subsidium charitatiuum (moderatum tamen, ita vt Ecclesiæ, & Clerici non nimis grauentur, & commensuratum ad necessitatem instantem *cap. conquerente de offic. ordin.* & *ibi* Anton. de Butrio) ita vt si in tali petitum, præstare illud Clerici recusent, possit Episcopus eos compellere excommunicationis censura, sicuti colligitur *ex cap. cùm Apostolus. de censibus*, § *prohibemus*, & *ex cap. conquerente de officio Ordinarij*, & docet Innoc. *in cit. cap. cùm Apostolus*, & *ibi* Anton. de Butrio, Belle. *quæst.* 15. Gonnius *quæst.* 8. & Azor. *tom.* 2. *lib.* 11. *cap.* 14. *quæst.* 2. & ratio est, quia in tali casu (aiunt illi) si deficit charitas, valere debet potestas: tum quia in tali, & simili alio casu, potest Episcopus pro suis necessitatibus fructus retinere, *cap. vno. in fin.* & *Clement. frequens de exces. Prælat.*

ne

ne dum ad subsidium compellere: ergo sic &c. atque sic in terminis Ioannes Andr. *in nouella super verbo, necessitatibus* cum Belluga *de donat. rubr. 46. in vers. sunt, & alia munera*, trahit hinc argumentum, quòd Domini subditorum posint pro suis necessitatibus subditos collectitare.

7 Quod verò Bellincinus & Belluga in loc. *suprà* cit. aiunt, si Episcopus propria culpa in necessitatem, verbi gratiâ, in grauia debita inciderit, non esse à Clero illi contribuendum, ex eo, quia culpæ suæ Episcopus in tali casu debet imputare, *cap. 1. de etate, & qualitate, & cap. ex parte, de consuetud.* id ego intelligo, vt non tam facilè illi contribuatur; vel si quod exigit Episcopus, exigat, vt subueniatur priuatæ suæ, & non publicæ vtilitati: nam si sit Ecclesiæ grauis, & manifesta necessitas, omnino debent Clerici Episcopo subuenire, sicuti de laicis in ordine ad Principem *suprà* dicebatur; quod tamen intelligo suppositis viribus, suppositisque cæteris requisitis, quæ *in dubit. 8. & 9.* dicebantur.

Aduerte tamen hîc, quod, si dubium est inter Episcopum, & Clerum de causæ æquitate, ad superiorem (quoniam Episcopus, & Clerus superiorem habent) recurrendum est, sicuti docet gloss. *in cit. capit. cum Apostolus, verb. rationabilis*; vel arbitri consensu partium statuendi sunt, sicuti docent Bellincinus *q 17.* & Azor. *tom. 2 lib. 9. c. 14. 14. q. 4.* quæ, in casu nostro de Rege in ordine ad Regnum, locum non habent.



DVBITATIO XIV.

An posit Rex propter bella & sumptus quos sustinet in vno Regno, grauare cætera Regna quæ habet, petendo ab his donatiuum, & tributum.

1 RESPONDEO affirmatiuè, atque ita sentiunt ex Theologis Vasq. *in opusc. de restit. capit. 6. §. 3. dub. numer. 7.* Turrianus *in 2. 2. tom. 2. disput. 46. dub. 1. num. 5. & 6.* & ex Iuristis Baldus, Andreas, Capycius, & Lucas de Peña apud Regentem de Ponte *de potest. Proregis tit. 4. numer. 47.* & probatur, quia id cedit primò in bonum, & excellentiam Regis, tanquam capitis, cuius bonum, & excellentiam procurare debent vassalli, tributis si (vt *in 8. & 9. dubitat.* notabatur) commodè possunt, imò etiam (vt rectè dixit Luc. de Pen. *in leg. 1. Cod. vt rust. ad null. obseq.*) propriis sumptibus, in casu, quod redditus Regni non sufficiunt, ratio, quia iura Regni non patiuntur, vt

vt Rex magno cum dedecore, ob metum inimicorum relinquat Regna, quæ, vel iure hæreditario, vel bello iusto capta, ad ipsum spectant. Secundò, quia id cedit in bonum Monarchiæ, tanquam vnius totius, cuius bonum naturaliter appetit pars: bonum enim totius redundat in partem. Tertiò, quia id cedit etiam in bonum ipsius Regni, tanquam partis: nam expedit Regno habere Regem potentem cum multis Regnis: sic enim Rex timetur magis ab hostibus, & consequenter faciliùs seruat pacem, & tranquillitatẽ in Regno.

2 Confirmatur primò, quia expedit Regno arcere hostes à se, & longè à se illos habere, gerendo bellum in partibus longinquis, extra Regnum; vt rectè dixit Andr. *in capit. 1. §. sed nec est alia iustior, numer. 40. vers. quid ergò, quæ sit prim. caus. benefic. amitt.* Vide text. *in capit. 1. §. si verò contigerit, de non. for. fidel.* & Baldum *in cap. 1. qui bus caus. feud. amitt.* qui rectè subdit quod vbi est Rex irruens in hostes cum exercitu, ibi est territorium Regis: vide etiam Luc. de Pen. *in leg. 1. Cod. vt rust. ad null. obseq.* & hæc omnia eo magis locum habent, si Rex gerit bellum contra infideles: nam tunc cedit id etiam in bonum fidei, & Christianæ religionis, quæ est in superiori ordine ad ea, quæ suprà dicebantur.

Hinc patet ad illud, quod nonnulli 3 obiiciunt: relinquat Rex Flandriam, deserat Italiam, &c. vno suo antiquo Regno contentus; quod & sibi, & Vassallis, maiori erit vtilitati: nam Respondetur ex dictis, id non expedire Regi, nec Regis Monarchiæ, nec fidei, & Religioni Christianæ, nec etiam ipsi Regno, quod propter defensionem alterius Regni, ad eumdem Regem spectantis, grauatur.



DVBITATIO XV.

An Rex, cum possit propter bella, & sumptus, quos sustinet in vno Regno, grauare alia Regna, quæ habet, possit etiam grauare Regnum Neapolis, petendo ab hoc donatiuum, seu tributum.

SECTIO I.

Proponitur Dubitationis resolutio.

1 DE hac re agunt Capycius *in sua inuestit. in cap. feudorum clausula in ver. irrogatur autem pag. mihi* 118. Andr. *in tit. quæ sint regal. in ver. extraordinaria collatio num.* 61. Regens de Curtis *in 2. part. diuersor. iuris feud. cap. 3. num.* 148. & Molfes. *in summa tom. 2. tract. 12. cap. 22. num.* 63. qui tradunt, quod ad euitandam iniquitatem impositionum, quas immanis ille Federicus Imperator in his Regnis vtriusque Siciliæ imposuerat, intercessit inter Papàm Honorium (cum Regna hæc sint patrimonium B. Petri, & sedis Apostolicæ, vt post alios docet

docet Molfes. *tom. 1. ad consuetud. Neap. in proœmio, quæst. 3. num. 25.* Azorius *part, 2. moral. lib. 11. capit. 5. quæst. 4.* Restaur. Castald. *in tract. de Imperat. quæst. 53. num. 18.* & Regens de Ponte *de potest. Proreg. tit. 11. num. 26.* subdentes, quod cum Rex Regnum hoc habeat in feudum ab Ecclesia, nullo modo subsit Imperio) & Regem huius Regni capitulatio, quod solum in quatuor casibus sequentibus possit Rex gabellas imponere in aliis non, sine consensu Summi Pontificis, directi domini, qui Regnum concessit.

2 Primus casus est pro defensione Regni; contingat inuadi Regnum inuasione notabili, siue graui, non procurata, non simulata, non momentanea, siue transitoria facilè, sed permanente; aut si contingat in eodem Regno notabilis, siue grauis rebellio, quæ similiter non sit simulata, non procurata, non momentanea, siue facilè transitoria, sed permanens.

3 Secundus est pro Regis persona redimenda, si eam ab hostibus captiuari, contingat.

4 Tertius est pro militia sua vel fratris sui consanguinei, aut vterini, vel alterius consanguinei, vel alicuius ex liberis suis, cum se, vel huiusmodi fratrem suum, vel aliquem ex liberis, &c. decorabit cingulo militari.

5 Quartus est pro maritanda Sorore, simili coniunctione sibi coniuncta, vel aliqua ex filiabus, aut neptibus suis, seu qualibet alia ex genere suo, ab eo per rectam lineam, descendente, quam, & quando, ipse dotabit.

6 In his itaque quatuor casibus, provt casus imminentis qualitas tunc exiget, licebit Regi collectam imponere, & exigere à Vassallis; dummodò tamen pro defensione, inuasione, seu rebellione, aut ipsius Regis redemptione 50. millium, pro militia 12. millium, pro Maritagio verò 15. millium vnciarum auri summam collectæ vniuersalis per totum Regnum, tam vltra, quàm citra farum, quantitas non excedat; & concurrentibus in vno, eodemque anno pluribus ex quatuor dictis casibus, vna tantum in vno, eodemque anno collecta imponi possit.

In eadem capitulatione subduntur 7 hæc alia verba: *sicut autem collectis, quantitatem prædictas summas in suis casibus limitatas excedere (vt præmittitur) prohibemus, sic non permittimus indistinctè ad ipsas extendi, sed tunc tantùm, cum casus instantis qualitas id exposcit. & vt in prædictis etiam casibus possit Rex, qui pro tempore fuerit eò commodius vitare grauamina subditorum, quo vberiores fuerint redditus, & obuentiones ipsius, eum à donatione domaniorum volumus abstinere, id sibi consultius suadentes*: sic in capitulis Papæ Honorij.

Vbi aduerte, quod omnes prædicti 8 quatuor casus respiciunt publicam necessitatem, vel pietatem erga proprium Principem: licet enim de iure communi non sit præscripta causa, nec quantitas imponendi gabellas, omnes tamen hæ requirunt causam publicam (vt alibi dicebatur, & suo loco distinctiùs dicetur) v. g. vt imponantur pro bello contra infideles, hæreticos vel schismaticos; pro defensione Regni: pro redemptione Regis, vel filiorum eius, si in bello capti fuerint: pro aduentu Regis in Regnum, pro maritanda filia, vel nepti: pro constructione, vel refectione viarum, pontium, fontium, aut mænium, & similium: pro custodiendis pascuis communibus, vel similibus aliis publicis necessitatibus vide S. Th.

in

in epist. ad Ducissam Brabantiæ, S. Anton. Caiet. Sylu. quos refert, & sequitur Megalius 1. 2. *instit. confess. lib.* 2. *cap.* 17. *numer.* 39 Azor. *part.* 3. *instit. Moral. lib.* 5. *cap.* 23. Less. *de iust. & iur. lib.* 2. *capit.* 33. *numer.* 41. & 42. Vasquez *in opusc. de restit. cap.* 6. §. 1. *num.* 23. & *seqq* & Suar. *disput.* 21. *de censur. sect.* 2. *num.* 36. & 37.

Dices: Capitula Papæ Honorij abrogata esse per consuetudinem in contrarium. Respondere quis posset: nego antecedens, vt *infra* in Responsione ad tertium. Adde, quod Andr. *in cap.* 1. §. *sed nec est alia iustior, quæ sit prima caus. benef. amitt.* expresse habet, quod Capitula Papæ Honorij seruari consueuerint, in quantum scilicet sunt rationabilia, & allegentur ad id, quod est rationabile, vt *ibi* per eum *in* 1. *addit. col. fin. in princip.* quem allegat, & sequitur Camer. *pag. mihi* 84. *lit. F.* & Capycius *in sua inuest. ver. feuda pro dote vers. nec est omittendum*; & *in eadem sua inuest. in cap. feudorum clausula, ver. irrogatur autem*, dicit, quod casus collectandi in Regno sunt limitati per Capitula Papæ Honorij, & extra illos non potest aliquo modo collectari: idémque docet Andr. *in tit. quæ sint regal. ver. extraordinaria collatio num.* 62. vbi etiam dicit, quòd Capitola illa Papæ Honorij fuerunt condita ad tollendos malos abusus, & iniquas leges Federici Imperatoris, & ad releuamen Regni, & rectè dixit Andr. & sic in bonum Regnantis: quia bonum Regni redundat in bonum Regnantis: sicut, & malum Regni redundat in malum Regnantis: destruere enim Regnum est Regem ipsum destruere, cum vires Regis non insidant, nisi in viribus Regni, sicuti alibi *suprà* diffusè dicebatur.

9 Adde primò, quòd extat apud Regentem Moles. decisio Cameræ, eáque confirmata, tanquam vera, & iuridica à Catholico Philippo II. quod non teneatur Regnum Neapolis, vt pote diuisum ab aliis Regnis, quæ Rex noster habet, subministrare Regi, vt ipsi defendantur cætera Regna.

Adde secundò, quod quantum spectat ad Ciuitatem, extant capitulationes, & priuilegia concessa à magno Capitanio *in capit.* 27. & confirmata à Rege Catholico Ferdinando *in capit.* 32. sub ista forma: *che la Citta di Napoli per qualsiuoglia causa non possa esser astretta à pagamento alcuno de noua impositione, de impronto, donatiuo, ò pagamento, s'imponesse per il Rè, Vicerè, Locotenente, Capitaneo, seu officiale suo ex quacumque causa vrgente, & vrgentissima, etiam si fuisse pro statu Reipublicæ, & totius Regni conseruatione atteso la sua grande inopia, & prouerta*: idem habetur *in cap. Regn. incip. statuimus, mandamus, & volumus in fin.* vide Regentem de Ponte *tit.* 2. *num.* 7. & 8. *fol. mihi* 48. vbi affert aliud capitulum concessum per Regem Ferdinandum primum: quod Ciuitas non possit obstringi, non solum ad donandum, sed nec etiam ad mutuandum, sub istis verbis: *che S. Maestà prommetta non sforzare, ò vero astringere alcun cittadino della detta Citta per via d'impronto, ò qualunque essattione & in tit.* 4. *de regal. imposition. num.* 33. docet, quod licèt Ciuitas interueniat in parlamento, tamen dum tractatur de donatione facienda Regi, non interuenit, nec habet votum: idque ex eo, quia ipsa non donat, & est immunis ab hoc, suorum priuilegiorum vigore: & sic seruatur in praxi: sic ille. 10

Hæc autem priuilegia, & capitula, quum Regno constent ingenti sangui- 11

ne,ne dum ingenti pecunia, & sic quum remuneratoria sint:atque adeo per modum contractus ad inuicem obligantis habita, totiésque iurata, de rigore iustitiæ seruanda sunt, præsertim quia Reges in quamplurimis donatiuis acceptis priuilegia illa seruare promiserunt, quapropter si modò non seruant, restituere donatiua illa in conscientia tenentur, sicuti dixit Molina *de iust.& iur.tom.* 3. *disp.* 667. *num.* 7.præsertim, quia donatiua prædicta, sub ista cōditione data fuere; & de ratione actus conditionalis est, vt conditione ruente ruat & ipse actus, qui sub conditione gestus est.

SECTIO II.


Proponuntur, & soluuntur difficultates contra Dubitationis resolutionem positam.

1 OBiicies primò, potest Rex propter bella, & sumptus, quos sustinet in vno Regno grauare alia Regna, quæ habet, vt *in dubitatione antecedenti* dicebatur: ergo & Regnum Neapolis. Respondere quis posset: nego Consequentiam, & disparitas patet ex dictis.

3 Obiicies secundò: contingere potest, quòd Rex, vt defendat aliquod Regnum, re vera indigeat, & sic opus habeat grauare Regnum Neapolis: ergo saltem in tali casu poterit illud grauare. Respondere quis posset: nego Consequentiam; sed ex dictis potius in tali casu grauare debet alia Regna, quæ habet; quod si in dicto casu Regna illa vires sufficientes forsan non habent, & Regnum Neapolis ex alia parte abundat, recurrat Rex ad Papam directum dominum, qui talem licentiam præstet ad talem finem.

Obiicies tertiò, quòd Rex, vt defendat cætera Regna, grauet etiam Renum Neapolis, est consuetudo longa,& antiqua, quam summus Pontifex scit,& tolerat: ergo saltem implicitè consentit in illam. Respondere quis posset: 3
tolerat, distinguo, tolerat tolerantia approbatiua, nego, tolerantia permissiua, ad euitanda scilicet maiora mala, & inconuenentia, concedo: ergo implicitè consentit in illam, nego Consequentiam, præsertim quia singulis quibusque annis in Bulla Cœnæ expresse reclamat, annullando omnia priuilegia, consuetudines, & præscriptiones, tanquam corruptelas quasdam contra Ecclesiam introductas;atque ita habet Rota *in antiquis decis.*10.*de consuet.* Surdus *tom.*3.*cons.*301.*num.*58.Peregr.*de immunit.Eccles.cap.*2.*num.*34.Castrus Palaus *tom.* 2. *disp. vnica de immunit. Eccles. punct.*12.*num.*3. Lotherius *de re beneficiaria*, *lib.*3.*quæst.*33.*num.*19. Suarez contra Regem Angliæ *lib.* 4. *cap.* 32. *num.* 11. Duard. *in Bulla Cœnæ*, *lib.*2. *can.*19.*quæst.* 8. *num.* 25. Fagnus *in respons.pro cens.Pauli V.fol.* 119. cum de Ponte *in respons.pro cens.Pauli V.fol.*11. *&* 45 Anton.Bouius *in respons.pro cens. Pauli V.part.* 4.*ad arg.* 11. *&* 12. Cochier. *de libertate Eccles.part.* 2. *cap.* 3. *num.*8.& Collegium Bononiense *in respons. pro libertate Eccles.num.*57. Vide quæ dicebantur *dubit.* 4.*sect.*19.*subsect.* 3.*&* 4. Vide etiam, quæ *infrà* dicentur *dub.*27. ac tandem vide Bullam Vrbani VIII. super præseruatione iurium Sedis Apostolicæ, & inferiorum Ecclesiatum, personarúmque Ecclesiasticarum, à quibuscunque præiudicialibus, quæ incipit: *Romanus Pontifex.*

DVBIT



DVBITATIO XVI.

An Rex, cum posit propter bella, & sumptus, quos sustinet in vno Regno, grauare alia Regna, posit etiam grauare Regnum Siciliæ, petendo ab illo donatiuum, & tributum.

1 VIDE, quæ *in præcedenti dubitatione* dicebantur, vide etiam *cap. 3. & seq. Regis Iacobi*, vbi dicitur, quòd Rex in aliquibus certis casibus solùm possit imponere Siculis tributa: vnde dari potest casus, quòd possit iustè Rex imponere tributa in aliis Regnis, & non possit in Regno Siciliæ, ex iure scilicet municipali: nam si posset Rex (vt rectè notauit Loritius *respons. 1. part. 3. num. 34.*) imponere Siculis tributa, iuxta terminos iuris communis, concessio illa Regis Iacobi, & aliorum Regum, nullam tribueret Siculis immunitatem contra dictorum Regni Capitulorum mentem, & rationem finalem, quæ fuit propter benemerita alleuare Siculos ab onere noui tributi, exceptis quatuor casibus, qui in prædictis Capitulis enumerantur: inter quos est, quòd possit Rex imponere Siculis tributa pro defensione Regni, si contingat illud inuadi inuasione notabili, siue graui, non tamen simulata, nec procurata, vel transitoria, quod Gloritius *in loco suprà cit.* explicat in casu inuasionis, non solùm actualis, sed etiam potentialis, quamuis proximæ, non remotæ. In aliis autem casibus est interdicta in Regno Siciliæ indictio noui vectigalis, pro quacunque causa, etiam vrgentissima.

Vbi aduerte, quòd quamuis Regens de Neapoli *in allegat. pro vectig. serico, fol. mihi 55.* & Consultor de Matuta *in respons. pro suprà dicta gabella, fol. 17. & 18* explicent contra Gloritium verba illa Regis Iacobi magis amplè: tamen quidquid sit de ista explicatione, an sit vera, illud vtique dicendum est; quod minus rectè Manus Muta *in exposit. suprà dicti cap. Regis Iacobi, num. 6.* extendit verba illa ad inuasionem, non solùm passiuam, sed etiam actiuam, si scilicet Rex iustè moueret bellum contra alium Regem: nam præterquam quod talis extensio est contra mentem, & verba Regis Iacobi, destruit etiam priuilegium ipsum Iacobi: vnde dicendum, quòd licèt in casu de inuasione actiua posit Rex iustè imponere tribu- 2

ta in aliis Regnis, non tamen potest iustè in Regno Siciliæ, propter priuilegia scilicet *in suprà dictis Capitulis* illi concessa.

Dices cum Santoro Baua *in resol. pro tract. Salis fol.* 12. & 14. stare Regem, & permanere in quasi possessione recedendi quandocunque à promissis, & practicatis in Capitulis Regni: at hoc omnino dicendum non est, quia alioquin nemo amplius pactitaret cum Rege, præsertim in Comitiis, seu Parlamentis Generalibus. Adde, quod id cederet etiam in magnum dedecus Regis: & præterea est contra dictamen rationis naturalis: quamuis enim Rex solutus sit à iure positiuo, non tamen solutus est à iure naturali. Vide, quæ dicebantur *in dubitatione quarta, sect.* 3. & 4. *seqq.* Vide etiam Bellugam *in specul. Principum, rubr.* 11. *num.* 15. & *Ramonij part.* 1. *consil.* 24 *num.* 81.

Confirmantur, quæ *suprà* dicebantur, quia Regnum Siciliæ non est bello, impensis, & industria Regis (sicut cætera Regna) vindicatum ex inimicis; sed sponte, & voluntariè Serenissimo Regi D. Petro in potestatem se tradidit, vt docet Valdesius *de dignit. Reg. Hisp. c.* 17. *n.* 7. *in fin.* ergo non est, sicut cætera Regna, vectigalibus, & oneribus onerandum. Vide Caputum *in tract. de regim. Reipubl. cap.* 7. §. 27. *num.* 2. & Vasquez *de restitut. cap.* 6. §. 3. *dub.* 1. *num* 9. vbi loquens de aliquibus Hispaniarum Regnis, quæ vectigalibus sunt valdè grauata, sic ait: *animaduertendum est, Regna hæc labore, & industria Regum ab inimicis fidei in libertatem fuisse olim vindicata: propter quod & maiorem tenemur gratiam rependere eis, quorum progenitores inimicos nostros profligarunt:* hæc Vasquez, quæ de Regno Siciliæ dici non possunt: ergò &c.

Difficultates, quæ hic fieri possent, tactæ sunt *in dubitat. præcedenti.*

DVBITATIO XVII.

An possit Rex (præciso iure municipali) ex iusta, & rationabili causa imponere tributum in Regno sine consensu Regni, seu non conuocato Regno per procuratores, & sic illis non consentientibus, & acceptantibus tributum.

SECTIO I.

Proponitur Dubitationis resolutio.

1 RESPONDEO affirmatiuè: atque ita docent cōmuniter DD. contra nonnullos, vt *infrà* probatur, quia si qua ratio esset, quare talis conditio id est, consensus Regni, requiratur, ad hoc, vt tributum sit iustum, & exigi illud possit, illa est, quia sic exigit ius naturale, vel gentium, vel positiuū, sed nullum horum dici potest, ergò. Maior patet: Minor quoad primam partem

partem probatur, quia constitutio Regnorum, & potestas Regum non est immediatè de iure naturali: sed mediante concessione populorum, vt per se patet: ergò amplitudo, vel restrictio potestatis circa ea, quæ per se mala, vel iniusta non sunt, non potest esse de iure naturali, sed pendet ex arbitrio hominum, & ex antiqua conuentione, vel pacto inter Regem, & Regnum; at potestatem ad imponendum tributum intra limites iustitiæ residere in solo Principe, non est intrinsecè malum, aut contra bonos mores: nec quod requiratur consensus populi, est per se necessarium ad iustitiam, & æquitatem tributi: ergò neque illud prius est contra ius naturæ, neque hoc posterius est de iure naturæ.

Dices hoc esse magis conueniens populis, & Regno: ergò, &c.

Respondetur primò transeat Antecedens, at nego Consequentiam; quia ex maiori conuenientia non benè colligitur necessitas præcepti naturalis.

2 Respondetur secundò, quod assumitur non esse certum: nam si coniecturis, & congruentiis vtimur, possunt facilè pro vtraque parte coniecturæ, & congruentiæ afferi: Monarchia etenim potest vtroque modo constitui, vel ita vt Princeps in condendis legibus pendeat à consensu populi, aut Senatus, tanquam ab habentibus suffragium definitiuum: vel ita, vt potestas simpliciter sit in solo Principe, licèt vti debeat consilio suorum; qui modus est magis consentaneus regimini Monarchiæ, & magis vsitatus, satisque consonus prudentiæ, & iustitiæ, & conuenienti regimini, & obedientiæ subditorum, vt communiter Doctores *in materia de legibus*: ergò si hæc potestas dari potest solis Regibus in aliis legibus ferendis, etiamsi grauissimæ illæ sint, dari etiam etiam poterit in legibus tributorum: atque adeò iuri naturæ non repugnabit.

Confirmatur, quia Princeps supremus non indiget consensu populi ad inducendum bellum, neque ad reficiendos pontes, vias, castra, mænia, &c. ergò ex natura rei non est necessaria populorum acceptatio in tributorum impositione; quia hæc propter has causas præcipuè fieri consueuit. 3

Confirmatur secundò, quia Monarchia integra, & perfecta, non est (vt per se patet) contra ius naturæ; sed Monarchia, integra, & perfecta non est, nisi habeat potestatem plenam ad imperanda tributa iusta; quia quantum pendet in hoc à consensu Regni, tantum deficit à perfecta Monarchia; tum quia si in hoc pendet à consensu Regni, Consequens est, vt etiam pendeat in omnibus aliis, quæ fieri non possunt sine tributis: ergò Monarchia cum tali potestate non potest esse contra ius naturæ; ac proinde neque illa conditio, seu dependentia Regis à consensu Regni in imponendis tributis, potest esse de iure naturæ. 4

Quoad secundam partem probatur minor per easdem rationes: quia eædem rationes idem conuincunt, de iure gentium, & eò magis, quia creatio Regum & potestas eorum non est de iure gentium, sed est potius de iure ciuili, vel nationali vniuscuiusque Regni, vel Prouinciæ. Vnde licèt in communi dici possit esse de iure gentium diuisio Regnorum, Ciuitatum & Magistratuum, aut regiminum, modus tamen constituendi regimen, vt per plures vel pauciores; aut per vnum, cum tanta, vel maiori potestate, & cum his, vel illis conditionibus, non est de iure gentium, sed potius de 5

de iure proprio ſingulari communitatum: & à principio introductus fuit, aut ex pacto voluntario, aut ex iuſto bello, aut ex conſuetudine: ergo non poteſt hæc neceſſitas fundari in iure gentium.

6 Quoad tertiam partem probatur: quia poteſtas imponendi tributa, tam in iure canonico, quàm in ciuili conceditur ſimpliciter Imperatoribus, Regibus, & Principibus ſupremis, qui illis æquiparantur, & nulla limitatio additur, neque Regni conſenſus poſtulatur: ergo illa conditio non ſolùm non poteſt fundari in iure poſitiuo communi, ſed potius illi repugnat: quia prædictum ius ſimpliciter loquitur; & ius, niſi iure alio, vel ratione cogente, limitari non debet: hinc Doctores, qui illa iura interpretantur, abſolutè docent eſſe in Principe hanc poteſtatem, nulla facta mentione conſenſus populi; ſic Innoc. & Panormit. *in cap. ſuper quibuſdam, de verbor. ſignificat. & in cap. innouamus, de cenſibus.* Bartol. & alij ciuiliſtæ *in l. vectigalia, ff. de public. & vectig. in l. 1. & 2. Cod. noua vectigal.* &c. & *in l. vnic. ff. ad legem Iuliam de ambitu:* ſic etiam ex Theologis Medina *Cod. de reſtit. quaeſt.* 13. Alphonſus à Caſtro *lib. 1. de lege pœnali, cap. 9.* Leſſius *lib. 2. cap. 33. dub. 1.* Layman *lib. 3. tract. 3. part. 1. cap. 3.* Baſilius Pontius *in tract. de impediment. matrimonij cauſa 31. quaeſt. 2. §. 11.* & *in 1. part. variarum diſput. relect. 1.* & alij paſſim.

7 Confirmatur à pari, quia (vt *in Dubitatione* 13. dicebatur) poteſt Epiſcopus ex iuſta & rationabili cauſa petere ſubſidium charitatiuum à Clericis independenter à conſenſu eorum. Ergo ſic, &c. in caſu noſtro.

SECTIO II.


Proponuntur, & ſoluuntur difficultates in oppoſitum.

Obiicies: ſi poteſtas imponendi tributa non eſſet in Regibus reſtricta, ita vt tributa illi imponere non poſſint ſine conſenſu Regni, facilè poteſtas Regum vergeret in Tyrannidem, vel certè in notabile incommodum, & grauamen populorum, ergò &c. Antecedens probatur, quia Reges valde propenſi ſunt ad imponendas ſubditis huiuſmodi exactiones; vnde ſi ſua ſola poteſtate tributa poſſent imponere ſine conſenſu Regni, plus iuſto populos grauarent. Ergo, &c. 1

Reſpondetur, quod prædicta incommoda, ſi, quando ſequuntur, ſequantur, non ex defectu modi regiminis perfectè Monarchici, qui per ſe eſt ſatis expediens, ſatiſque conſonus prudentiæ, & iuſtitiæ, & conuenienti gubernationi, & obedientiæ ſubditorum, vt *ſupra* dicebatur, ſed potiùs ex defectu Regentis, quod eſt totum per accidens. 2

Dicendum itaque eſt, quòd Rex ex iuſta & rationabili cauſa poſſit, iure municipali præciſo, imponere tributum ſuper Regnum, ſine conſenſu ipſius Regni, & ſic non conuocato per Procuratores ad conſenſum, & concluſionem tributi ipſo Regno. Quod tamen intellige ſuppoſitis viribus Regni, & aliis requiſitis, quæ *in octaua & nona Dubitatione* aduertebantur.

DVBI



DVBITATIO XVIII.

An si adsit iusta causa præbendi donatiuum, vel tributum, & Vassalli, vel Parlamentarij præbere recusent, possit Rex, vel etiam Prorex per vim & metum illud ab ijs extorquere.

1 RESPONDETVR affirmatiuè, & ratio est, quia in tali casu sic exigit bonum commune, quod semper attendendum est, & præferendum bono particulari, præsertim cùm particulare bonum includatur in communi: quapropter si in tali casu Vassalli, vel Parlamentarij donatiuum, aut tributum Principi dare recusent, irrationabiliter sunt inuiti, ac proinde ad illud præbendum à Rege, vel Prorege meritò cogi poterunt: atque ita docet Less. *lib. 2. de iust. & iur. cap. 33. dub. 6.* vbi ait, quod iusta, & legitima causa imponendi tributum, vel vectigal, est necessitas publica, cui aliter commodè succurri non potest, vt si quid, v. g. necessarium sit ad stipendia militaria, ad reparationes Vrbium, &c. vel aliter sit ad bonum publicum valdè expediens (quo etiam spectat status Principis sustentatio: nam & hæc ad bonum publicum pertinet) ratio autem horum omnium est, quia sicut Principis est populum regere, ius dicere, hostes arcere, tranquillitatem, & prosperitatem temporalem totis viribus procurare, ita vicissim populi est sumptus necessarios ad hæc subministrare: vnde poterit à Principe, si quis sit, ad id populus cogi. Ita etiam docet Suarez *lib. 5. de legibus, cap.* 17. vbi ait, quod non est in arbitrio Procuratorum suum consensum non præstare, si iustitia tributi, eiúsque necessitas nota sit: tunc enim consentire tenentur, sicut è contra tenentur resistere; quando iniustitia tributi est manifesta, vel quando ex multitudine tributorum tam grauiter onerantur populi, vt iusti stipendij, & auxilij Principi debiti æquitatem excedat. Ita etiam docet Pontius *in tract. de impedim. matrimonij, casu* 31. *quæst.* 2. §. 11. vbi asserit concessionem vectigalium, aut noui tributi, quæ Comitiis coactis fieri solet, etiamsi extorqueantur metu reuerentiæ, aut metu quouis alio graui, valere in conscientia, nec Principem obnoxium esse restitutioni: illa enim concessio non pertinet ad liberalem donationem, atque adeo non exi-

git plenum voluntarium; quia huiusmodi tributa Regi conceduntur, vt Regnum tueatur, & Regni hostes debellet, aliisque publicis necessitatibus subueniat. Vnde etiam fit, quod neque iure positiuo sit ea concessio irrita: imò si causæ, quæ ad exigendum tributum requiruntur, sunt verè iustæ, & aliter illis necessitatibus commodè subueniri non potest, non peccat Princeps vim inferendo Procuratoribus Regni: non enim ea vis, aut metus iniustus esse potest, si causæ exigendi tributa iustæ sunt: quod multò magis locum habet, si vectigalium impositio non dependeat ex populi consensu, vt aliqui arbitrantur, & nos *suprà* aduertebamus *in præcedenti dubitatione*.

2 Hæc tamen, quæ modò dicebantur, vera sunt, si causa exigendi donatiuum, vel tributum iusta sit, non solùm in ordine ad necessitatem Regis; sed etiam in ordine ad vires Regni, vt toties supponebatur *in præcedentibus dubitationibus*; necessitas enim Regis (vt rectè aduertit Vasq. *in opusc. de restitut. cap. 6. §. 1. dub. 2. num. 28.*) attendi semper debet in ordine ad vires Regni; quia Rex est propter Regnum, & non è contra, ad differentiam Tyranni, vt alibi dicebatur.

Confirmatur à pari, quia si adsit 3 iusta causa præbendi subsidium charitatiuum, & Clerici præstare recusent, potest Episcopus illos ad illud compellere per censuram excommunicationis (sicuti *in dubitatione* 13. dicebatur) ergo sic &c. in casu nostro: vtrobique enim militat eadem ratio.



DVBITATIO DECIMANONA.

An si adsit iusta causa præbendi donatiuum, vel tributum, & Parlamentarij dare illud recusent, prætextu pacti, vel priuilegij alicuius à Rege obtenti, poßit Rex, vel etiam Prorex, his non obstantibus, per vim & metum tributum ab illis extorquere.

SECTIO I.

Proponitur Dubitationis Resolutio.

1 ESPONDEO affirmatiuè; & ratio est quia si non obstante tali pacto, vel priuilegio à Rege obtento, adest iusta causa præbendi donatiuum, vel tributum, exigit bonum commune, vt donatiuum, vel tributum à Vassallis tribuatur, ergò, &c.

Confirmatur primò, quia cùm, non 2 obstante tali pacto, vel priuilegio à Rege obtento, sic exigat bonum commune, (quod præferri semper debet priuato)

priuatò) Vassalli sunt irrationabiliter inuiti, ergò, &c.

3 Confirmatur secundò, quia si adest iusta causa præbendi Episcopo subsidium charitatiuum, potest Episcopus, non obstante pacto, vel priuilegio in oppositum obtento, clerum ad illud præbendum per censuras compellere, quinimò nequit Episcopus in tali casu tale pactum, vel priuilegium Clero confirmare, vel primò concedere, vti habet communis opinio Doctorum *in capit. cum venerabilis de censibus*, Bellencini *de charat. subsidio, quæst.* 47. Azorij *tom.* 2. *lib.* 11. *cap.* 14. *quæst.* 7. & aliorum, & ratio est, quia tale pactum, & priuilegium in tali casu cederet in detrimentum Ecclesiæ, ergò sic, &c. in casu nostro.

4 Confirmatur tertiò, quia priuilegium, quotiescumque cedere incipit in graue detrimentum communitatis, ideòque per rerum mutationem fit iniquum, per se ipsum cessat vel certè à priuilegiante potest reuocari, sicuti colligitur *ex cap. suggestum. de decimis*, vbi propterea Doctores docent reuocari priuilegium exemptionis decimarum, si postea in Ecclesiæ detrimentum vergere incipiat: sic etiam colligitur *ex cap. cum ad hoc de Clericis non residentibus:* vbi habetur, quod si Ecclesia patiatur defectum Ministrorum, priuilegiati super non residentia compelli possunt ad redeundum, fructuum subtractione, ergò, sic, &c. in casu nostro.

5 Confirmatur quartò authoritate Doctorum: nam Suarez *lib.* 5. *de legibus, cap.* 17. expresè docet, quòd etiamsi Regno concessio aliqua facta sit à Regibus, illáque moribus sit confirmata, vt tributum non imponatur sine consensu Regni, adhuc ad illud tribuendum Vassalli cogi possint: si iustitia tributi, eiúsque necessitas nota fuerit: & Pontius *in tract. de impedim. matrimonij, causa* 31. *quæst.* 2. §. 11. ait, quod si causæ, quæ ad exigendum tributum requiruntur, sunt verè iustæ, & aliter illis necessitatibus commodè subueniri non potest, possit Princeps Procuratoribus Regni vim, & metum inferre; quod eò magis (inquit) ipse verum est, si vectigalium impositio ex populi consensu non dependet: vbi clarè insinuat quòd possit etiam Princeps vim, & metum Regni Procuratoribus inferre in casu, quo Vectigalium impositio per concessionem priuilegij, vel per pactum à consensu populi dependeat. Vide Bellugam *in speculo Princip. rubr.* 11. §. *his igitur, num.* 5. vbi ait, quòd licèt deceat, priuilegium Principis esse mansurum, Principis tamen (præsertim si sic exigit bonum commune) prærogatiua est, contrauenire, vel reuocare priuilegium concessum; & citat gloss. *in regula, decet de regulis iuris, lib. sextò* idémque docet *in rub.* 46. §. *donum appellatur, num.* 7. *& seqq. vsque ad finem.* Vide etiam Ioan. Bolognettum *consil.* 1. *per totum*, Franciscum Bursat. *consil.* 16. *&* 19. *vol.* 1. Simonem de Pretis *consil.* 170. *volum.* 1. Roland. à Valle *consil.* 100. *num.* 61. *volum.* 4.


Hæc tamen, quæ dicebantur, intellige, si supponantur vires Regni, & cætera requisita, quæ *in* 8. *&* 9. *dubitation.* aduertebantur.

SECTIO II.

Proponuntur, & soluuntur difficultates in oppositum.

1 OBiicies, si Responsio nostra esset vera, sequeretur, quòd Rex propter bella, & sumptus quos sustinet in aliis Regnis, posset (si indiget) per vim & metum grauare etiam Regnum Neapolis, & Siciliæ, non obstantibus iis, quæ *dubitatione* 15. & 16. dicebantur, sed hoc est falsum, vt *ibi*, ergo, &c.

2 Respondeo: nego Sequelam maioris: nam cùm modò dixi, quod si adest iusta causa præstandi donatiuum, vel tributum, & Vassalli recusent illud præstare, prætextu pacti vel priuilegij alicuius à Rege obtenti, possit Rex, non obstante hoc, per vim, & metum à Vassallis illud extorquere, intelligitur in ordine ad vnum atque idem Regnum: itaque breuiter dico, quod Rex, si indiget ad defendendum aliquod Regnum debet primò grauare illud idem Regnum; secundò si illud non est potens amplius grauari, debet grauare Regna, quæ ne grauentur, priuilegium non habent; tertiò si & hæc amplius grauari non possunt defectu virium, licet forsan, & Regna, quæ priuilegium habent ne grauentur, grauare possit, propter ea, quæ *in dubit.* 14. dicebam, debet tamen illa (si in feudum habet) grauare cum consensu directi domini, saltem in casibus, in quibus directus dominus illa grauari à ptincipio non concessit, iuxta ea, quæ *in dub.* 15. & 16. *cit.* dicebantur.



DVBITATIO XX.

An, si adsit iusta causa prabendi donatiuum, vel tributum, & populares onus talis tributi sustinere non poßint, poßit Rex Regni Barones ad aliquid grauare.



RESPONDEO de rigore negatiuè: & ratio est, quia Regni Barones (de qua re videri potest Andr. *in cap.* 1. §. *fin. de pac. iur. fir.*) alia onera sustinent, & tenentur præterea ad seruitium militare, ergò &c. Atque ita ex communi docet Valenzuela *consil.* 99. *num.* 63. vbi subdit, quod suasionibus, & aliis mediis suauibus deberet Rex inducere illos ad contribuendum in tali casu; in quo ex conuenientia quadam tenentur Barones aliquid Regi contribuere, sicuti rectè notauit Sotus *lib.* 3. *de iustit. & iure, quæst.* 6. *art.* 7. vbi ait, quod non ideo de

de iniustitia est arguendum tributum, quia nobiles etiam comprehendit: nam cum plebs reliqua potens non est tam immodicos sumptus ferre, æquitas fert vt Nobilium auxilio eleuetur. Vide etiam Andr. *in cap.* 1. §. *sed. nec est alia instior, num.* 40. *vers. quid ergo, quæ sit prim. caus. benef. amitt.* Baldum *in cap.* 1. *quibus caus. feud. amitt.* Luc. de Pen. *in l.* 1. *Cod. vt rust. ad null. obseq.* & Regentem de Ponte *de potest. Prorog. tit. de regalib. imposit. num.* 4. 5. 35. & 47.



DVBITATIO XXI.

An possit Rex grauare etiam exteros.

SECTIO I.

Proponitur dubitationis Resolutio.

1  ESPONDEO negatiuè & ratio est clara, quia tributum præstare, est signum subiectionis, sicuti indicat Apost. *ad Rom.* 13. datur enim Principi, vt bene statum Reipublicæ tueri possit: sed hoc interest tantum iis, qui sunt membra eiusdem Reipublicæ, ergò, &c.

2 Aduerte tamen, quod in aliquibus casibus ab exteris etiam, ac non subditis, indirectè, & per accidens exactio tributi fieri solet: nam primò qui merces in Regionem inuehunt, coguntur vectigal soluere; quamuis hæc exactio secundùm effectum, & realiter in subditos redundat, quia ipsis tanto carius postea merces venduntur, sicuti rectè notauit Mol. *tom.* 3. *priore disput.* 669. Secundò, si tributum, vel similis exactio imposita sit super vino, frumento, aliisque fructibus, & Mercibus, quæ in tali Regione venduntur, tunc extranei, seu non subditi, indirectè etiam grauantur; vt si ibi emere velint, pari cum incolis & subditis iure vtantur, emendo scilicet secundum pretium consuetum, sicuti notauit Sylu. *ver. immunitas*. 1. *in fin.* & Mol. *loc. suprà cit.* Tertiò exteri, qui merces ex Regione euehunt, soluere coguntur tributum, gabellam, seu vectigal, partim propter ius negotiationis, quod ipsis in aliena terra conceditur, partim propter expensas pontium, viarum, & securitatis præstandæ obligationem, quæ domino loci incumbit, sicuti dixit Sylu. *ver. gabella* 3. *num.* 18. & 19. Mynsing. *cent.* 5. *obseruat.* 70. & Armilla *ver. gabella num.* 12. vbi rectè monet, quod huiusmodi vectigalia, necesse est, moderata esse, vt iusta sint.

Hinc communiter docent Doctores, Caiet. *vers. vectigalia iniqua propè finem*, Angel. *verb. pedagium*. §. 6. Syl. *verb gabella* 3. *numer.* 16. Armilla *verb. gabella etiam, num.* 3. Less. *lib.* 2. 3

cap. 33. *dub.* 2. *num.* 15. discrimen esse inter collectam, & tributum, vectigal, seu gabellam; quod collecta subditis tantùm imponitur, occurrente aliqua publica necessitate, qua cessante, etiam collecta cessare debet, tributum autem, gabella, seu vectigal, tam ab exteris, quàm à subditis, exigi solet, & plerumque ordinariam, ac permanentem exactionem retinet.

4 Hinc etiam aliud discrimen oritur, quælibet Ciuitas, seu Communitas subiecta, & Principem recognoscens, non potest de nouo tributum, seu vectigal sine Principis consensu imponere, aut impositum augere, potest autem sine consensu Principis, cui subest ob iustam necessitatem, & publicum bonum (vt ad reparationem mœnium, pontium, viarum, &c.) imponere subditis collectam: dummodò exteri, & Clerici excludantur, & id fiat per comitia, ad quæ omnes ciues, vel Decani à Ciuibus deputati, possint conuenire: quia hæ collectæ non debent esse coactæ, sed liberè, Communitas debet in eas consentire, suffragiis maioris partis, vel duarum tertiarum, vel prout aliter fuerit consuetudo locorum.

5 Hinc etiam potest Episcopus cum consensu Capituli in Ecclesiis sibi pleno iure subiectis collectam imponere ad reparationem Ecclesiarum, & necessaria Ministrorum alimenta, quando aliter his prouidere n[illegible]test: quia cum sit Princeps sacro[illegible]n in sua Ecclesia particulari, sicut Pontifex in tota Ecclesia vniuersali, habet in temporalibus eam potestatem, quæ ad bonum spirituale in sua Ecclesia particulari conseruandum, & promouendum, fuerit necessaria, nisi à Pontifice limitata fuerit.

Sed, vt quæ dicta sunt, magis elucescant, sit.

SECTIO II.

Proponuntur circa Dubitationis resolutionem positam Aduertenda quadam.

Aduerte primò, quòd Communitas, sicut, & quilibet alius Princeps, superiorem recognoscens, ita non potest sine consensu, seu assensu Regis, vel Proregis tributum, gabellam, seu vectigal imponere, aut augere, vt sine tali assensu impositio, aut auctio sit nulla, & imponentes aut augentes incidant in censuram sextam Bullæ cœnæ, in quam etiam incidunt, imponi, aut augeri prohibita exigentes, sicuti *ibi* legere est; quod magis locum habebit, si gabella exigatur ab exteris, & Clericis, de qua re Caiet. *in verb. excommunic. capit.* 71. Syl. *verb. gabella* 1. §. 7. Tabien. *verb. pedagium* §. 1. Nauarr. *in summa cap.* 27. *num.* 61. Suar. *de censuris disput.* 21. *sect.* 2. *num.* 41. Abbas, & alij, quos refert, & sequitur Sayr. *lib.* 3. *de censur. capite* 9. quapropter similis gabella, sine consensu Principis imposita vel aucta, reuocari consueuit in Regno Neapolis per regiam Cameram summariæ, ac sacrum collaterale Consilium, ad instantiam etiam cuiuscumque ciuis particularis. 1

Quod si assensus Principis interueniat, quamuis subreptitius (vt quia in supplicatione non fuit expressum verum; vel fuit narratum falsum) atque adeò nullus, vtpotè subreptitiè impetratus, (sicuti habetur *in cap. gratiosè, de rescript.* 2

& docet Mascard. *in tract. de probat. conclus.* 846. Fab. de Ann. *consil.* 114. Sanchez *de matrimon. lib.*8. *disput.*21. Couatruu. 1. *resolut. cap.*20. Guttierrez *lib.* 1. *cap.* 15. *& lib.* 2. *cap.* 15. & alij multi, quos refert, & sequitur Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 22.) quamuis aliqui, inter quos Molfesius *in summa tom.* 2. *tract.* 12. *cap.* 22. *num.* 54. arbitrentur, quod in tali casu non contrahatur prædicta censura bullaris Cœnæ Domini; sed solùm quòd imponentes peccent mortaliter cum onere restituendi, quod exegerunt: contrarium tamen ob rationem *suprà* tactam dicendum est: nam cùm assensus subreptitiè impetratus sit nullus, vt *suprà* dicebatur, moraliter idem est, ac si à principio non interuenisset. Ergo, &c.

3 Aduerte secundò, quod non contrahitur prædicta censura bullaris Cœnæ, nec etiam committitur peccatum si per modum talliæ, seu collectæ (etiam sine assensu Principis) impositio fiat inter ciues solùm, ex aliqua iusta causa, vt ad reparationem pontium, viarum, mœnium, ad soluenda debita contracta, ad custodiam Ciuitatis ratione belli, vel bannitorum, &c. Ratio, quia in his casibus alioquin licitis, liberè ciues sibimetipsis grauamen imponunt: at quilibet est rei suæ moderator, & arbiter. Ergo, &c. atque ita docent mox *infrà* citandi Doctores.

4 Requiritur tamen primò in tali casu, quòd præter iustam, & rationabilem causam imponendi dictum grauamen, impositio fiat per Comitia, nempe conuocato Concilio Ciuium, & liberè (vt *suprà* dicebatur) Ciues in illud consentiant; omnes scilicet, & singuli, vel saltem maior pars Ciuium, iuxta consuetudinem locorum: in Comitiis enim maior pars consueuit trahere minorem, qua de re vide eosdem Doctores, quos mox *infrà* citabo.

5 Requiritur secundò, vt iusto modo imponatur, id est, non oneretur plus pauper, quàm diues; quia iustitia exigit, vt qui plus habet, plus ab eo exigatur per æs, & libram, vt dici consueuit: item quod duret tandiu, quandiu durat finis, propter quem est illud impositum; nisi finis alius æqualis successerit: atque ita docent Doctores iidem mox *infra* citandi.

6 Requiritur tertiò, vt non exigatur ab exteris, & Clericis, vt *supra* etiam dicebatur, & docent Caiet. *in verf. vectigalia iniqua*, §. 6. *& in verb. excommunicatio*, *cap* 71. Syluestr. *verb. gabella* 2. §. 5. Tabien. *verb. pedagium*, §. 1. Graff. *part.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 125. *num.* 14. Vasq. *in moralibus de iurisdict. cap.* 6. §. 1. *num.* 6. Lessius *lib.* 2. *cap.* 33. *num.* 15. *&* 16. Megalius 1. 2. *institut. confess. lib.* 2. *cap.* 17 *num.* 35. Tusch. *in verb. gabella, concl.* 1. *num.* 10. Capycius *decis.* 108. & habet in Regno Neapolis praxis quotidiana. Excipe, nisi exteri habitarent in loco, & participarent de commodo; in tali enim casu contribuere illi tenentur, quia in tali casu iudicantur, tanquam Ciues illius loci; atque ita post Syluest. Abb. Tabien. Viuald. & alios docent Sayr. *d. lib.* 3. *de censur. cap.* 9. *num.* 10. Suarez *d. disp.* 21. *de censur. sect.* 2. *num.* 41. Megal. *dict. num* 35 §. *tria tamen*, quod præcipuè locum habet in Regno Neapolis, vbi per decreta, & instructiones Regiæ Cameræ tenentur exteri contribuere pro debitis contractus, ad reparationem mœnium, viarum, fontium, vel alterius boni publici; idque ex eo, quia participant de illo commodo; & si è contra propter oppositam rationem non tenentur contribuere pro debitis aliis contractis, & sic quoad illud prius,

non

non autem quoad posterius, se habent, veluti Ciues: atque adeo quoad illud prius, non autem quoad posterius, licitè grauantur.

7 Aduerte tertiò, quòd non contrahitur prædicta censura Bullaris Cœnæ Domini, si communitas non imponit grauamen nouum, sed reassumit illud, quod antea soluebatur, etsi per aliquod tempus exactio illius fuerit interrupta. Ratio, quia in tali casu non est re vera grauamen imponere de nouo: atque ita docent Syluest. *verb. gabella* 3. *num.* 5. *&* 6. & Sayr. *dict. cap.* 9. *num.* 12. *in fin.* etsi de hoc satis probabiliter dubitare videatur Graff. *loco suprà cit. num.* 55.



DVBITATIO XXII.

An possit Rex, vel etiam Prorex, vocare Episcopos, & Ecclesiasticos ad Parlamentum propter aliquod publicum negotium.

1 RESPONDEO affirmatiuè, dummodò Rex id faciat rogando, non autem præcipiendo: atque ita ex Iuristis ipsis docent Mastrill *de Magistr. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 13. *num.* 36. Oliban. *de iure Fisci*, *cap.* 10. *num.* 9. & alij, quos ipse citat: & ratio est, quia prædicto modo aliquem vocari ad Parlamentum, est vocari illum, vt Iudicem, qui in Parlamento habeat iudicare, & definire inter Regem, & Regnum: ergo per hoc non infertur præiudium statui Ecclesiastico: ita etiam docent ex Theologis Azor. *part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 14. *quæst. vlt.* Bonacina *de legibus*, *disp.* 10. *quæst.* 2. *punct.* 1. §. 1. *num.* 14. *&* *tom* 3. *disp.* 1. *quæst.* 16. *sect.* 1. *punct.* 5. *num.* 13. Pesantius *tract. de immunit. Eccles. disp.* 21. vbi ait, quòd Reges, & Principes sæculares ratione sui muneris, & officij non habent ius conuocandi Episcopos, & eis præcipiendi, vt hoc, vel illud faciant: quia de iure diuino sunt exempti à Principum sæcularium iurisdictione, possunt tamen Reges pro negotiis Reipublicæ communibus rogare Episcopos, eósque vocare, vt ad se veniant, non tanquam Episcopos, sed tanquam Proceres Regni, quia opus illis habeant; non (inquam) præcipiendo, & multò minus sub minis, & pœnis comminando, sed monendo solùm, vel rogando, vt *suprà* dicebam.

Confirmatur responsio, quia potest 2
Iudex sæcularis (sicuti docent communiter Iuristæ, quos citat, & sequitur Ceuallos *tract. de cognition. per viam violentiæ*, *part.* 2. *quæst.* 78. *numer.* 3. *&* *seqq.* Ioann. de Heuia *in Curia Philippica*, *part.* 1. §. 5. *num.* 31. Gironda


de

de gabellis part. 4. §. 1. *num.* 18. & alij) citare, siue per edictum, siue in particulari; Clericum creditorem in confectione alicuius inuentarij, dummodò non expressè Clericus citetur ad comparendum, sed cum conditione, *si sua interesse putauerit*; ratio, inquiunt ipsi, quia talis citatio non est vera citatio, sed potius monitio, vt si voluerit, compareat, quod de iure, & in realitate non supponit iurisdictionem, & superioritatem: atque adeo non astringit, vt citatis necessariò compareat.

3 Quamuis alij, & forsan rectiùs, oppositum sentiant, inter quos Duard. *in Bulla Cœnæ, lib.* 2. *can.* 15. *quæst.* 11. *num.* 50. vbi ait, quòd Ecclesiastici non possunt trahi ad Curias sæculares pro confectione inuentarij: quare cum hæres adit hæreditatem cum beneficio legis, & inuentarij, quamuis super illius confectione citandi sint omnes creditores, & legatarij, nihilominus si Clerici sunt, non possunt citari per iudicem sæcularem illius loci, vbi bona hæreditaria sunt, vel vbi hæres domicilium habet, sed debent moneri solùm per iudicem Ecclesiasticum. Ratio, quia Clerici non possunt compelli ad comparendum coram Iudice laico, vigore generalis edicti, *si sua interesse putauerint*; quia istæ citationes edictionales à iure communi sunt exorbitantes: idem etiam docent Bonac. *de legibus, disp.* 10. *quæst.* 2. *punct.* 1. §. 1. *num.* 27. Ambrosin. *de immunit. Ecclesiast. cap.* 22. *num.* 73. & alij, & docuerat ante Martha *de iurisdict. part.* 4. *centur.* 1. *casu* 38. *num.* 8.

4 Confirmatur secundò, quia potest Iudex Laicus (sicuti docent Ceuallos *tract. de cognit. per viam violentiæ, part.* 2. *part. quæst.* 72. *num.* 3. Afflict. *decis.* 280. *num.* 7. & Mastrill. *decis.* 79. *num.* & alij) citare Clericum ad exhibenda iura sua coram ipso, quando Clerici debitor petit dilationem ex consensu maioris partis creditorum, vel vult bonorum cessionis beneficium obtinere. Ratio, inquiunt ipsi, quia in tali casu Clericus non conuenitur, vt reus, sed vocatur, vt actor ad comparendum, & docendum de iure suo: atque adeo in tali casu non infertur præiudicium iurisdictioni Ecclesiasticæ: neque fit in damnum, & præiudicium Clerici, sed potius in vtilitatem eiusdem; quandoquidem si alij creditores recuperent sua credita, & ipse non compareat ostendendo creditum suum, patietur damnum: cogetur enim postea litem mouere contra alios creditores coram Iudice sæculari, reuocatoriam intentando.

Quamuis oppositum, & forsan rectiùs, sentiant alij, inter quos Martha 5
de iurisdict. part. 4. *centuria* 2. *casu* 123. *numer.* 9. *& seq.* & Duard. *in loc. suprà cit. num.* 53. vbi ait, quod debitor laicus petens admitti ad bonorum cessionis beneficium, vel ad remissionem partis debiti, non potest trahere Clericum ad forum sæculare, sed debet adire Iudicem Ecclesiasticum; nisi debitor detineretur in carcere ad instantiam Clerici creditoris: nam tunc contra Clericum creditorem per viam reconuentionis potest quidam petere admitti ad cessionis beneficium in foro laicali.



DVBITATIO XXIII.

An Rex, vel Prorex, possit expellere à Regno Episcopos, vel Ecclesiasticos, si propter aliquod publicum negotium ad Parlamentum vocati, venire noluerint.

SECTIO I.

Proponitur Dubitationis resolutio.

1 RESPONDEO ex dictis *in dub. præcedenti* negatiuè; quia Princeps sæcularis nullam habet in Ecclesiasticos iurisdictionem, præsertim coercitiuam, sicuti *dub. 4. sect. 19. subsect. 7.* dicebatur; idque adeo verum est, vt ex communi sententia Doctorum non solum oppositum facientes, sed etiam mandantes, ratum habentes, & auxilium, consilium, vel fauorem præstantes excommunicentur vndecima cēsura Bullæ Cœnæ Domini; excepto casu, quod summus Pontifex non possit consuli; & euidenter periculum sit in mora, quia tunc res se haberet per modum iustæ defensionis, & nullo pacto per modum alicuius iurisdictionis; qui casus tamen cum prædictis circumstantiis videtur Metaphysicus, & vix vnquam moraliter locum habere, præsertim in locis, qui non multum distant ab vrbe, & excepto casu, propter eandem rationem iam dictam, si Pontifex monitus, nollet prouidere, quod etiam videtur moraliter impossibile, & nullo modo dicendum.

Confirmatur responsio ex concordato Reginæ Dominę Aleonoræ, quod refert Ioannes Dyonisius Portocarrer. *in allegat. pro iurisdictione Doctorum Inquisit. cum Ministris Regiis, fol. mihi 61,* vbi sic habet Regina: *Super eo vero, quod conqueritur, quod personæ Ecclesiasticæ eiiciantur, seu banniantur, è Regno, concordatum est, quod illud si vnquam factum est, cum euidenter sit contra immunitatem Ecclesiasticam, malè factum sit & est etiam concordatum, vt in posterum nunquam amplius id fiat.* vide quæ suprà dicebantur *in cit. dub. 4. sect. 19. subsect. 7.* 2

SECTIO II.

Proponuntur, & soluuntur difficultates contra dubitationis resolutionem positam.

OBiicies ex Cutellio *ad leg. Feder. cap. 22. not. 25. num. 5.* vbi sic ait: 1

ait: *si Episcopi nulla iusta causa accedente, obedire recusent; vel si tumultus suscitarent, aut temporalem iurisdictionem ita læderent, vt pax publica Diœcesum turbaretur, muneribus laicis vsurpatis, nullaque hortationes, precésque proficerent, vt sua iurisdictione contenti essent, putarem in Regnis illis, vbi summus Pontifex longe abest, vel si magnum esset in mora damnum, concessione Pontificia constitutum esse, atque immemorabili consuetudine probatum, Episcopos si eiici non possunt: posse tamen Romano Pontifici (debito honore, personarúmque decore seruato cum epistolis causam, excessusque continentibus) transmitti, vt à suo Iudice plectantur: per hoc enim Rex in eos ius non dicit, sed ad ius dicendum coram Pontifice illos sistit, quod omni iure licere, nemo vnquam dubitauit*; quia id est sæpè factum, & deductum in praxi tum quia ex tex. *in cap. filiis vel nepotibus 16. quæst. 6.* communiter à Canonistis; & Theologis receptum est, vt etsi ex eo textu nullatenus iurisdictio Principi laico tribuitur, ius tamen, quo possit apud Pontificem pro animaduersione Episcopi instare, ac ei reum offerre, tribuatur.

2 Respondeo in primis, quòd ex hoc ipso, quod docet Cutellius, euidenter apparet, moraliter vix contingere posse, ita Episcopum pacem turbare, vt Regnum periret, & Respubl. corrueret, si à summo Pontifice (vt par est) expectanda esset responsio; itémque moraliter vix contingere posse, tantam esse ad compescendam licentiam Episcoporum necessitatem, vt periculum esset in mora, si Pontificis expectaretur resolutio; præsertim in regionibus, quæ non multùm distant ab Vrbe, vti *suprà* dicebatur, & admittit Cutellius; Vnde dicendum cum communi sententia Doctorum (quos adducebam *in citat. dubitatione* 4. *sect.* 19. *subsect.* 7. Episcopos seu alias personas Ecclesiasticas sine incursu censurarum Bullæ Cœnæ à Iudicibus laicis de Regnis expelli ordinariè non posse.

Instabis licèt Ecclesiastici non possint expelli à Regnò tamen non est ratio, cur non possint transmitti ad summum Pontificem, vt ab illo, tanquam à legitimo Iudice plectantur, in quo est tota vis argumenti Cutellij, ergò, &c. 3

Respondeo, hoc etiam esse ordinariè cōtra immunitatem Ecclesiasticam, quia, & hæc cum non sit ordinariè necessaria vt *suprà* dicebatur, ordinariè est quædam velata, & palliata expulsio Ecclesiasticorum; tum quia talem authoritatem Iudicibus laicis nemo vnquam concessit communiter enim Doctores, quos, *in cit. dub.* 4. *sect.* 14. *subsect.* 9. adducebam, concedunt Iudici laico tantum, vt capere possit Clericum, quando reperitur in fraganti crimine; vel quando is probabiliter præsumitur ad delinquendum incedere: vel ad effectum præsentandi illum Prælato Ecclesiastico post delictum commissum, si sit de fuga suspectus; quia in his casibus solùm ex tacita voluntate Prælatorum, vel à iure, censetur cuilibet capiendi Clericum data potestas, iuxta *leg. raptores, Cod. de Episcop. & Cler.* quod autem titulo iurisdictionis Iudex laicus nunquam possit capere Clericum, etiam ad effectum præsentandi illum Iudici Ecclesiastico, constat *ex cap. cum non ab homine de iudic. &c. si verò de sentent. excomm. &c. si Clericus de foro competent.* & ratio est, quia Potestas laica nullam habet in Ecclesiasticos iurisdictionem, præsertim coërcitiuam, seu coactiuam, 4

ſicuti probabam *in cit. dub. 4. ſectio 19.* de qua re *ibi* diffuſius videri poteſt.

SECTIO II.

Proponuntur Aduertenda quædam.

1 ADde, quod multi Doctores vt poſſit Iudex laicus in tertio caſu *ſuprà* dicto capere Clericum, ad finem ſiſtendi illum coram ſuo Prælato Eccleſiaſtico, præter conditionem dictam vt ſcilicet præſumatur fuga, requirunt ſecundam, vt non potuerit à proprio Prælato impetrari mandatum: & tertiam, vt ſtatim Iudici proprio remittatur, ſcilicèt *infra* ſpatium viginti horarum; ſi fieri poteſt: ergò &c. atque ita præter alios multos Doctores, quos *in cit. dub. 4. ſect. 19. ſubſect. 5. & 6.* citabam, docet Caſtrus Palaus, qui etiam putat, & rectè, quòd Iudex laicus non poſſit detinere Clericum captum in ſuis carceribus per ſpatium viginti horarum, ſi breuiori tempore poſſet illum Eccleſiaſtico Prælato remittere, Ratio, eſſe poteſt, quia in tali caſu neque Superior Eccleſiaſticus præſumitur conſentire; neque ſæcularis Iudex rationabilem cauſam habet Clericum detinendi; ergò, &c. de qua re tamen vide, quæ *in cit. dub. 4. ſect. 19. ſubſect. 7.* diffusè dicebantur.

2 Adde ſecundò, quod & alij Doctores abſolutè negant Iudicem laicum capere poſſe Clericum etiam in primo caſu *ſuprà* dicto, nempe in flagranti crimine, ad finem, vt præſentet illum Prælato Eccleſiaſtico. Ergo, &c. atque ita præter alios docent Martha *de iuriſdict. part. 4. centur. 1. caſu 42. num. 17.* Megalius *in 3. part. lib. 3. cap. 11. num. 7.* & Souza *in Bull. Cœn. cap. 16. diſput. 82. num. 8.* quos *in loc. ſuprà cit.* adducebam. Vnde multò magis negandum eſt, quòd poſſint ordinariè Iudices laici in caſu noſtro præſenti capere Epiſcopos, vel alios Eccleſiaſticos, vt præſentent illos Summo Pontifici, vt ab illo plectantur; ſed dicendum quòd ſi hoc faciunt, ordinariè incidant in cenſuram vndecimam Bullæ Cœnæ: ſicut etiam & qui mandant, ratum habent, & auxilium, conſilium vel fauorem præſtant, vt *ex eodem cit. loco Bullæ Cœnæ Domini* colligitur.

Non obſtat quod id ſæpè factum ſit, vt ait Cutellius: nam reſpondetur, quod eſt factum de facto, non de iure: & non quid factum ſit, ſed quid fieri debeat, ſpectandum eſt, *l. ſed licet 12. de offic. Præſid. & cap. cùm cauſam, de elect.* neque exempla, niſi bona, ſequenda ſunt, vt rectè dixit Gellius *lib. 10. Noct. Att. cap. 19.* 3

Nec obſtat ſecundò text. *in cap. ſi filiis, vel nepotibus 16. quæſt. 6.* nam reſpondetur in dicto textu (vt legenti patet) Principi laico non tribui, quod poſſit Epiſcopum tranſmittere ad Summum Pontificem, vt plectatur ab illo; ſed tantum *ibi* dici, quòd apud dictum Pontificem inſtet, rogando illum, vt prouidere velit: atque ita aſſerunt Doctores, quos *in cit. Dubit. 4. ſect. 19. ſubſect. 3.* citabam. vel dicas, dictum textum *in cap. filiis, vel nepotibus*, per ſubſequentes canones eſſe abrogatum: atque ita docent alij Doctores, quos ibidem citabam. 4

DVBI

DVBITATIO XXIV.

An possit Rex grauare Ecclesiasticos.

SECTIO I.

Proponitur Dubitationis resolutio.

1 RESPONDEO negatiuè: quia tam bona Ecclesiarum quàm Ecclesiasticorum immunia sunt à nouis tributis imponendis, sicuti docent communiter Doctores apud Syluestrum *verb. immunitas* 1. *num.*6. & recentiores passim; & ratio est, quia soluere tributum, subditorum proprium est, cùm id signum sit subiectionis (vt ait Apostol. *ad Roman.* 13. *necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam: ideò enim, & tributa præstatis*) sed personæ Ecclesiasticæ immunes sunt à iurisdictione sæcularium: ergo etiam à tributis.

2 Confirmatur, quia cùm Summus Pontifex super bona Ecclesiastica ob iustum casum onera imponere possit, si idem quoque posset facere Princeps sæcularis, bona Ecclesiastica essent deterioris conditionis, quàm bona sæcularium; cùm illa duplici onere à Principibus, sæculari, & Ecclesiastico, grauari possent, non item ista; quod à recta ratione, & æquitate naturali absonum esse videtur.

Confirmatur secundò, quia cùm Principes sæculares ab Ecclesiasticis personis spiritualia commoda recipiant, non est æquum, vt & temporalia ab iisdem exigant: sed potius exposcit ratio, vt illis hæc tribuant; iuxta illud Apost. 1. *ad Corinth.* 9. *si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus.* 3

Confirmatur tertiò *ex constit. Bonifacij in cap. quamquam* 4. *de censibus, in* 6. in qua dicitur, personas Ecclesiasticas, & res ipsarum exemptas esse, vbi Pontifex indefinitè loquitur de Ecclesiasticorum rebus, quos tamen intellige exemptos esse à nouis exactionibus imponendis, quamdiu scilicet sunt Ecclesiasticorum. 4

Confirmatur quartò ex bulla Cœnæ Domini, vbi excommunicantur omnes qui absque speciali, & expressa Summi Pontificis licentia imponunt collectas, decimas, tallias, præstantias, aut alia onera personis Ecclesiasticis, aut eorum bonis, aut Ecclesiarum, aut Monasteriorum ipsorum, aut imposita exigunt aut à sponte dantibus recipiunt, aut his actibus quoquo modo cooperantur; vbi distinguit Pontifex bona Clericorum à bonis Ecclesiarum, ac proinde loquitur non tantum de bonis Ecclesiasticis, quæ dicuntur bona Ecclesiarum, sed de quibusuis bonis Ecclesiasticorum; quod 5

est notandum contra Ioannem Driedonem *de libertate Christiana, lib. 2. cap. 3.* vbi rectè dixit, quod prædia omnia sint obligata pro tributis Reip. impositis, & imponendis, & quod cum hoc onere transeant in Ecclesiam; & contra Nauar. *in summa cap. 27. num.* 128. qui tamen *cap.* 17. *num.* 201. nobiscum sentit in hoc loco enim expresè affirmat eos, qui pedagia à Clericis exigunt, aut exigi iubent, incurrere censuram Bullæ Cœnæ, etsi id, quod vehunt, important, vel asportant sit de ipsorum Patrimoniis vel Ecclesiasticis prouentibus, ergò &c.

Quod autem dicitur de sponte dantibus, intelligitur, quando exactor recipit ab eo, qui ideo sponte dat, quia Ecclesiasticis sunt imposita; siuè ab eo, qui dat (antequam exigatur) propter eumdem finem.

SECTIO II.

Proponuntur, & soluuntur difficultates contra Dubitationis resolutionem positam.

1 OBiicies ex Driedone. Rex, seu quicumque alius supremus Princeps, superiorem non agnoscés, habet ius imponendi tributum huic prædio, antequam peruenisset ad Ecclesiam, sed hoc Iure Rex non debet spoliari, ex eo, quod prædium fiat Ecclesiæ: ergo tale prædium non est à tributis immune. Respondeo Regem non habere ius imponendi tributum, seu vectigal prædio, nisi quamdiu illud pertinet ad personam carentem priuilegio immunitatis: vnde hoc ipso, quo transit ad Ecclesiam, vel personam fruentem immunitate, amittit hoc ius; neque hoc mirum videri debet, cum Principes Christiani iam à mille, & amplius annis in hoc consenserint (vt patet ex *l. Sancimus*, (*de SS. Ecclesiis, quæ est Iustiniani*) & tot sæculis idem seruauerint: neque vlla causa est, cur possint hoc priuilegium semel Ecclesiæ ad honorem Dei donatum auferre: hoc enim perinde esset, atque si quis agrum, domum, vel redditum Ecclesiæ semel donatum auferret, quod est manifestum sacrilegium, simile etiam contingit, quando huiusmodi prædia transferuntur in Magnates, à vectigalibus immunes: tunc enim Principes amittunt ius imponendi vectigalia, quod anteà habebant.

Instabis si prædium, vel res ista ad Ecclesiam non perueniret, sæpè venderetur, vel commutaretur cum alia re, & tunc Principi debitum esset certum tributum, verbi gratia decima pars pretij, & dum transit ad Ecclesiam, vel locum pium, nunquam amplius venditur, vnde Princeps nihil amplius inde commodi percipit: ergò meritò potest legibus suis cauere, ne res immobiles ad Ecclesias, vel loca pia transferantur. 2

Respondeo nunquam Principum vllum factum esse pauperiorem ex eo, quod ipse, vel subditi eius fuerint liberales in Ecclesiam; vt patet *in Constantino, & Carolo, vtroque verè magno & aliis multis*: Deus enim, cuius protectione, & directione Regnorum administratio maximè nititur, infinitis modis exiguum illud detrimentum vectigalium, quod ipsi seruis eius condonant, compensare potest; vel calamitates, & seditiones, auertendo: vel prosperos successus bellorum, noua Regna, vbertatem Terræ, & alia huiusmodi largiendo: sæpè etiam è contra 3

tra fit, vt ob aliquam seditionem, vel bellum (quod fortasse pietas, & Religio Principis auertisset) vno anno plus ipse amittat, quàm mille annis ex huiusmodi tributis percipi posset, ergò, &c.

4 Vide, quæ in ordine ad hanc rem perbellè, & piè scribit B. Gregorius ad Constantinam Augustam *cap.* 33. *lib.* 4. *Epist. indict.* 13. vbi in fine *sic ait, id circò fortasse tanta expensa in hoc Regno minus ad vtilitatem proficiunt, quia cum peccati aliqua admixtione colliguntur: præcipiant ergò Serenissimi Domini; nil cum peccato colligi: nam scio, quia, etsi parum Reip. attribuatur vtilitatibus, ex eo multum Resp. adiuuatur, quam etsi fortasse contingat expensis minoribus minus adiuuari, melius est temporaliter nos non viuere, quam nos ad æternam vitam obstaculum aliquod inuenire. Unde mihi breuiter hæc successisse sufficiat, ne si ea, quæ in his partibus aguntur, pietas vestra non cognosceret, me apud districtum Iudicem silentij mei culpa mulctaret* hæc ille. & M. Petrus Blesensis scribens de decimis Ecclesiasticis, & pauperibus à Philippo Francorum Rege in dictis ob bellum aduersus Saladinum instituendum post multa ita habet: *quæ ratio est, vt qui pro Ecclesia pugnant, Ecclesiam spolient, quam inimicorum spoliis donis temporalibus ampliare debuerunt? Putant ne insipientes, & miseri quod Christus, qui summa iustitia est, velit sibi de iniuriis, & sacrilegiis exhiberi sacrificium, aut sustineat commissa ex his spolia prosperari: si enim testimonio veritatis in ignem æternum mittitur, qui sua pauperibus non dedit: vbi quæso, mittendus est, qui bona pauperum, vel Ecclesiæ rapuit, aut fraudauit? pro his, & consimilibus filij Ephrem intendentes, & mittentes arcum, conuersi sunt in die belli nunquam pauperum, nunquam Ecclesiæ spolia prosperum habuerunt euentus auspicium.* Hæc ille apud Baronium *tom. vltimo impressionis Rom. fol.* 805.

SECTIO III.

Proponitur COROLLAR. I.

1 Ex dictis sequitur primò, quod ab omnibus oneribus, & tributis Principum sæcularium immunes sint ipsæ materiales Ecclesiæ, & adiuncta: item vasa, vestes, & quæcumque consecrata, vel benedicta sunt, tanquam diuini cultus instrumenta; & ratio præter dictas, vlterius est, quia hæc nullam temporalem vtilitatem habent, quæ in æstimationem venire possit; quando quidem cum ad diuini cultus ministerium dedicata sint, nullis aliis vsibus humanis, ac profanis applicari debent, iuxta *cap. quæ semel, & seqq. distinct.* 19. *cap. ligna, & seqq. de consecrat. distinct.* 1. *leg. inter stipulantem sacram, ff. de verb. obligat. & leg. sancimus, Cod. de S. Ecclesiis.* Eadem ratio conuincere videtur, vasa, & ornamenta sacra (etiamsi in priuato oratorio sub particulari alicuius dominio existant) ex vi suæ consecrationis à tributis, & censibus immunia esse debere; quia similiter nullam temporalem commoditatem, aut vsum habere possunt, sicuti notauit Suarez *lib.* 4. *defens. cap.* 19. *num.* 8. simili ratione etiam ab omni onere, & seruitio liberæ sunt Ecclesiæ; areæ, domus, & horti iuxta positi; item prædium, ex quo panis, & vinũ pro sacra Eucharistia conficienda, vel aliis

aliis rebus ad diuini cultus ministerium necessariis, colliguntur; siquidem hæc omnia fermè alium vsum, vel fructum habere non possunt, nisi ordinatum ad sacra ministeria, ideóque nullus prorsus alio onere, vel seruitio grauari debent; quin imò si ante grauata erant, liberari debent, vt *infrà suo loco dicetur dub.* 27. & colligitur *ex cap. secundum canonicam, cap. sancitum est*, 23. *quæst.* 8. *& cap.* 1. *de censibus*, vbi id etiam notant Doctores & Innoc. *in cap. non minus, de immunit. Eccles.* Suarez *in cit. cap.* 19. *numero* 2. *& cap.* 20. *numero* 17.

SECTIO IV.

Proponitur COROLLAR. II.

1 SEcundò sequitur, quod immunia ab omni tributo, & vectigali sint tam immobilia, quàm mobilia Ecclesiarum bona, quæ à fundatoribus, vel aliis fidelibus ad Dei honorem oblata, vel donata sunt, vt à Prælatis Ecclesiarum ad pauperum sustentationem, templorum fabricam, & similia, conuertantur, & huiusmodi bona à tributo, & omni exactione sæcularium Principum libera esse debere, habetur etiam *in cap. non minus, cap. aduersus de immun. Eccles. cap.* 1 *eodem in* 6. *Clement. vn. eod. tit. cap.* 1. *de censibus, cap. quanquam, eodem in* 6. *& constitut. item nulla*. quæ est Friderici Imperatoris posita post *leg.* 1. *Cod. de Episcopis, & Clericis*: & ratio præter dictas vlteriùs est, quia hæc bona fidelium voluntate ad Dei cultum specialiter destinata, & oblata fuerunt, vt non nisi in pios vsus conuertantur: ergo omnes exactiones, quibus à sæcularibus Principibus illa grauantur, cedunt in diuini cultus diminutionem, & in iniuriam, atque irreuerentiam Dei: quippe illa bona, quasi proprium patrimonium existunt: vnde res Dominicæ appellari consueuerunt *can.* 40. *Apostolorum*, quamobrem hinc consequens esse videtur exemptionem hanc esse de iure diuino, quia Deum ab exactione Regum terrenorum liberum esse necesse est. Vide, quæ dicebantur *suprà dubitat. quarta, sect.* 21. *subsect.* 12. & quæ dicentur *infrà dubitat* 27. *sect.* 14.

2 Neque multùm refert, siue dicas cum Nauarro *in Apolog. de redditibus Ecclesiasticis*, bona ista Ecclesiastica (saltem priùs quàm Ecclesiæ Ministris, vel pauperibus particulatim applicentur) non esse sub humano dominio, sed solam illorum administrationem Prælatis Ecclesiasticis competere; quod valdè probabile est, sicuti præter alios notauit Suarez *vbi suprà, cap.* 18. *num.* 7. siue dicas Ecclesiastica ista bona esse sub humano dominio Ecclesiæ particularis, aut vniuersalis, tamen cum annexo onere, seu obligatione, vt in pios vsus conuertantur: nam propter hanc ipsorum habitudinem negari non potest ipsa aliquo modo sacra esse, & peculiari ratione ad Deum pertinere, sicuti rectè tradunt communiter Doctores *in tract. de Religione, & in tract. de simonia*, & in specie tradit Ioan. Faber *tit. Institut. de rerum diuis. §. nullus*, Suarez *in defens. Fidei Catholicæ, lib.* 4. *cap.* 17. *num.* 6. & priùs tradiderat S. Thomas 2. 2. *quæst.* 99. *art.* 3. S. Ambros. *in Epist.* 33. *ad Marcellinam sororem*, quæ refertur *in cap. conuenior.* 23. *quæst.* 8. & colligitur *ex cap.* 27. *Leuit. vers.* 14. *Homo si vouerit domum suam, & sanctificauerit Domino*: & *vers.* 28. *Quidquid semel fuerit consecratum, Sanctum Sanctorum erit*

Domino;

Domino: & ex *cap.* 3. *causa* 12. *quaest.* 2. *Nulli liceat ignorare omne, quod Domino consecratur, siue homo, siue animal, siue ager*, &c. *Sanctum Sanctorum Domino erit, & ad ius pertinebit Sacerdotum. propter quod inexcusabilis erit omnis, quia Domino, & Ecclesiae, cui competunt, aufert, vastat, inuadit, vel eripit, & vsque ad emendationem, Ecclesiaeque satisfactionem, vt sacrilegus iudicatur*: & ratio est, quia hoc ipso, quòd bona ista sacra, & Ecclesiastica sunt, & à fidelibus ad Dei cultum, atque ob supernaturalem finem in manibus Ecclesiasticorum Praelatorum oblata, necessariò fit, quod ipsorum administratio, dispositio, & applicatio quaecunque, ad eosdem Ecclesiae Praelatos, & non ad saeculares potestates pertinere possit: quamobrem contra Angelum *verb. sacrilegium prope finem*, dicendum est, quod istorum Ecclesiasticorum bonorum iniqua vsurpatio sit propriè sacrilegium; atque ita in iure canonico passim traditur, sicuti notauit gloss. *cap. sit*, *vers. malefactores de foro competen.* Syluest. *verb. sacrilegium*, *dicto* 1. Tholosanus *lib.* 33. Syntag. *cap.* 17. *num.* 2. & videre licet *caus.* 12. *quaest.* 2. *cap. nulli liceat*, & *caus.* 17. *quaest* 4. *can.* 4. vbi legitur sacrilegium, & contra leges est, si quod venerabilibus locis relinquitur, prauae voluntatis studio, suis tentauerit compendiis retinere, quod est dictum Gregorij I. *lib.* 8. *Epist.* 6. *ad Sabinum Diaconum*: similia habentur *in cap. sicut qui*, & *cap. qui rapuit*, *cap. quisquis eadem quaest.* & ratio, vt dicebatur, est, quia bona ista ex prima sui institutione, atque offerentium voluntate eam conditionem habeant, vt quia ad Dei honorem oblata, ac destinata sunt, non in alium vsum, nisi pium, conuertantur: quare omnino dicendum est eos, qui legata pia, aliáque iura, & bona Ecclesiastica iniquè supprimunt, detinent, occupant, vel defraudant, &c. non furtum simpliciter contra iustitiam, sed etiam sacrilegium contra Religionem committere. Adde, quòd inuasio, vel spoliatio bonorum Ecclesiasticorum est contra immunitatem Ecclesiasticam, cuius violatio ad crimen sacrilegij etiã spectat: ego &c. alia tamen ratio est, postquam bona eadem Ecclesiastica pauperum, vel ministrorum Ecclesiae per legitimam dispensationem propria facta sunt, vt *alibi* dicetur.

Confirmatur, quia cùm certò summus Pontifex, tanquam supremus Ecclesiasticorum bonorum administrator, 3
ac dispensator, ob iustam causam, onera, siue grauamina (sicut *suprà* dicebam) illis imponere possit, quin & Episcopus ex iisdem subsidium charitatiuum exigere, vti *in dubitat.* 12. dicebatur: si idem quoque in illis saecularis Princeps facere posset, bona Ecclesiastica essent longè deterioris conditionis, quàm saecularia: cùm illa duplici onere à diuersis Principibus, saeculari scilicet, & Ecclesiastico grauari possent, non item ista, quod à iure, & aequitate naturali quammaximè abhorret, sicuti praeter alios rectè notauit Hieronymus Albanus *in tract. de immunit. Ecclesiastica*, *num.* 65. & *seqq.*

SECTIO V.

Proponuntur exceptiones quaedam.

Excipe primò ex communi omnium 1
Doctorum sententia, si fundator Ecclesiae in fundatione moderatã aliquam

prestationem cum Episcopi consensu sibi reseruauit: nam huiusmodi pacta, siue conditiones seruari debere, colligitur aperte *ex cap. verum, de condit. apposi-tis, cap. cum dilecti, de donat. & capit. praeterea, 2. iunct. gloss. ver. institutos, de iure patronatus:* & ratio est clara, quia dominus sic donauit, & non aliter.

2 Excipe secundò, si bona, antequam ad Ecclesiam quocumque titulo deuenerint, reali aliquo onere, seruitio, pensione, aut tributo obligata fuerunt, vt dicetur *infrà dub. 27.* nam res transit cum onere suo, *cap. ex literis de pignoribus*, & manifestum est, eum qui venditione, donatione, legato, &c. rem quampiam in Ecclesiam transfert, praeiudicare non posse iuri alterius, quod in re illa habet: nam rei suae quisque est moderator, & arbiter, non autem alienae, *leg. iure mandata, Cod. mandati*, & videri potest Abb. *in cap. caeterum, num. 1. & 5. de iudiciis*, Molina *tract. 2. tom. 3. priore disput. 661. numer. 2. & disput. 672.* Gutierez *lib. 1. pract. quaest. quaest. 3. num. 15.*


SECTIO VI.

Proponitur COROLLAR. III.

1 TErtio sequitur, quod immunia ab omni impositione etiam sint bona Ecclesiasticorum Clericalia, id est, ex titulo spirituali illis acquisita, vt beneficiorum redditus, Missarum stipendia, & similia huiusmodi; atque ita habet omnium Doctorum sententia, tradita *in cap. sancitum, 23. quaest. 8. capit. 1. de censibus, capit. aduersus de immunit. Eccles. & aliis iuribus*, & ratio vlterius est, quia haec Ecclesiasticorum stipendia, & lucra, siue spectentur quoad titulum, & causam acquirendi, siue spectentur quoad personas, à quibus acquisita sunt, saeculari potestati subiecta esse non possunt: nam titulus acquisitionis sacer, & spiritualis est, & personae ipsae Ecclesiasticae sunt omninò exemptae à iurisdictione seculari, ergo &c. Adde, quod cum summus Pontifex (vti *supra* dicebam) super his bonis, titulo spirituali acquisitis, tributum ad piam causam aliquam imponere possit, omninò dicendum est, quod ab omni saecularium Principum exactione libera illa esse debeant; cum aequitas ipsa naturalis non patiatur, ea duplici onere grauari, quo nec bona saecularium grauantur, vti *suprà* dicebam.

At quoniam quoad bona Ecclesiasticorum Patrimonialia; id est, quae ex titulo temporali, v.g. haereditate, legato, donatione, exemptione, arte, manuum labore, &c. ab ipsis Ecclesiasticis acquisita sunt, aliqua videtur esse difficultas. Item quoad ea, quae negotiantur, & quo ad ea, quae ex suis bonis collecta aliò transferunt, vt *ibi* carius vendant, ideò sit 2

DVBITATIO



DVBITATIO XXV.

An Rex poßit grauare Ecclesiasticos quoad bona patrimonialia.

SECTIO I.

Proponitur Dubitationis Resolutio.

1 RESPONDEO negatiuè: per bona autem patrimonialia intelligo quæcumque titulo temporali, verbi gratiâ, hæreditate, legato, donatione, emptione, arte, manuum labore, vel simili alio temporali titulo ab Ecclesiasticis acquisita sunt; atque ita habet communis Doctorum sententia, quam docent gloss. *in cap. similiter 16. quæst. 1.* vbi sic ait: *bona patrimonialia Clericorum gaudent eodem priuilegio, quo gaudent bona Ecclesiarum*, Abb. *in cap. Ecclesia, num. 21. de constit.* & *cap. si Clericus, num. 3. de foro compet. cap. vlt. num. 4. de vita & honest. Cleric.* Bartol. *in l. placet, Cod. de sacrosanct. Eccles.* 49. Sylu. *verbo immunitas 1. num. 9.* & *vers. excommunicatio, q. excommunicatio 5. numero* 13. Nauarr. *cap. 17. num.* 203. Medina *Cod. de restit. quæst.* 15 Lessius *lib. 2. cap. 33. dub. 3. num.* 19. Suarez *lib. 4. defens. cap. 24. & 25.* Homobonus *de exam. Eccles. part. 2. tract. 11. cap. 6. quæst. 9.* Riccius *part. 2. decis.* 299. *numero* 3. Duardus *in Bulla Cœnæ lib. 2. canon. 18. quæst. 5. num. 4. & quæst. 6. num. 1.* Azorius *part. 3. lib. 5. cap. 19. quæst. 7.* Reginaldus *tom. 1. lib. 9 cap. 25. num. 377 & 379.* Filliucius *tom. 1. tract. 16. cap. 11. num.* 298. Molina *tom. 3. tract. 2. disput. 671. num. 2.* Molfesius *in summa, tom. 2. tract. 12. cap. 22. num.* 166. Alterius *de cens. tom. 2. disput. 19. lib. 5. cap. 6. dub. 2.* Pasqualigus *in suis decisionibus, decis. 128. n. 4.* Coriolanus *in Bulla Cœnæ, excommun.* 18. Prosper de Augustino *in addit. ad summam*, Quaranta *verb. Vectigal*, Gregorius Lopez, Rouitus, & Constantius, quos citat, & sequitur Antonius de Marinis *in quotidianis resolutionibus, cap. 37. num. 9.* Ioannes Antonius de Nigris, Archidiaconus, Baldus, Afflictus, Geminianus, & Buonius, quos citat, & sequitur Martha *de iurisdict. part. 4. centur. 1. cas. 49. num. 9.* Imola, Riminaldus Iunior, & Ripa, quos citat, & sequitur Tamburinus *de iure Abbatum, tom. 1. disput. 15. quæst. 20. num. 3.* Bartolus *in l. placet, Cod. de sacrosanctis Ecclesiis*, Baldellus *lib. 5. disput. 34. num. 2.* Ciarcinius *controuers. forens. cap. 31. num. 7.* Guilenzonius *consil.* 53. Castillo, Sotomaior *de Tertiis, tom. 7. cap. 9. num.* 18. Castrus Palaus *tom. 2. tract. 12. disput. vn.*

punct. 9. num. 2. Squillante *de priuileg. Cleric. cap. 8. num. 34.* Rota Romana *in vna Albanenſis gabellæ* 1630. coram Merlino, *vbi* ſic habet: *Bona patrimonialia Clericorum, etiam laicalia, ſunt immunia ab oneribus laicalibus ob dignitatem perſonarum, quæ dignitas perſonæ influit immunitatem in ipſa bona; illa enim adhærent perſonæ Clerici, nec perſona poteſt dici plenè, & perfectè exempta, niſi etiam bona illius exempta ſint:* ita Abbas, Decius, Felinus, & alij Canoniſtæ communiter *in cap. Eccleſia S. Mariæ*, Baldus *in l. 2. Cod. de Epiſcopis, & Clericis*; & alij, quos refert, & ſequitur Suar. *lib. 4. cap. 25. num 4. & ſeq.* Hucvſque Rota Romana; cùm igitur hæc opinio ſit communis inter Theologos, Canoniſtas, & Iuriſtas, non poteſt opinio oppoſita conſuli, vel poni in praxi, ſine timore cenſurarum Bullæ Cœnæ; idem etiam docet Riccius *in praxi tom. 4. reſolut. 93. num. 2.* Megalius *1. 2. lib. 2. cap. 17. quæſt. 6. num. 114.* Salonius *tom. 2. in 2. 2. quæſt. 78. art. 5. contr. 2. num. 2.* Sayrus *de cenſ. lib. 3. capit. 22. numer. 9.* Bartholomeus à S. Fauſto *in ſpec. confeſſ. diſput. 33. quæſt. 13. num 2.* Belletus *in diſquiſit. Cleric. part. 1. tit. 5. §. 5. num. 1.* Barboſa *in ſuis collectaneis, tom. 1. lib. 3. titul. 49. cap. 4. num. 4. & de iure Eccleſiaſt. lib. 1. cap. 39. §. 5. num. 6.* & alij paſſim contra gloſſam marginalem, *in cap. quamquam, de cenſib. in 6. verb. res ipſarum.* & Ioannem Driedonem *de libertate Chriſtiana, lib. 2. cap. 3.* vbi minus rectè dixit, quod prædia omnia ſint obligata pro tributis Reipublicæ impoſitis, & imponendis, & quod cum hoc onere tranſeant in Eccleſiam; ac tandem contra Bobadillam *in polit. tom. 1. lib. 2. cap. 18. num. 260.* qui *in gloſſa, littera F,* pro ſua ſententia citat nonnullos Iuriſtas, limitans tamen, vt ea non intelligatur quoad bona patrimonialia, ad quorum titulum Clerici ordinati ſunt.

Probatur autem Reſponſio noſtra 2
primò, ex dictis *in dubitatione præcedenti*; *& ex can. 17. Bullæ Cœnæ* in illis verbis: *imponentes decimas, &c. perſonis Eccleſiaſticis, ac eorum, & Eccleſiarum bonis*: vbi dictio illa, *eorum,* contradiſtinguitur contra alteram dictionem ſequentem, *Eccleſiarum*, ergò non niſi de bonis Patrimonialibus, & propriis Clericorum, ac aliis, quæ ad Eccleſiam non pertinent, intelligi poteſt. Adde, quod cum textus Bullæ gneraliter loquatur de bonis Eccleſiaſticorum, nõ debemus illum reſtringere; ſed generaliter, ſicut generaliter loquitur, intelligere de quibuſcũque bonis eorum, ſiue Patrimonialia ſint, ſiue empta, ſiue donata, ſiue quocumque alio titulo acquiſita: atque ita tradunt Barboſa, Fillucius, Reginaldus, Alterius, & Leſſius *in locis ſuprà citatis*, qui propterea *ibi* expreſsè docent, quod non ſolum bona Patrimonialia Eccleſiaſticorum, ſed quæcumque alia quocumque titulo acquiſita, immunia ſunt ab omni onere, & grauamine ſæcularium poteſtatum.

Neque obſtat Nauarr. *in ſumma cap.* 3
27. n. 118. vbi oppoſitum ſentire videtur: nam (vt *ſuprà* dicebam *dub. 24.* & obſeruat præter alios Fauſtus *in ſpecul. confeſſ. diſp. 33. quæſt. 13. num. 2.*) Nauarrus eſt ſibimet ipſi contrarius *in capit. enim 17. numer. 202.* expreſsè ait, eos, qui pedagia à Clericis exigunt, aut exigi iubent, incurrere cenſuras Bullæ Cœnę, etſi id, quod vehunt, important, vel aſportant, ſit de eorum patrimoniis: ergò &c.

Secundò probatur *ex capit. 1. de im-* 4
munit. Eccleſ. cap. aduerſus, Clement. vnic.

vnic. de immunit. Eccles. & *ex leg. 1.* & *constit. item nulla, Cod. de Episcopis,* & *Clericis*: in his enim iuribus vniuersim prohibetur, ne Ecclesiasticis personis talliæ, collectæ, aut aliæ quæcumque exactiones imponantur; vt præcipuè videre est *in cit. Clement. vn.* & *cit. constit Friderici*, ex eo, quia Ecclesiasticæ personæ, & res earum à sæcularium Principum exactione immunes esse debent, sicuti habetur *in cit. cap. aduersus.* & *in cit. cap. quamquam*, vbi prætereà subditur, id iure diuino, & humano constitutum esse; ergò, &c.

Tertiò probatur ratione; quia soluere tributum (vti *in dubitatione præcedenti* dicebatur) subditorum proprium est, cùm id signum sit subiectionis, testante Apost. *ad Rom.* 13. *necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, ideò enim & tributa præstatis*: sed personæ Ecclesiasticæ immunes sunt à iurisdictione sæcularium, ergò, &c.

6 Confirmatur; quia cum Principes sæculares (sicuti *in dub. præcedenti* dicebatur) à Clericis, aliisque Ecclesiasticis personis spiritualia commoda accipiant, non est æquum, vt & temporalia ab illis exigant, sed potius, vt tribuant, iuxta illud Apost. 1. ad Corinth. 9. *si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus*?

SECTIO II.

Proponuntur, & soluuntur Difficultates contra Dubitationis resolutionem positam.

1 Obiicies primò: bona Ecclesiasticorum, saltem antequam ipsi statum Ecclesiasticum assumerent, erant obligata exactioni sæcularis magistratus: ergò semel affecta saltem, transeunt cum hoc onere: alioquin fisco sæculari præiudicium afferretur per status Ecclesiastici assumptionem.

Respondetur vt *infrà dub. 28. circa finem*, vbi hoc argumentum soluetur. Vide etiam, quæ *suprà* dicebantur *dubitatione præcedenti.* 2

Obiicies secundò in Regno Neapolis adest consuetudo, quod Clerici non gaudeant immunitate gabellarum in bonis emptis, & donatis: quam consuetudinem non improbat Riccius *p. 4. collect.* 901. quin imò illam approbat Coriolanus *in Bull. Cœnæ, excommunicatio 18. fol. mihi* 951. & Prosper de Augustino *in addit. ad summam*, Quaranta *ver. vectigal folio mihi* 632. ergò, &c. 3

Respondetur consuetudinem istam, cùm expressè sit contra Canones, & rationes (vt *suprà* videbatur) & per consequens sit contra immunitatem Ecclesiasticam, omnino tanquam abusum, & corruptelam, improbandam esse; præsertim, quia summus Pontifex quotannis in Bulla Cœnæ reuocat omnes consuetudines, quæ sunt contra libertatem Ecclesiasticam, vt præter alios notauit Duard. *loco suprà cit. can. 18. q. 6. num.* 12. nisi forsan (vt notauit idem Duard. *vbi suprà*) adsit in Regno Neapolis priuilegium, id fieri concedentis, quod priuilegium an sit; & si est, an non sit reuocatum per Bullam Cœnæ, quæ quotannis priuilegia omnia contra libertatem Ecclesiasticam reuocare videtur, vt præter alios notat idem Duard. *lib. 3. §. 5. quæst. 1. num. 1.* videant, qui exigunt, & qui exigi iubent, vel quomodcunque in talem exactionem influunt, vel cooperantur; sed de hac re vide, quæ *infrà* 4

dicam diffusiùs *dubit.* 27. & quæ dicebam *dubit.* 4. *sect.* 19. *subsect.* 3. *&* 4. *& dubit.* 15. *sect* 2. Vide etiam Bullam Vrbani VIII. super præseruatione iurium Sedis Apostolicæ, & inferiorum Ecclesiarum, personarúmque Ecclesiasticarum, à quibuscunque præiudicialibus, quæ incipit: *Romanus Pontifex.*

Obiicies tertiò: si hoc esset, sequeretur, quòd in vniuersum vera esset regula, quam tradit glossa *in cap. Ecclesia, verb. personis Ecclesiasticis, de constitut.* & altera glossa *in cap. vlt. de vita, & honest. Cleric. verb. facultatibus, & in cap. quanquam, verb. ipsarum de censibus in* 6. quod scilicet bona Clericorum propria, & bona Ecclesiarum eodem iure, ac priuilegio gaudent, sed hoc est falsum, vt communiter tradunt Doctores: ergo &c.

5 Respondeo: nego sequelam Maioris: nam vt rectè dixit Abbas *in citat. cap. vlt.* Martha *part.* 4. *de iurisdict. casu* 49. Couar. 1. *resol. cap.* 4. & alij passim; est vera illa regula in iis tantùm priuilegiis, quæ competunt personis, seu statui Ecclesiastico principaliter, rebus verò ipsorum accessoriè, v.g. vt coram sæculari Iudice, tanquam Rei, non conueniantur, etiam in causa ciuili, ac reali; item vt à vectigali, seu tributo, non tantum merè personali, sed etiam mixto, liberi, & immunes sint. At verò priuilegia, quæ ob fauorem bonorum Ecclesiasticorum principaliter data sunt ea, non competunt bonis propriis singulorum Clericorum: quale est, v.g. beneficium restitutionis in integrum, si Ecclesia in contractu læsa sit: item vt non tempore ordinario, decem annorum inter præsentes, vel viginti inter absentes; sed per quadraginta annorum spatium præscriptio immobilium bonorum Ecclesiæ perficiatur, sicuti ex communi notauit Abbas *in cap. vigilanti, num.* 36. *de præscript. & in cit. cap. Ecclesia, num.* 7. & Couar. 1. *resolut. cap.* 4 *num.* 3 & ratio est, quia bona Ecclesiastica inter res sacras numerantur, cuius rei signum illud est, quia eorum iniusta ablatio sacrilegium censetur: non ita verò bona Clericorum propria (præsertim ex temporali titulo acquisita) sacra censentur, consequenter nec eundem iuris fauorem habent, de qua re vide, si placet, diffusiùs Suar. *in citato libro* 4. *defens. cap.* 23.

DVBITATIO

DVBITATIO XXVI.

An poßit Rex grauare Ecclesiasticos quoad ea quæ negotiantur.

SECTIO I.

Proponitur dubitationis Resolutio.

1 RESPONDEO affirmatiuè: atque ita habet communis Doctorum opinio; nempe, quòd licitè possit Rex, vel quilibet alius supremus Princeps, ex iis, quæ Ecclesiastici emunt, vendunt, aut deferunt negotiationis causa, vectigal, seu tributum exigere: & probatur *ex cap.vlt. de vita, & honest. Clericorum*; & clariùs *ex capit. quanquam, de censibus, in 6.* Vbi dicitur, *Ecclesiasticas personas ad pedagia, & guidagia penitus non teneri pro rebus suis propriis, quas non causa negotiationis deferunt, vel deferri faciunt*: ergo à contrario sensu, si causa negotiationis deferunt, vel deferri faciunt, tenentur: & ratio est, quia id concessit Ecclesia in odium negotiationis, quæ maximè Ecclesiasticos dedecet; vnde ea seuerè illis interdicitur, vt mox *infrà* dicetur; & ratio vlteriùs est, quia cum Ecclesiastici negotiationibus, ac lucris sæcularium hominum propriis inhient, par est; vt eorum onera etiam sustineant.

Vbi aduerte, quòd glossa *in cit. cap. 2 quanquam, vers. facultatibus*, & Abbas *in cit. cap. vlt. num.* 10 Comitolus *lib. 1. quæst.* 53. *num.* 4. Acugna *in decretum Gratiani, part. 1. dist.* 88. *cap. 2. num. 7.* & Barbosa *in collect. tom. 1. lib. 3. tit. 1. cap. 16. num.* 4. id explicant locum tantùm habere in rebus Clericorum propriis, non item in bonis Ecclesiasticis, seu ad Ecclesiam pertinentibus, de quibus aiunt vectigal soluendum non esse, si Ecclesiastici administratores (quamuis post trinam monitionem) negotiationem exerceant: & ratio esse potest, quia delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare, *regul. 76. in 6.* quamuis alij etiam de his vectigal soluendum esse sentiant, præsertim si præcesserit trina monitio: vtraque opinio est probabilis; sed prior est probabilior propter rationem tactam.

Aduerte secundò, quod Ecclesiastici si ter moniti à Superiore nolint desistere à negotiatione, perdunt per omnes priuilegium Clericale quoad bona propria: vt patet *ex cap. ex literis* 16. *de vita, & honest. clericorum*: ex quo capite rectè colligit gloss. & Petrus de Ledesma *in summa tom. 2. tract. 17. cap. 2. concl.* 17. Ecclesiasticos antè trinam

nam monitionem non teneri in conscientia soluere vectigal, quia gaudent priuilegio Clericali vsque ad tertiam monitionem: idem etiam docent Lopez *instruct. part. 2. cap. 41.* Sousa *in Bull. Cœn. cap. 19. disput. 92. num. 3.* Pereira *de manu Regia, part. 2. cap 24. num. 55.* vbi citat Decianum, Graffium, Bossium Capycium, Rodoanum, & Immolam: idem etiam docet Homobonus *de bonis in consultation. ca. conscient. part. 2. respons. 3.* Rodriquez *in summa tom. 2. cap. 75. num. 11.* Molfes. *in summa tom. 2. tract. 12. cap. 22. n.173.* Ioannes de la Crux *in direct. conscient. part. 1. pracept. 7. quæst. 7. artic. 3. dub. 1. concl. 1.* Iulius Ferrettus *de Gabellis num. 572.* Bertachinus *de gabellis, part. 3. num. 2.* Comitolus *lib. 5. quæst 53. num. 3.* Ioannes Franciscus Suarez *in Enchiridio casuum conscientiæ, lib. 4. ver. tributum, §. Clericus non tenetur,* Parladorius *lib. 1. rerum quotidian. cap. 3.* Ignatius de Salzedo *in pract. crim. cap. 55.* & Reginald. *tom. 1. lib 9. cap. num. 379. in fin.* quidquid in contrarium dixerint Malderus *in 2. 2. tract. 5. cap. 6. dub. 9.* Portel. *in dubiis Regularium, verb. tributum, num. 5.* Ioannes de Neuia *tract. de commer. lib. 1. cap. 14. numer. 10* Prosper de Augustino *in addition. ad summam* Quaranta *ver. vectigal,* & Turrianus *tom. 2. in 2. 2. disput. 44. dub. 4. num. 12.* qui sentiunt, quod Clericus negotiator statim, ex vi negotiationis teneatur in conscientia soluere vectigal; & quidquid in contrarium dixerint Alteriùs *de cens. tom. 1. disput. 19. lib. 5. cap. 6. quæst. 3. fol. mihi 743.* Molina *tom. 1. disput. 147. concl. 5.* Duard. *in Bull. Cœn. lib. 2. can. 18. quæst. 8. num. 9.* qui restrictius, & tolerabilius sentiunt, quod, quoad ea, quæ negotiantur, ex vi negotiationis, statim amittant priuilegium exemptionis, quoad alia autem bona sua, & etiam quoad personam, non amittant, nisi post trinam monitionem: sed de hac re vide etiam Gutierez *de gabellis lib. 7. quæst. 94. per totam,* Mattham *de iurisd. part. 4. cent. 1. cas. 3. num. 2. & seq.* & Ceuallos *tract. de cognit. per viam violentiæ par. 2. quæst. 64.*

Porrò ratio, cur seuerè, & sub pœna anathematis (vt patet *ex cap consequens, dist. 88. capit. negotiatorem 8.* & Hieronymo *cap. fornicari, quæst.* ex August. *cap. fin. de vita, & honest. Clericorum, & ex cap. secundum 6. ne Clerici, vel Monachi*) Ecclesiasticis prohibeatur negotiatio, illa est, quia valde indecorum est, Ecclesiasticos lucris captandis incumbere; tum quia mirè occupat animum, & illum à spiritualibus remouet; tum quia res plena est periculi, periurij, fraudum, & iniustitiæ, iuxta illud Apost. 1. ad Timotheum 6. *habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus,* rationem subdit: *nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem: radix enim omnium malorum est cupiditas.* 4

SECTIO II.

Proponitur COROLLARIVM.

EX dictis *in præcedenti sectione* colligitur, videri esse peccatum mortale; si Ecclesiastici multum negotiationi operam dent; atque ita docent communiter DD. Salonius *in cap. cit. quæst. 77.* 1

quæst. 77. *art*. 4. Salas *de contract. tract. de empt. & vendit. dub*. 2. Molina *de iust. tom*. 2. *tract*. 2. *disput*. 342. *num*. 2. Salzed. *in* Salzed. *in addit. ad pract. crim*. Diaz *cap*. 57. Prosper de August. *in addit. ad summam*, Quaranta *ver. vectigal*. Squillante *de obligat. cler. part*. 2. *dub*. 3. *num*. 39. Reginald. *in praxi tom*. 1. *lib*. 30. *tract*. 3. *cap*. 1. *num*. 20. Medina *de restit. quæst*. 30. *art*. 2. Sylu. *verb. Clericus*, *numer*. 3. Comitolus *in respons. moralib. lib*. 5. *quæst*. 53. Scaccia *in tract. de commer*. §. 1. *quæst*. 7. *par*. 2. *ampl*. 11. *numer*. 7. Sot. *de iust. lib*. 6. *quæst*. 2. *art*. 2. Tol. *in summa lib*. 8. *capit*. 53. Rebellius *de obligat. iust. par*. 2. *libr*. 9. *quæst*. 18. *sect*. 2. *num* 8. Cenedus *in collect. iur. canon. par*. 1. *collect*. 37. *numer*. 2. Molfes. *in summa*, *tom*. 2. *tract*. 12. *capit*. 4. *numer*. 129. Bellettus *in disquis. Cleric. par*. 1. §. 21. *num*. 2. & alij, quos citat, & sequitur Carolus de Grassis *in tract. de effect. Cler. effectu* 3. *num*. 1. *& seqq*. quamuis contrarium dicere videantur Caiet. *in summa vers. Clericus*, & Rodriquez *in summa tom*. 2. *cap*. 1. *num*. 2. qui aiunt, negotiari Clericos posse, dummodo negotiatio non sit turpis, & absit scandalum; idem etiam docere videtur Michaël de Palatio *de contract. lib*. 2. *cap*. 10. *fol. mihi* 168. vbi ait, quod non videtur esse peccatum mortiferum Clerico negotiatio, si aliunde non trahat rationem culpæ, aut propter scandalum, aut propter mendacia, aut periuria, quæ in ea miscentur: etenim si Clericus negotiator anteà est admonendus, tunc vtique peccat, quando admonitus non cessat à negotiando; at quod dixi, est probabilius, propter rationes adductas *in præcedenti sectione*.

2 Dixi, *videri esse peccatum morale*, *si Ecclesiastici multùm negotiationi operam dent*: nam si quis ex ipsis semel, iterum, tervè negotiaretur, non vtique peccaret mortaliter. Ratio, quia id non valdè indecorum esset, nec valdè occuparet animum, & eum à spiritualibus auocaret: atque ita tradunt Salas, Cenedus, Carolus de Grassis *in locis suprà cit*. & alij Doctores passim.

Per Ecclesiasticos autem hîc intelligo Religiosos generatim, & sæculares solùm illos, qui sacris sunt initiati. Ratio, quæ me mouet est, quia his tantùm negotiari videtur valdè indecorum, & horum tantùm occupari animum, & à spiritualibus remoueri videtur esse notabilis defectus: atque ita docent Doctores *suprà* citati *in locis suprà adductis*, & præcipuè Medina. 3

An autem, qui beneficium obtinent, & sacris non sunt initiati, peccent mortiferè, (de veniali enim dubium non est) si multùm negotientur, affirmant Salas *in loco suprà citato*, & citat Rebellium, Vegam, Sà, & Tabienam, affirmat etiam Molfes. & Bellettus, at negant Squilante, & Molina, *vbi suprà*, sic aiens: *qui in sacris non sunt constituti*, *sed beneficium obtinent*, *anceps est Syluest. inclinaréque videntur Doctores aliqui, illos lethaliter non peccare*: hæc ille Quare saltem ab extrinseco propter auctoritates Doctorum: vtraque opinio est mihi speculatiuè probabilis, & sic vtraque opinio tuta in praxi. 4

Quòd autem Ecclesiastici, si sint regulares, vel (si sunt sæculares) si sint sacris initiati, tantùm peccent mortaliter, si multùm negotiationi operam dent. 5

Confirmatur primò à simili de ludo: nam licèt grauiter, & sub multis pœnis prohibeatur Ecclesiasticis ludus alearum, taxillorum, & similium; quinimò & huiusmodi ludis interesse (vt patet *ex can*. 41. *&* 42. *Apostolico*, *cap. Cle-* 6

rici 15. de vita, & honest. Cleric. cap. inter dilectos 11. de excessibus Prælatorum, & ex Concilio Tridentino sess. 22. cap. 1. de reformat. adhuc tamen communiter Doctores docent, quod Ecclesiastici, si sint regulares tantùm, vel si sint sacris initiati, solùm peccent mortaliter, idque si crebrò, & per longum tempus, (& sic cum neglectu officij) ludo vacauerint: tunc enim solùm pœnæ canonicæ prædictorum Canonum (inquiunt ipsi) locum habere videntur; secus si quis ex prædictis Ecclesiasticis ludo vacauerit raro, vel etsi crebrò, ad breue tempus, ita vt absit scandalum, & officium, quo fungitur, detrimentum non patiatur: ergo idem similiter in casu nostro dicendum est.

7 Hinc sequitur, quòd multò minus peccent mortaliter alij Ecclesiastici inferiores, & multò minus laici, (nisi forsan alicubi aliqua lex politica sub graui pœna id prohibens, sit in rigore) ratio, quia iure canonico non est illis vetitum; sed solùm canone illo *Apostolorum* 42. cuius hac in parte obligatio per contrariam consuetudinem iam olim cessauit, sicut & cessauit etiam obligatio multarum legum ciuilium: vnde ludere prædictis ludis, non est per se illis modò peccatum vllum; quamuis ratione circumstantiarum plerumque cum peccato mortali fiat; non admitto tamen cum peccato mortali fieri solùm ex intentione lucri contra Syluest. *verb. ludus. quæst.* 4 & alios, quos ipse citat; nisi in casu, quod intentio, seu affectus lucri tantus esset, vt ludens ex illo paratus sit notabilem iniuriam proximo inferre, vel aliquod præceptum sub peccato mortifero obligans violare, v. g. amore lucrandi per ludum die festo sacrum omittere, &c.

8 Confirmatur secundò à pari de venatione: nam quamuis *cap. 1. de Cleric. venat* Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, & multò magis Monachis prohibeatur sub pœna suspensionis, ne canes, aut accipitres ad venandum habeant, *& cap. 2. eodem tit. & cap. 1. ne Cleric. vel Monach.* grauiter interdicantur iisdem venationes, & vagationes cum canibus: adhuc tamen quoad hoc Doctores non agnoscunt in illis, & multò minus in inferioribus Ecclesiasticis, peccatum mortale, si venatio non sit clamorosa; sed quieta: nempe cum retibus, laqueis, paucisque canibus; quin imò etiam si sit clamorosa, dummodò raro fiat, idque siue causa necessitatis, siue exercitij, siue moderatæ recreationis, &c. sicuti rectè docent Abb. *in cit. cap. 1. de Cleric. venat.* Syiuest. *verb. venatio.* Couar. *ad regulam peccatum, part. 2. §. 8.* Lessius *de iust. & iur. lib. 2. cap. 5. dub. 9 num.* 42. Medina *Cod. de restit. quæst.* 12. Rebellus *lib. 1. quæst. 14. num.* 10. Valerus *in differentiis vtriusque fori, verb. peccatorum, differ.* 20 & alij passim; quidquid dubitare, & docere in contrarium videatur Ioann. Franciscus Suarez *in Enchiridion casuum conscientiæ, lib. 2 §. Clericus*: ergo idem similiter in casu nostro dicendum est.

Confirmatur tertiò à pari de prohibitione, ne Ecclesiastici audiant lectorem iuris ciuilis, vel Medicinæ: nam quamuis *in cap. super specula ne Clerici, vel Monachi*, &c. prohibeatur sub pœna excommunicationis secularibus Sacerdotibus, & Religiosis quibuscunque, operam dare Iuri Ciuili, vel Medicinæ adhuc tamen in prædictam censuram ex communi sententia Doctorum non incurrunt prædictæ personæ, si raro, ter, quatuórve id faciant: ergo idem similiter in casu nostro dicendum est. Adde, quòd nec incurrunt in illam, etiamsi id 9

per

per longum tempus efficiant, dummodò priuatim, & non in ſtudiis publicis id faciant, ſicuti contra Filliucium *tom.* 1.*tract.*14.*cap.*7.*num.*103. & Suarez *de de cenſur. diſp.*23.*ſect.*3.*num.*19.& alios docent Barboſa *in collect.tom.*1.*lib.*3.*tit.* 50.*cap.vlt.num.* 3. Squillante *de oblig. cleric.part.*2.*dub.*8. Homobonus *de ſtatibus part.*1.*cap.*18.*num.*6.Gambarupta *de caſibus reſer.cap.*9.*num.* 6. Villalobos *in ſumma , tom.* 1.*tract.*17.*difficult.* 28. *num.*4. Sanctarellus *tract.de Apoſt.cap.* 2.*dub.*3.*num.*21. & alij, qui omnes, & præcipuè Sanctarellus *vbi ſuprà*, Barboſa *num.*7.& Squillante *dub.*18. *num.*57. ſubdunt, quòd neque in prædictam cenſuram incurrunt prædictæ perſonæ (& multò minùs Diaconi, licèt beneficium habeant:ratio,quia de his non loquitur *cit.cap. ſuper ſpecula*, & ex alio capite odia ſunt reſtringenda, non autem amplianda) etiamſi in ſtudiis publicis operam nauent prædictis facultatibus; quatenus hæ conducunt, vel poſſunt conducere ad maiorem notitiam Canonum; quod tamen ſolùm verum eſt quoad forum internum: nam quoad forum externum haberentur pro excommunicatis; quia Eccleſia non iudicat de internis.

10 Itaque ſicut aleis, taxillis, & ludis ſimilibus ludere: item venari, & lectorem Legum, aut Medicinæ in publicis ſcholis audire, non eſt, neque Religioſis, neque Presbyteris ſæcularibus, peccatum mortiferum, ſi raro id faciant, ita nec negotiari, ſi crebrò id non efficiant.

* * *

SECTIO III.

Proponuntur circa ea, quæ diximus, Aduertenda quædam.

ADuerte primò poſſe prædictas 1 perſonas comparare rem, vt ſit materia, ex qua conficiunt aliam, quam vendant.Ratio, quia id non eſt negotiari, vt expreſsè tradit Chryſoſtomus *homil.*38.*in Matt.*& docent paſſim Doctores ſic olim Religioſi ſportas,ſtoreas, & ſimilia faciebant, vt venderent, & ex pretio ſe ſuſtentarent:& Apoſtolus Paulus artem ſcenofactoriam faciebat:ſimiliter poſſunt agros proprios colere, vt fructus vendant, lapides, vel metalla ex ſuis fundis cædere, vel eruere, ſiue illa mutent in aliam ſpeciem, ſiue non mutent; greges in ſuis prædiis alere, vt ex fœtu, lacte, lana, pecuniam conficiant, aut vt ipſa animalia adulta, & ſaginata vendant, &c.ſicuti docent Medina *Cod. de reſtit.quæſt.*30. *cauſa ſecunda*, Molina *de iuſt.tom.*1.*tract.*2.*diſp.*341. Alterius *de cenſuris tom.*1. *diſp.*19.*lib.*5.*cap.* 6.*dub.*7 Turrian. *in* 2.2.*tom.*2. *diſp.* 59. *dub.*2. Rebellius *part.*2.*quæſt.vlt.ſect.*1. *&* 2.Martha *de iuriſdict. part.* 4. *caſ.* 3. *num.*9 *&* 10.& alij multi mox *infrà* citandi *dubitatione ſequenti*: & ratio eſt, quia hæc omnia ſunt fructus, vel quaſi fructus agrorum, non autem emptionum, & venditionum.

Secundò aduerte non poſſe prædi- 2 ctas perſonas conducere aliena prædia, vel ſimiles res fructiferas, vt fructus vendant,& ita lucrum faciant:etſi enim hoc non ſit negotiari, eſt tamen illis id expreſsè prohibitum 21. *quæſt.*3.*cap.* 1. 2.*&* 3. ex Concil. Carthag. 1. *&* 4. ſecus ſi pro ſua neceſſaria ſuſtentatione

id efficiant; *ibidem* iisdem prohibetur etiam, ne suscipiant administrationem, vel procurationem domus alicuius sæcularis.

3 Tertiò aduerte non esse peccatum mortale, si prædictæ personæ (siue Sacerdotes sint, siue etiam Regulares) negotientur per alios, qui totam industriam præstent, vt si, v.g. pecuniam in societate Mercatorum depositam habeant, &c. Ratio, quia tunc cessat causa prohibitionis; tum quia in iure solùm prohibitum est, ne negotientur per se: ergo &c. atque ita tenent Medina *vbi suprà*, Molina *de iust. tom. 2. disp. 342. num.* 10. Malder. *in 2.2. tract. 5. cap. 2. dub.* 4. Aragon. *in 2.2. quæst. 77. art.* 4. Tabiena *verb. empt. quæst.* 26. Salas *de contract. tract. de empt. & vendit. dub.* 2. Rebellius *de obligat. iust. part. 2. lib. 9. quæst.* 18. *sect.* 2. Squillante *de obligat. Cleric. part. 2. dub.* 3. Turrian. *in 2. 2. tom. 2. disp.* 59. *dub.* 2. Faustus *in spec. confess. disp. 6. quæst.* 103. & alij multi contra Genuensem *in praxi, cap.* 62. *num.* 6. Riccium *in praxi fori Eccles. par. 3. resol.* 205. *num.* 2. Vgolinum *de potest. Episcop. cap.* 13. §. 17. Megalium *in 2.2. lib. 2. c. 5. quæst. 5. num.* 157. Salzedum *in addit. ad pract. crim.* Diaz *cap.* 57. & Prosperum *de August. in addit. ad summam*, Quar. *verb. vectigal.*

4 Non nego tamen, quòd sit parum decorum statui Ecclesiastico, etiamsi per alios personæ prædictæ negotientur: vnde non puto id faciendum, nisi iusta aliqua causa excuset; alioquin semper subesse videtur aliquod leue peccatum: atque ita tenent Molina, & Faustus *in locis suprà cit.* quamuis Turrian. & alij putent, ex vi solius prohibitionis posse sacris initiatos, & Religiosos etiam, negotiari per alios sine peccato veniali. At quod dixi, est probabilius, si non ex vi prohibitionis positiuæ, saltem ex vi prohibitionis naturalis; cùm ex natura rei id sit parum decorum, vt *suprà* dicebatur, præsertim Religiosis, & iis, qui sunt sacris initiati.

Quartò aduerte, quòd ad hoc, vt 5
Ecclesiastici (quicunque illi sint) ex vi negotiationis amittant immunitatem gabellarum, requiruntur tres monitiones de iure, & non sufficit vna, quæ instar trium sit, seu quæ tribus æquiualeat. Ratio, quia sumus in his, quæ sunt contra immunitatem Ecclesiasticam, & sic in odiosis, quæ restringenda sunt: ergo &c. atque ita docent Doctores, quos citat, & sequitur Acugna *in decretum Gratiani, part. 1. dist. 88. cap. 2. num. 6.* quamuis contrarium, & non improbabiliter sentiant Rosella *verb. excommunicatio 2. num.* 3. & Angelus *verb. Clericus, num.* 3.

Quintò aduerte, quòd in casu, quod 6
Ecclesiastici amiserint exemptionem gabellarum, & sic soluere illas teneantur, ex eo, quod ter moniti noluerint desistere à negotiando, cogendi sunt coram Iudice Ecclesiastico, non autem coram Iudice sæculari. Ratio, quia potestates sæculares non habent in Ecclesiasticos iurisdictionem, præsertim coercitiuam, coactiuam, seu punitiuam: cùm hæc maximè omnium disconueniat in sæcularibus in ordine ad statum Ecclesiasticum, sicuti diffusè probabam *dub. 4. sect. 19. & 20. per totas*; atque ita in terminis nostri casus docent Bald. *in leg. de his Cod. de Episcopis, & Cler.* Abb. *in cap. qualiter de Iudiciis, in fin.* Rolandus à Valle *vol. 4. cons. 71. num.* 25. Squillante *de priuilegiis Cler. cap. 8. dub. 1. num.* 33. qui citat Bertachinum, Nattam, Carolum de Grassis, Surdum, Molfesium

& alios ita etiam docent Salzedus, & alij, quos ipse citat, & sequitur; ita etiam docet Anguianus *in tractatu de legibus, tom. 1. lib. 2. contr. 15. numer. 14. & seqq.* Bartholomæus à S. Fausto *in specul. confess. disput. 33. quæstion. 21.* quidquid immeritò in contrarium (quamuis cum limitatione, si scilicet Iudex laicus procedat contra bona Clerici, non autem contra personam) dixerint Salgad. *de protect. Regia, tom. 2. part. 4. cap. 14. num.* 100. Ramirez *in tract. de lege Regia, §. 27. numero 12.* Mexia *in pragm. taxæ panis, conclus. 5. num. 23.* Lassarte *de gabellis cap. 19. numero* 84. Tiraquell. *lib. 1. de retract. cap. 32. gloss. 1. num.* 81. Aufrerius *in Clem. 1. de offic. ordin.* Fallent. 4. *reg.* 2. Guliel. de Benedictis *in cap.* Raynutius *verb. & vxorem nomine Adelasiam numero 322. de testam.* & Coriolanus *in Bull. Cœna, excommun. 16. fol. mihi* 945.

SECTIO IV.

Proponuntur, & soluuntur difficultates contra vltimum Aduertendum positum.

1 OBiicies primò: Iudex laicus in nostro casu non exercet iurisdictionem in personam Clerici; sed solùm in rem temporalem Clerici: ergò &c. quapropter Coriolanus *vbi suprà* dixit, posse Clericos coram Iudice laico conueniri in tributis, & censibus, quia videntur in tali casu potiùs res eorum, tanquam affectæ, conueniri, quàm personæ.

2 Respondetur, id nullo modo posse Iudicem laicum, quia onus est personale, quod soluitur ex rebus: est enim ratione personæ; tum quia si persona est exempta, erit etiam exempta res personæ, quia onus imponitur ratione personæ; tùm quia accessorium sequitur naturam sui principalis: quapropter *in cap. vnico de Cler. coniug. in 6.* statuitur, quod persona Clerici non possit molestari in rebus: ne per vnam viam concedatur, quod per alteram denegatur: & Abb. *in cap. qualiter, de Iudiciis num.* 8. dixit: *certum est, quòd si persona est exempta, exempta etiam sit res personæ*, quia res personæ sequitur priuilegium personæ, sicuti *suprà* dicebam, & notauit Genuensis *in praxi, cap. 8. num* 5. Sousa *in Bull. Cœnæ, cap. 10. disput. 95. numer. 4.* & Duard. *lib. 2. canon. 9. 11. numero 52.* & Suarez contra Regem Angl. *lib. 4. cap. 24. num. 11.* dixit, quod bona Clerici semper adhæreret personæ ipsiusmet Clerici, vnde propriè, & verè persona Clerici non est exempta, nisi bona Clerici sint etiam exempta.

Obiicies secundò, bona Clerici sunt temporalia, & respiciunt Clericum, non vt Clericum: sed vt Dominum temporalem, vel vt Ciuem, ergò, &c.

Respondetur, quod Clericus non est tantum exemptus, vt Clericus, sed etiam est exemptus, vt Ciuis: & sic simpliciter est exempta eius persona. Vide quæ dicebantur *suprà in cit. dub. 4. sect. 19. & 20. per totas*, vbi hanc doctrinam diffusiùs explicatam, & eius nonnullas limitationes, inuenies. 3

Hinc meritò reiiciuntur illi Iudices, qui puniunt Clericos pœna pecuniaria & pro pœna corporali remittunt eos ad Episcopos, sicuti *in cit. dub. 4. sect.* 4

 19.

19. & 20. dicebatur, & docet prætet alios Duard. *in loco suprà citato numero* 31.

5 Item meritò reiiciuntur Gutader. *pract.* 99. *lib.* 1. *quæst.* 4. *num.* 2. Ceuallos *in tract. de cognit. per viam viol. part.* 2. *quæst.* 11. *num.* 44. & Neuia *in cur. Philipp. part.* 3. §. 17. *num.* 13. qui dicunt quod Iudex laicus, etsi non possit procedere contra personã Clerici, possit tamen procedere contra animalia & pecora Clerici, quæ in alienis pascuis vetitis reperiuntur, sicuti *in ead. dub.* 4. *cit. sect.* 19. *subsect.* 14. dicebatur, & docet præter alios Barbos. *in collectan. tom.* 1. *libro* 1. *titulo* 2. *capite* 10. *numero* 6.

6 Item meritò reiiciuntur Angel. *in l. quoties in fine Cod. de Iudiciis*, Federicus de Senis *cons.* 88. Lancellot. *de attent. part.* 2. *cap.* 15. *num.* 97. Aufrerius *in repet. Clem.* 1. *de officio ordin. num.* 81. Guillelmus de Benedictis *in cap. Raynutius, verb. & vxorem, decis.* 2. *num.* 141. Cassaneus *de consuet. Burgund. rubr.* 1. §. 5. *num.* 82. Franciscus Marcus *decis.* 215. *num.* 1. *part.* 1. asserentes, quod possit Iudex secularis punire Clericum, si non in persona, saltem in bonis, si signa reuerentiæ debita ipsi non præstiterit, aut si coram ipso modo aliquo deliquerit, aut si depositum, ad quod tribunali Iudicis sæcularis restituendum se obligauit, restituere recusauerit; aut si ratione officij sibi à Principe laico concessi quomodocumque deliquerit; aut si testimonium falsum coram Iudice sæculari deposuerit, &c. sicuti diffusè probabatur, *in cit. dub.* 4. *sect.* 19. *per subsectiones subsequentes*, & docent præterea passim Doctores, Duard. *in Bull. Cœn. lib.* 2. *canon.* 15. *quæst.* 11. Bellettus *in disquisit. Cleric. part.* 1. *tit.* 3. Bonac. *de legib. disput.* 10. *quæst.* 2. *punct.* 1. §. 1. Ambrosin. *de immun. Eccles. cap.* 20. Megalius *in* 3. *part. lib.* 3. *cap.* 11. Surdus *lib.* 3. *consil.* 396. Ceuallos *in tract. de cognit. per viam violent. part.* 2. *quæst.* 67. Afflictus *decis.* 230. Gutierrez *pract.* 99. *lib.* 1. *quæst.* 24. Facchineus *lib.* 9. *controuers. cap.* 27. Salzed. *in pract. crim.* Diaz *cap.* 63. Martha *de iurisd. part.* 4. *cent.* 2. *cas.* 127. Erasmus Cochier. *de iurisdict. tom.* 2. *part.* 3. *quæst. vlt.* Zanard. *in direct. confess. tom.* 3. *capit.* 50. Carolus de Grassis *de effect. Cleric. eff.* 1. Riccius *in praxi tom.* 2. *resol.* 413. Barbosa *in collect. tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 50. *cap.* 2. Francis. Marc. *part.* 3. *decis.* 479. Caballus *resol. crimin. cas.* 64 Genuensis *in praxi cap.* 8. Laymam *lib.* 4. *tract.* 9. *cap* 4. & alij quam plures.

Hinc multo magis reiiciuntur Iuristæ 7
illi, qui putant, quod in supradictis casibus possit Iudex sæcularis punire Clericum, non solùm in bonis, sed etiam in persona: Istorum enim opinionem esse omnino falsam, diffusè probabam *in cit. dub.* 4. *sect.* 19. & 20. & tenent etiam ex iuristis, Afflict. *decis.* 230. Farinacius *tit. de inquis. quæst.* 8. *num.* 26. Martha *vbi suprà cas.* 138. Facchineus, Surdus, & Decianus *in locis suprà citatis* & habetur expresè *in cap. si diligenti, de foro competenti cap.* 1. *de Cleric. coniug. & authent. statuimus Cod. de Episcopis, & Cler.*

An autem, ad effectum repellendi 8
Clericum à testimonio, possit Iudex laicus per viam exceptionis cognoscere de Crimine Clerici, quamuis affirment Gutierrez *pract.* 99. *quæst.* 24. *num.* 2. Clarus §. *vlt. quæst.* 38. *num.* 14. & Anguian. *in tract. de legibus, tom.* 1. *lib.* 3. *contr.* 28. *num.* 11. negant tamen Hostiensis *in cap. verum, de foro compet.* & Ioan. Andreas *in cap. at si Clerici, num.*

21. &

21. & alij sed de hac re nos alibi commodius dicemus.

9 Obiicies Tertio, adesse consuetudinem in contrarium, vt scilicet (in casu quòd Ecclesiastici tenentur soluere gabellas, ex eo quod illarum immunitatem amiserint, quia ter moniti noluerunt desistere à negotiando) conueniantur, & cogantur ad illas soluendas coram Iudice laico, & Ecclesiastico, non ergò &c.

Respondetur, consuetudinem istam vt pote abrogatam per Canones, & quotannis reuocatam per Bullam Cœnæ Domini, corruptelam esse; sicuti dicebam *dub.* 15. *&* 25. & dicam *infrà* diffusius *dubitatione sequenti*. Vide etiam quæ dicebantur *in cit. dub.* 4. *sect.* 19. *&* 20. vide etiam Bullam Vrbani VIII. super præseruatione iurium sedis Apostolicæ, & inferiorum Ecclesiarum, personarumque Ecclesiasticarum, à quibuscumque præiudicialibus, quæ incipit. *Romanus Pontifex*.



DVBITATIO XXVII.

An Rex possit grauare Ecclesiasticos quo ad ea, quæ colligunt ex bonis suis Patrimonialibus, si illa aliò transferunt, vel transferri faciunt, ad finem, vt ibi cariùs vendant,

SECTIO I.

Proponitur Dubitationis resolutio.

1 

RESPONDEO negatiuè; & probatur, quia id non est negotiari, vt dicebatur *in dub. præcedenti*: atque ita docent communiter Doctores, Molina *de iust. tom.* 2 *disp.* 341. Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 1. *num* 4. *& seq.* Alterius *de cens. tom.* 1. *disp.* 19. *lib.* 5 *cap.* 6. *dub.* 7. Bellett. *in disquit. part.* 1. *de disciplina clericali*, § 21. *num.* 7. *& seqq.* Malder. *de iust. tract.* 5. *cap.* 2. *dib.* 4. Duard. *in Bulla Cœnæ lib.* 2. *can.* 28. *quæst.* 8. *num.* 14 *& seq.* Syluius *in cap.* 2. 2. *S. Thom quæst.* 77 *art.* 4 *concl.* 4 *ad* 6. Turrian. *in* 2. 2. *tom.* 2. *disp.* 59. *dub.* 2. *num.* 1. *& seq.* Tannerus *tom.* 3. *disp.* 4. *quæst.* 7. *dub.* 2. *num.* 69. Osorius *lib.* 4 *cap.* 2. *fol. mihi* 380. Rebellius *part.* 2. *lib.* 9. *quæst. vlt. sect.* 1. *&* 2. Faustus *in spect. confess. disp.* 33. *quæst.* 17. Barbosa *in collect. in ius Canon. tom.* 2. *lib.* 3. *tit.* 50. *cap.* 6. *num.* 3. Riccius *in praxi, tom.* 1. *resol.* 317. Castrus Palaus *tom.* 2. *tract.* 12. *disp. vnic. punct.* 9. *num* 16. vbi ait illam esse

eſſe negotiationem Clericis prohibitam, & quæ debitum tributi habet annexum, in qua lucrum intenditur ex emptione priùs facta; ſecus ſi lucrum non ex emptione formaliter; ſed aliunde proueniat, & ſic negotiator (inquit ipſe) non es, ſi vendas vinum, triticum, oleum ex redditibus tui beneficij, aut ex poſſeſſionibus tuis patrimonialibus collecta, quia illi non fructus emptionis; ſed tuarum poſſeſſionum: ita etiam docet Bonacina *tom.* 3. *in Bulla Cœna, diſp.* 1. *quæſt.* 19. *punct.* 3. §. 3. *num.* 6. vbi docet, quòd non dicitur negotiari, qui vinum, oleum, & alia, quæ ex ſuo agro colligit, & vendit, ſiue in eodem loco vendat, ſiue aliò transferenda curet, vbi cariùs vendere poſſit: nullus enim (inquit ipſe) negotiari cenſetur, vendendo res ex propriis bonis Eccleſiaſticis, vel patrimonialibus collectas. Ita etiam tradit Souſa *in Bulla Cœna, cap.* 19 *diſp.* 92. *conſ.* 1. *num.* 4 vbi docet, quod negotiatio lucratiua dicenda non eſt in caſu, quo Eccleſiaſticus bona ſua mittit ad locum, vbi pluris valent: vnde (inquit ipſe) ex zaccharo, & aliis, in quibus Rex Epiſcopis, & Clericis vltramarinis ſtipendium ſoluit, tributum exigi non licet, quando illa venditionis cauſa ad hoc Regnum aſportantur, quia propriè loquendo hoc non eſt negotiari, ita etiam tandem ex Iuriſtis ipſis docet Martha *de iuriſdict. part.* 4. *caſ.* 3. *num.* 9. & 10. Ceuallos *tract. de cognit. per viam violentiæ part.* 2. *quæſt.* 64. *num.* 41. & Pereira *de manu Regia, part.* 2. *cap.* 24. *num.* 34. quidquid contrarium dixerit Carolus de Graſſis *de effectibus Cler. effect.* 3. *num.* 178.

SECTIO II.

Proponitur contra Dubitationis reſolutionem poſitam, prima difficultas, eiuſque: ſolutio.

OBiicies; quod in tali caſu exigitur à Clericis, non eſt gabella, ſed eſt inter regalia debita Regi: quia portus annumeratur inter regalia, ergò, &c.

Reſpondeo, quod licet portus ſit inter regalia, ſeu de regalibus Regis, non tamen hinc ſequitur, id, quod in illo exigitur, non eſſe gabellam, ſicuti ex communi ſententia Doctorum docet Montanus *de regalibus ver. portus, num.* 2. vbi ait: *vectigal portus duplex eſt, alterum vocatur anchoragij, alterum verò ius exitura*, quod ſoluitur de his, quæ extrahuntur à portu, cauſa mercimonij. Vnde *in l. inter publica*, § *fin. ff. de verb. ſignif.* prouentus ex portu inter fiſci vectigalia numerantur, & dicitur *vectigal portus*, & alio nomine *portorium* de quo fit mentio *in l.* 3. *Cod. de vectig.* & Symmachus *lib.* 5. *epiſt.* vocat *quadrageſima portorium, vel vectigal*, & ideo portorium, & vectigal idem ſunt, vt patet *ex leg. cum in plures*, §. *vehiculum, ff. de locat.* vbi vectigal, quod in tranſitu alicuius pontis ſumitur, dicitur *portorium*: ſic ille & Regens de Neapoli *in allegat. contra Meſſan.* prouentum ſoluendum ex extractione ſerici è portu Meſſanæ *vectigal* vocauit, vt patet *ex titulo dictæ allegationis, & intus fol.* 21. 24. 28. & 29. cum igitur portorium, extractio, ſeu ius tractarum ſit gabella ſequitur, quod Eccleſiaſtici ad illam minimè teneantur; ergò, &c.

SEC

SECTIO III.

Proponitur secunda difficultas, eiusque solutio.

1 OBiicies secundò adesse in aliquibus Regnis, vt in Regno Siciliæ, &c. consuetudinem in contrarium; & de hac consuetudine testatur Carolus de Grassis *vbi suprà, effect. 2. num. 294.* asserens, è Regno illo non posse extrahi blada, ac cœtera comestibilia sine licentia Proregis, & solutione extractionis, licèt tales res fuissent productæ, & collectæ in prædiis Ecclesiasticis, & Clericorum (quamuis subdat *ibi* iste Author; Clericos contrauenientes non posse puniri per Principes sæculares, sed per suos superiores) ergò si Clerici per extractionem suorum bonorum extra Regnum soluunt gabellam, seu ius tractæ, dicendum similiter est, eamdem gabellam soluendam esse in extractione infrà Regnum: nam vtrobique militat eadem ratio; & sic vtrobique debet esse eadem iuris dispositio ex *l. illud, ff. ad leg. Aquil. ex l. illud Cod. de sacros. Eccles. ex l. si postulauerit, §. 2. ff. ad leg. Iul. de adult. & aliis iuribus.*

2 Respondeo, quod consuetudo, etiam immemorabilis, quæ præiudicat aliquo modo libertati Ecclesiasticæ, non valet, nec admitti debet, etiamsi sit consuetudo mixta laicorum, & Clericorum, vt mox *infrà* dicetur; & ratio est, quia Clerici etiam volentes, non possunt se submittere iurisdictioni laicali: vnde non est vis facienda in tali praxi, & ita in terminis nostri casus contra Carolum de Grassis, & contra consuetudinem istam, quæ est in aliquibus regnis, vt in regno Siciliæ, &c. eruditè docet Ioan. Baptista Ciarlinius *in controu. forens. cap. 31. num. 13. & 16.*

Item non valet, nec admitti debet consuetudo immemorabilis, etiamsi sit particularis, vt mox *infrà* etiam dicetur: & patet *ex cap. Clericis, de iudiciis, & ex aliis iuribus*, vbi clarè Pontifex damnat consuetudinem etiam particularem, si illa tendit contra Ecclesiasticam immunitatem. 3

Adde, quod generaliter omnis consuetudo tendens contra immunitatem Ecclesiasticam, non solùm reprobatur *in cit. cap. clericis, de iudiciis, cap. nouerint, de sent. excommun. & in Authent. Cod. de sacrosanct. Eccles.* sed etiam *in bulla Cœnæ*, vt notarunt Colleg. Bononiense *in Responsione contra Venetos, num. 59.* Vigianus *tract. de libert. Eccles. disput. 2. conclus. 4. & disp. 3. conclus. 1.* Vgolinus *in respons. ad Iurisconsult. Gymnasij Patauini, cap. 7.* Ioan. Franciscus Fagnan. *in tract. de iust. cons. Pauli V. part. 4. fol. mihi 116.* Tannerus *2. 2 disput. 5. quæst. 5. dub. 10. num. 132.* Bonacina *de cens. disput. 2. quæst. 4. punct. 2.* Souza *contra Venetos, fol. mihi 72.* Martha *de iurisdict. part 4. centur. 1. casu 7. num. 12.* & Philiarchus *de officio Sacerdot. tom. 1. part. 1. lib. 3. cap. 9.* quapropter citati Doctores *in locis supra adductis*, docent generaliter, quod nulla consuetudo (quantumvis immemorabilis) valeat, & subsistat, si tendit contra immunitatem Ecclesiasticam; idem etiam docent Azorius *part. 1. lib 5. cap. 12 quæst. 1.* Pesantius *tract. de immunit. Ecclesiast. disput. 2. num. 2.* Layman *lib. 4. tract. 9. cap. 10. numer. 1.* Filliucius *tom. 1. tract. 16. cap. 10. num. 255.* Acosta *in Bullam Cruciatæ, quæst. 79.* Bellettus *in disquisit. Cleric. part. 1. tit. 3. §. 3. num. 8.* Alterius *de censur. to-* 4

mo 1. *lib.* 5. *disput.* 16. *cap.* 2. Duardus *in Bullam Cœnæ, cap.* 14. *disput.* 75. *numero* 2. *& disput.* 76. *num.* 5. *& libro* 2. *can.* 14. *quæst.* 9. *num.* 8. Surdus *tom.* 3. *consil.* 301. *num.* 52 Martha *de iurisdict. part.* 4 *centur.* 2. *casu* 101. Comitolus *in tract. apolog. contra Venetos, cap.* 3. *num.* 8. & alij passim; & ratio est, quia laici, cùm sint incapaces iurisdictionis Ecclesiasticæ, nunquam possunt se tueri consuetudine aliqua, etiam immemorabili; cùm nunquam, ob causam iam dictam, illa legitima esse possit ad præscribendum: idem etiam docent Bellarminus *in respons. ad quamdam Epistolam pro Venetis*, & Suar. contra Regem Angliæ, *lib.* 4. *cap.* 32. *numero* 23. vbi ait: *Ex dictis satis constat, nullam consuetudinem, etiamsi immemorabilis sit, nullo modo contra immunitatem Ecclesiasticam præualere posse*: solùm obiici solent quædam particulares consuetudines aliquorum Regnorum, quæ licèt sint contra immunitatem Ecclesiasticam, sine scrupulo à Magistratibus laicis obseruantur, ad quos possumus vnó verbo respondere, illas consuetudines non ad ius, sed ad facta hominum pertinere, propter quæ tamen veritatem negare non possumus, neque illorum rationem dare tenemur; sed id ad illos spectat, qui consuetudines istas obseruant: ita Suar. qui *cap.* 34. *numero* 16. etiam notat, quod quamuis consuetudo immemorabilis vicem legis, & priuilegij obtineat (vt patet *ex cap. super quibusdam* 26. *§. præterea, de verb. signif.* & docet Riccius *p.* 4. *decis.* 89. *n* 4. & Io. Narbon. *de appell. à Vicar. p.* 2. *fundam.* 4. *num.* 4.) tamen si turpis, & exprobrata est, non possit inducere priuilegium, quantumcumque illa immemorabilis sit. vide *dubit.* 4. *sect.* 19. *&* 22. vide etiam *dubit.* 15. *&* 25. ac tandem Bullam Vrbani VIII. super præseruatione iurium Sedis Apostolicæ, & inferiorum Ecclesiarum, personarúmque Ecclesiasticarum, à quibuscumque præiudicialibus, quæ incipit: *Romanus Pontifex.*

Et ex his patet ad id, quod Garcias *de Nobil. Hispan. gloss.* 9. *num.* 48. Salgad. *de protect. Regia, tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 1. *Præl.* 3. *num.* 138. *& seq.* Ceual. *tract. de cognit. per viam violentiæ, gloss.* 4. *num.* 1. *& seq.* Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 33. *num.* 4. & Pereira *de manu Regia, cap.* 5. *num.* 6. *& seq.* & Couarruu. *pract. quæst. cap.* 35. *num.* 5. tradunt: nempè quod à Iudicibus Regiis aliquæ Clericorum causæ in suis Tribunalibus tractentur: quod & rectè fieri iidem Doctores defendere conantur, adducentes ad id defendendum consuetudinem aliquorum Regnorum in contrarium; patet (inquam) ex dictis ad id, quod isti Doctores tradunt, quod scilicet non obstante tali consuetudine, fieri id minimè possit: quapropter optimè Bellarmin. *loc. supra cit.* sic ait: *e se il Conarruuias dice il contrario, noi habbian à credere più alle scritture, & à santi Padri, che al Couarruuia, il quale in materia de giurisditione si è monstro sempre troppo partiale*; quod etiam notauit Maderiaga *in tract. de Senatu, cap.* 39. §. 1. *fol. mihi* 458. vnde cautè legendus est Couarruuias *in materia de iurisdictione*, vt rectè dixit Suar. *de relig. tom.* 1. *lib.* 1. *de diuino cultu: cap.* 38. *num.* 16. & Tanner. *in part.* 2. *disput.* 5. *quæst.* 7. *dub.* 1. *num.* 16. *& in defens. Ecclesi. liber. lib.* 2. *cap.* 16. vbi illum in multis impugnant.

SECTIO IV.

Proponitur tertia difficultas, eiúsque solutio.

1 OBiicies tertiò consuetudo potest abrogare ius positiuum (vt traditur *in cap. fin. de consuet. & capit. 2. de probat.*) ergò & poterit abrogare ius positiuum, canonicum: ergò nihil obstat, quòd consuetudo sit contra sacros Canones, & quod ab illis reprobetur. Adde, quod consuetudo potens ad acquirendam iurisdictionem (vt patet *ex cap. irrefragabili de offic. ordin.*) ergò, & potens erit ad illam deperdendam.

Respondeo, quod quamuis consuetudo possit abrogare ius positiuum, etiam canonicum, non tamen potest abrogare ius diuinum; immunitas autem Ecclesiastica, seu exemptio Ecclesiasticorum à sæcularium Principum, & magistratuum iurisdictione, tum quoad personas, tum quoad bona, non est de iure positiuo; sed est de iure diuino, quamuis iure positiuo, tam ciuili, quam Canonico declarata, & confirmata: atque ita docent gloss. *in cap. si Imperator, distinct.* 96. gloss. *in cap. quamquam, de censib. in* 6 Innoc. *in cap. 2. de maior. & obedient.* Abb. *in cap. Ecclesia, num. 6. de constit* Nauar. *in cap. nouit, notabili 6. corol. 1. de Iudicijs*, & alij Canonistæ, quos refert, & sequitur Mattha *de iurisdict. part. 2. capit. 6.* Clarus §. *practica criminalis, quæst.* 36. Surd. *tom. 1. cons.* 301. *num.* 52. Roland. *à Val. tom. 2. cons.* 23. *num.* 18. Marius Antonin. *lib. 1. resolut.* 97. *num.* 8. Riccius *part. 2. decis.* 299. *numer.* 3. Valenzuola *in defens. cons. Pauli V. part. 4. num.* 37. Bursat. *tom. 4. cons.* 397. *num.* 10. Franciscus Leo *in thes. fori Eccles. part. 1. cap. 14. numero* 1. Philippus Maynardus *de priuileg. Eccles. contra Venetos, part. 2. art.* 12. Carolus de Grassis *de effectib. cler. effect. 1. num.* 2. Vigianus *de immunit. Eccles. disput.* 4. Gutierrez *tract. de gabell. quæst. 92. num. 9. & seq.* Germon. *de immunit. sacr. lib. 3. cap.* 15. Boia *part. 1. casu* 26. Cabedo *part. 2. decis.* 83. *num.* 10. Fagnanus *in tractat. de iust. cens. Pauli V. part. 1. fol. 8. & part. 4. fol.* 93 Ioannes Beltran. *in propugn. libert. Eccles. assert. 1. §. 7. num.* 13. & 31. & inter Theologos Almainus *tract. de Eccles. potest. cap.* 8 Ioannes Driedo *lib. 1. de libert. Christiana, cap. 9. considerat. 3. & seqq.* Bellarmin. *in opusc. disput. de exempt. cleric.* Valentia *tom. 4. disput. 9. quæst. 5. part. 4. edit. vlt.* Az[illegible] *tom. 1. lib. 5. capit.* 12. Tanner. *in defens. Eccles. libertatis lib. 1. cap.* 17. Suarez *in defens. Eccles. Cathol. lib. 4. cap.* 9. Sosa *in tract. censur. Pauli V. fol. mihi 25. & seqq.* Bonacina *de contr. disput. 10. quæst. 2. punct. 1. §. 1. num.* 3. Filliucius *tom. 1. tract. 16. 11. num. 316. & tom. 2. tract. 25. cap. vlt. num.* 417. Comitolus *in tract. Apolog. contra Venetos cap.* 5. Duardus *in Bull. Cœna, lib. 2. vers. 15. quæst. 18. concl. 2. num.* 16. Pesantius *tract. de immun. Eccles. disput. 1. num.* 5. Homobonus *part. 2. tract. 11. capit. 4. quæst.* 4 Alterius *de censur. tom 1. disp. 16. lib. 5. cap.* 2. Peregrin. *de immunit. Eccles. cap. 16. num.* 37 Seruant. *in defens. immunit. Eccles. contra Venetos propos. 5. fol. 57. & seqq.* Vgolin. *in Respons. ad iurisconsult. Gimnasij Pataüini cap.* 2. Collegium Bononiense *in respons. pro libertate Ecclesiastica contra Venetos num.* 40. & alij quamplures præsertim Canonistæ, quos ci-

tat Bobadilla *in Polit. tom. 1. lib. 2. capit. 18. num. 17. in gloss. litera, B.* & Callist. Ramirez *in tract. de lege Regia §. 27. num. 9. in gloss. littera V.* & ratio est, quare sit.

SVBSECTIO I.

Proponitur prima, probatio, quod Immunitas Ecclesiastica, seu Ecclesiasticorum à sæcularium Principum iurisdictione, tam quoad personas, quam quoad bona exemptio sit de iure diuino.

PRobatur itaque primò ex veteri lege, qua Dominus Leuitas, templi ministerio dedicatos, à reliquis tribubus sequestrauit, & Aaroni, atque filiis eius subiecit; sicuti legitur in cap. 3. Numer. *quod locutus est Dominus ad Moysem*, vers. 10. *dabis dono Leuitas Aaron, & filiis eius, quibus traditi sunt à filiis Israël. Aaron autem, & filios eius constitues super cultum sacerdotij*, & infrà n. 45. *eruntque Leuitæ mei, ego Dominus* & c. 8. Num. *statuésque Leuitas in conspectu Aaron, & filiorum eius, & consecrabis oblatos Domino, ac separabis de medio filiorũ Israel, vt sint mei: & postea ingredientur tabernaculum fœderis, vt seruiant mihi, sicque purificabis, & consecrabis eos in oblationem Domini, quoniam dono donati sunt mihi à filiis Israel.* Ex quibus locis clarè colligitur, leuitas non alteri, quàm Aaroni, & successoribus eius sacerdotibus subiectos fuisse: bona autem, & possessiones sacerdotum, ac leuitarum fuisse ab exactionibus immunes, colligitur *ex cap. 30. exodi ver. 12. & ex cap. 1. ver. 47. numer.* in quibus locis significatur, leuitas, & à tributo, & à militia immunes fuisse. Item *ex cap. 18. numer.* vbi legitur, *à reliquis tribubus Israël decimas pendendas fuisse sacerdotibus, & leuitis, ipsos autem leuitas secundas decimas, seu decimas decimarum Aaroni, & sacerdotibus eius soluisse*, sicuti explicat inter alios Iosephus *lib. 4. antiquit. cap. 4.* Idem etiam colligitur *ex eodem cap. 18. numer. num. 20. & c. 35.* in quibus significatur, Aaroni, & filiis eius, atque leuitis non fuisse partem assignatam in diuisione terræ promissionis, sicut reliquis tribubus; sed postea ex tribubus, pro singularum facultate, fuisse Vrbes, & possessiones designatas pro Tribu leuitica; vt hæc esset, quasi pars, & possessio à filiis Israël Deo oblata in ministris eius; & quamuis leges istæ veteris testamenti desierint, tamen facilè ex iis colligitur, quod quanto nunc dignioris sacerdotis ministri sunt (qui *Clerici* dicuntur, id est, *sors, ac possessio Domini cap. cleros, distinct. 21.*) tanto magis dicta Immunitatis priuilegia in ipsis locum habere debent.

SVBSECTIO II.

Proponitur secunda probatio.

SEcundò probatur ex traditione: nam omni tempore Ecclesia immunitatem suam, quatenus pro temporum varietate fieri potuit, contra sæculares potestates defẽdit, vti videre est apud Suar. *lib. 4 in defens. Eccles. Cathol. cap. 3. & 12.* & apud Tanner. *lib. 1. cap. 8. & seqq.* quare etiam Apostolus *1. ad Corinth. 6.* præcipit, vt aliqui de Ecclesia statuerentur,

rentur, ad quos Christiani suas causas, & controuersias deferrent; quod proinde necessariò fuerat Tribunal Ecclesiasticum, cùm eo tempore inter Christianos nulla esset sæcularis potestas: & ratio huius præcepti est, vt ait S. Thom. *ibidem*, quia si Christiani sæcularium hominum, qui tunc infideles erant, iudicio spontè se subiicerent, Ecclesiæ dignitati non parum derogaretur, & iudicibus occasio præberetur calumniandi, & opprimendi fideles, quæ ratio, licèt hodie, cùm iudices sæculares sint fideles, cesset, quoad laicos, non tamen cessat quoad Ecclesiasticos, quippe quos non decet à laicis iudicari; quia hi gradu, & ordine in Ecclesia inferiores, ac subditi sunt: tum quia constat Clericis infestos esse, in eósque potestate, si quæ conceditur, frequenter abuti, sicuti videri potest *causa 2. quæst. 7.*

Quantum verò attinet ad exemptionem à tributis, eam Christus *Matth. 17.* in primis sibi, tanquam filio naturali, Regi omnium Regum terrenorum; tum verò etiam secundùm quandam participationem beato Petro competere significauit: *Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum? at ille* (Petrus scilicet) *dixit, ab alienis: dixit illi Iesus: ergo liberi sunt filij, vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare*, &c. ex quo facto discipuli reliqui collegerunt beatum Petrum ipsis omnibus à Christo prælatum fuisse: sicuti S. Hieronymus *ibi*, S. Chrysostomus *homil. 59. in Matth.* & Origenes *in cap. 18. Matth. homil. 5.* annotarunt: & quamuis Christus in hoc loco priuilegium exemptionis præcipuè beato Petro, tanquam Vicario suo, communicauerit; debet tamen id etiam reliquis Ecclesiasticis accommodari, quatenus ij Christi, ac Dei seruitio peculiariter dedicati, è familia ipsius esse censentur: & sic à sæcularium potestatum iurisdictione, atque imperio debent esse immunes.

SVBSECTIO III.

Proponitur tertia probatio.

Tertiò probatur ex auctoritate summorum Pontificum, & Conciliorum: nam *in Concilio Lateranensi sub Innoc. III. cap. 43.* dicitur: *nimis de iure diuino quidam laici vsurpare nituntur, cùm viros Ecclesiasticos, nihil temporale obtinentes ab eis, ad præstandum sibi fidelitatis iuramenta compellunt*: & *in Tridend. sess. 25. cap. 10. de reformat.* habetur: *Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus constitutam esse*; quibus verbis sublata est quorundam Doctorum interpretatio, quod scilicet nomine iuris diuini, quo Clericorum exemptio fundata est, canonicum ius intelligendum sit: siquidem Tridentinum apertè inter Dei, & Canonum Sanctiones distinguit: & *in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 9.* dicitur: *cùm à iure, tam diuino, quàm humano potestas nulla in Ecclesiasticas personas attributa sit*, &c. & similiter *in Concilio Coloniensi, part. 9. cap. 20.* dicitur: *Immunitas Ecclesiastica vetustissima res est, iure pariter diuino, & humano introducta, quæ in duobus potissimùm sita est. Primò, vt Clerici, eorùmque possessiones à vectigalibus, & tributis, alijsque muneribus laicis liberi sint: deinde ne rei criminis ad Ecclesiam confugientes inde extrahantur.* Bonifac. VIII. *in cap. quanquam de censibus in 6.* ait: *Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum* 1

ipsarum, non solùm iure humano, quin imò & diuino sæcularium personarum exactionibus sunt immunes, &c. & *in caus. si Imperator d. 96.* Ioan. VIII. expresse dicit Deum dedisse Clericis exemptionem à foro sæculari; sic enim *ibi* habet: *non à legibus publicis, non à potestatibus sæculi; sed à Pontificibus, & Sacerdotibus omnipotens Deus Christianæ Religionis Clericos, & Sacerdotes voluit ordinari, & discuti*, vbi glossa *in verb. discuti:* sic asserit: *ergo antequam esset aliqua constitutio, etiam Clerici non erant de iurisdictione; vnde omnes constitutiones, quæ emanarunt, quod Clerici non sint iudicandi, nisi ab Episcopis, non sunt nisi iuris declaratio:* & Gelasius Papa *in can. Sylvester 11. quæst. 1.* cùm sciret quosdam Clericos læsos fuisse quoad immunitatem, dicit, *id esse contra leges diuinas:* & tandem *in can. relatum, eadem causa, & quæst.* Alexand. Papa videns aliquos violare immunitatem Ecclesiasticam, asserit, *taliter præuaricantes præuaricatos esse in Deum, & non obediuisse præceptis eius.*

2 Respondebis primò cum Soto & aliis, testimonium Bonifacij VIII. intelligi quoad causas Ecclesiasticas, vel certè quoad personas tantùm; sed contrà, quia ex Bonifacio VIII. etiam apertè habetur, quod Ecclesiasticorum personæ, & res à sæcularium Principum exactionibus immunes sint.

3 Respondebis secundò cum Couarr. Molina, & aliis, nomine iuris diuini in locis *suprà* citatis intelligi ius canonicum, quod, lato quodam dicendi modo ius diuinum nuncupari solet, vt patet *in cap. cùm de diuersis, de priuileg. in 6.* sed contrà: quia cùm *in Concil. Lateranens. sub Leone X. & in constitutione Bonifacij VIII.* iure tam diuino quàm humano libertas Ecclesiastica introducta esse dicatur, ius diuinum propriè, & strictè sumitur, siquidem nunquam ius diuinum appellatur canonicum in casu, quo distinguitur ab humano, vt in allegatis sanctionibus distinguitur: est enim ius aliud diuinum, aliud humanum; diuinum autem, aliud reuelatum positiuum, aliud naturale: humanum verò diuiditur in canonicum, & ciuile. Vnde cùm diuino humanum opponitur, sub diuino non potest canonicum comprehendi. Adde, quod cùm in Concilio Lateranensi legantur hæc verba: *omni etiam id iure diuino prohibente*, non est cur inde diuinum ius strictè sumptum excludatur: est enim propositio vniuersalis. Adde secundò, quod cùm Tridentinum dicat, *Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus*, expresse loquitur de iure diuino, quatenus à iure canonico distinguitur, vt *suprà* dicebatur.

Respondebis tertiò, cum Sesse, Garzia, & aliis (quos refert, & sequitur Carlouallius *de Iudiciis lib. 1. tit. 1. disput. 2. quæst. 6. sect. 1. num. 401.* Bonifacium VIII. nomine iuris diuini voluisse significare exemptionem Ecclesiasticorum habere exemplum in scriptura; eo quod *genes. 47.* cum Ioseph tributariam faceret vniuersam terram Ægypti, liberos reliquit sacerdotes: sed contra, quia valde impropria locutio est, dicere aliquid esse de iure diuino, quia aliquid simile legitur in Scriptura: quasi verò non possit scriptura narrare multa, quæ ex iure diuino ortum non habuerint, sed ex hominum voluntate. Adde, quod non solum in constitutione Bonifacij, sed in multis Conciliis aliis *suprà* adductis, dicatur exemptionem Ecclesiarum esse de iure diuino, non potest dici, in omnibus illis locutionem esse impropriam, nam ex Augustin. *lib. 3 de* 4

doctrina

doctrina Christiana cum communi sententia Theologorum, verba (quotiescumque propriè possunt intelligi) propriè semper sunt intelligenda, nisi ratio euidens suadeat oppositum, vel absurdum manifestum inde sequatur: & ratio est, quia alioquin ex Scriptura & Conciliis nihil puri, & firmi posset hauriri. Neque dicas, solùm *ibi* agi de exemptione, quoad causas Ecclesiasticas: nam verba authoritatum, quas *suprà* adducebam, & loquuntur generaliter, & in specie tradunt oppositum, vti *supra* monstrabatur.

Respondebis, quartò cum aliis, exemptionem Ecclesiasticorum non esse de iure diuino: quia ex nullo scripturæ testimonio illa colligitur: sed contra, quia licèt nullum sit in Scriptura testimonium expressum pro Immunitate Ecclesiastica in lege Gratiæ, non inde benè infertur, illam non esse de iure diuino: ius enim diuinum, vel est Scriptum, vel traditum, vel definitum, seu explicatum à Conciliis, vt communiter tradunt Theologi *in tractatu de fide*; vbi docent, multa esse de iure diuino, quæ non sunt in Scriptura, sed sunt instituta à Christo Domino, & Apostolis tradita, vt per eorum manus vsque ad nos deuenirent: & confirmatur, quia multa quæ sunt in Conciliis definita, seu explicata, vt quæ spectant ad materias, & formas sacramentorum, de iure diuino sunt, & tamen non omnia in Scriptura habentur: cùm ergò ex authoritatibus, tum summorum Pontificum, tum etiam Conciliorum clarè habeatur, immunitatem Ecclesiasticam (& quoad personas, & quoad possessiones) esse de iure diuino: & ex alio capite in nullo loco Scripturæ id habeatur, credendum omninò est, per traditionem Apostolorum ad nos peruenisse: & sic esse de iure diuino, si non scripto, saltem tradito: atque ita in specie docet Granadus *de sacram. in 3. part. controuers. 9. tract. 4. disput. 4. sect. 2. num. 16.* & & definit sacra Rota Romana, non solùm quoad personas, sed etiam quoad bona, *decis. 10. in antiquis*, & nouissimè *in vna Albanensis Gabellæ, die 28. Iunij 1630. coram Merlino.*

SVBSECTIO IV.

Proponitur quarta probatio.

1 QVartò probatur ratione; quia nulla potestas, siue iurisdictio propria virtute se extendit vltra sphæram sui obiecti, tanquam proprios limites, sed Ecclesiastici, & eorum bona sunt extra obiectum, & proprios limites iurisdictionis sæcularis, ergò ad ea sæcularis iurisdictio non se extendit, per se, & propria virtute, sed solum, si ad id se extendat aliquando, se extendit per accidens, id est, ex commissione alterius, scilicet Ecclesiasticæ potestatis. Maior patet, Min. probatur: quia, cum obiectum cuiuscumque potestatis sumendum sit ex proprio fine ipsius, sequitur, quod potestatis ciuilis, quæ per se, ac directè ad finem temporalem ordinatur, propriam materiam, ac obiectum esse oporteat res temporales, ac politicas, non item sacras, id est quæ ad Dei cultum per se, ac directè spectant, ideóque suapte natura, ac institutione ad supernaturalem finem tenduntiat verò inter ea, quæ sacra censeri debent, enumerantur, tum personæ sacræ, (id est, diuino cultui peculiariter dedicatæ) tum loca sacra, tum bona omnia, quæ vel ad

ad Ecclesiarum ornatum, fabricam, vel Ministrorum sustentationem spectant, sicuti cum communi docet S. Thom. 2. 2. *quæst.* 99. *art.*1. ergò hæc omnia sunt extra obiectum, & limites sæcularis iurisdictionis,& sic propriè ad Ecclesiasticam potestatem spectant, non autem ad sæcularem. videatur Abbas *in cap. solitæ num.* 4. *de maior. & obed.*

2 Confirmatur primò, quia circa eadem obiecta, easdémque res per se non versantur diuersæ potestates, siue iurisdictiones, sed certum est, Ecclesiasticam potestatem per se,& directè versari circa personas, & res Ecclesiasticas: ergò circa easdem res per se non versatur potestas ciuilis, quippe quæ ab Ecclesiastica est diuersa, & discreta. Maior per se patet, & probatur, quia alioquin magna confusio oriretur, si v. g. Prælatus Ecclesiæ circa personas, vel bona Ecclesiastica aliter disponat, & præcipiat, & aliter Princeps sæcularis, alter ab altero in suo Iudicio independens, sicuti rectè notauit Suar. *in cit. lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 17.

3 Confirmatur Secundò: contractus matrimonij, hoc ipso, quod ex Christi institutione sacer factus est, à sæculari foro eximitur, itemque ædes, vasa, vestes, hoc ipso, quod à fidelibus ad pium vsum, vel ministerium sacrum oblata, & ab Ecclesiæ Prælato acceptata, & dedicata sunt, à sæcularium potestate, & exactione eximuntur, vt omnes fatentur: ergò similiter dicendum, personas ipsas, & quæ ad earum sustentationem pertinent, posteaquam ad diuinum cultum dedicata, & ab Ecclesiasticis Prælatis, tànquam Christi Vicariis, atque administratoribus, in sua iurisdictione acceptata sunt, eo ipso à sæcularium potestatum iurisdictione, & exactione exempta esse, videatur Innoc. *in capit.* 2. *de maior. & obed.* vbi sic ait: *quis eximit. Clericos de iure Imperatoris, cum prius ei subessent.* Respondetur, quod Papa, consentiente Imperatore. Sed hi non plenè eximunt: vnde dicimus, quod exempti sunt à Deo. Vel dic, quod Papa, etiam sine consensu Imperatoris, eos potuit eximere per suas constitutiones, quia cum Clerici spirituales res sint, & ex toto corpus suum, & animam dederint in seruitium, & sortem Christi,per consequens Papæ iudicio, & constitutionibus subsunt. Item Nicolaus I. *in Epist. ad Michaelem Imperatorem* ita ait *hi quibus tantum humanis rebus & non diuinis praeesse permissum est, quomodo de his, per quos diuina ministrantur, iudicare præsumant, pœnitus ignoramus.* Item Ioannes VIII. *in cap. si Imperator, dist.* 96. vbi sic habet: *ad sacerdotes Deus voluit,quæ Ecclesiæ disponenda sunt pertinere, non ad sæculi potestates,* & paulò post: *non à legibus publicis, non à Potestatibus sæculi, sed à Pontificibus, & sacerdotibus Deus Christianæ Religionis Clericos, & Sacerdotes voluit ordinari, & discuti, recipique de errore remeantes: Imperatores Christiani subducere debent, executiones suas Ecclesiasticis Præsulibus, non præferre.* Item Theodos. Imperator apud S. Ambros. *lib.* 5. *epist.* 32. *ad Valentin. Imp.* sic ait: *non solum sermone docuit, sed etiam legibus suis sanxit, in causa fidei, vel Ecclesiastici alicuius ordinis eum indicare debere, qui nec munere impar sit, nec iure dissimilis:* hæc enim verba rescripti sunt, hoc est, sacerdotes de sacerdotibus voluit iudicare ac tandem Carolus Magnus *lib.* 6. *Capitularis, cap.* 109. ita inquit: *fas non est, vt diuini muneris Ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio.*

De bonis autem, seu prædiis Eccle- 4
siasticis

ſiaſticis decretum quoddam editum à Baſilio, irritum declarauit Synod.IV. Romana ſub Symmacho *can.* 3. his verbis: *ne exempla remanerent præſumendi quibuſlibet laicis, quamuis religioſis, vel potentibus, in quacumque ciuitate, quolibet modo aliquid decernere de Eccleſiaſticis facultatibus, quarum ſolis ſacerdotibus diſponendi indiſcuſsè à Deo cura commiſſa docetur.*

5 Itaque immunitas Eccleſiaſtica, ſeu exemptio Eccleſiaſticorum à ſæcularium Principum; & Magiſtratuum iuriſdictione, tum quoad perſonas, tum quoad eorum bona, non eſt de iure poſitiuo; ſed de iure diuino, quamuis iure poſitiuo, tam canonico, quàm ciuili, explicata & confirmata; & ſic non eſt, vnde poſſit illa abrogari per conſuetudinem aliquam in contrarium: non nego tamen, quod licèt exemptionis priuilegia perſonis Eccleſiaſticis ita conceſſa ſint, vt ſi poteſtates ſæculares ea violent, iniuriam Eccleſiaſtico ſtatui inferant, & iuri tam diuino, quàm humano aduerſentur, nihilominus is, qui toti Eccleſiæ præeſt, vtpote ſupremus Eccleſiæ Adminiſtrator, ſcilicet ſummus Pontifex, vel Concilium generale, poſſit ex iuſta, & rationabili cauſa aliquid remittere de priuilegiis exemptionis, & ſæcularibus Principibus permittere, vt aduerſus Clericos aliquam iuriſdictionem exerceant, vel tributa aliqua exigant, ſicuti *infrà* clariùs patebit: & multò magis permittere poſſunt Prælati Eccleſiæ aliquid contra Eccleſiaſticam libertatem poni in praxi, ſi ſine ſcandalo, aut maioris mali periculo id impedire non poſſint: qua ratione etiam Chriſtus tributum pro ſe, & Petro ſoluit, ne exactores ſcandalizaret, & S. Paulus Cæſarem appellauit, *act.* 25. vt inferioris ſub Cæſare conſtituti Iudicis ſententiam declinaret, ſicuti ipſemet ſignificat *cap.* 28.

SECTIO V.

Proponitur eiuſdem tertiæ difficultatis ſecunda ſolutio.

Reſpondetur ſecundò, quòd quamuis immunitas Eccleſiaſtica, ſeu exemptio Eccleſiaſticorum à ſæcularium Principum iuriſdictione (tum tum quoad eorum bona) non ſit de iure diuino, id eſt, ius diuinum illam non efficiat, ſeu Deus non immediatè concedat, tamen dictat eam à Principibus ſæcularibus eſſe concedendam, & à Pontifice effici poſſe, idque præcipuè ob tria. 1

Primò ob dignitatem ſtatus, per quem Eccleſiaſtici peculiari modo ſunt diuinis rebus conſecrati, contra reuerentiam autem Deo debitam eſt, ſi id, quod ſemel Deo conſecratum eſt, tractetur tanquam prophanum, ergò, &c. quare Dauid, nec defenſionis quidem cauſa, fuit vnquam auſus lædere Saulem, quia vnctus erat Domini; quæ vnctio ſolùm erat vmbra vnctionis, & ſanctificationis Eccleſiaſticorum, ergò multò magis, &c. 2

Secundò, quia Eccleſiaſtici ſunt Paſtores, & Patres ſæcularium, & Iudices eorundem loco Dei in cauſis ſummis, quæ ſalutem æternam contingunt, conſtituti: ſed contra reuerentiam debitam eſt, vt ouis iudicet ſuum Paſtorem, filius patrem, & qui antè fuit reus, iudicet ſuum Iudicem, qui illum authoritate diuina iudicauit, & abſoluit, maximè ſi ad id alia commoda ratio iniri poteſt: ergo &c. 3

4 Tertiò, quia etſi Principes Clericos ab iniuria defendant, & curent, vt tranquillitate temporali fruantur, Clerici viciſſim Principibus longè maius beneficium conferunt: ipſorum enim miniſterio fiunt Chriſtiani, accipiunt doctrinam ſalutis, remiſſionem peccatorum, animæ ſanitatem, panem cœleſtem, cæteráque ſacramenta, ac vitam æternam: & præterea ipſorum orationibus, & ſacrificiis fulcitur Regnum, auertuntur calamitates, conciliatur pax, & fœlix ſtatus rerum; ergo &c. Vnde Conſtantinus, & Conſtans concedentes Eccleſiaſticis perpetuam ſecuritatem ab oneribus, inquiunt: *ſcientes magis Religionibus, quam officiis ex labore corporis, vel ſudore noſtram rempublicam contineri*, vt refertur *in cap. 23. in qualibet. 23. quæſt. 8.*

5 Hinc patet Clericos ſuis muneribus Eccleſiaſticis ſatis abundè compenſare Principi, & Reipulicæ: vnde omnis ratio poſtulat eos ad alia munera, & tributa non aſtringi.

6 Secundò patet Principes lege Religionis, obſeruantiæ, & gratitudinis obligari, vt Eccleſiaſticos exemptos habeant, iure naturali diuino ſic dictante: vnde quod ius diuinum naturale dictabat eſſe faciendum, id iure Canonico, & Ciuili poſtea præſtitum fuit, vt patet *ex Canonibus citatis*: item *ex cap. in qualibet 23. & duobus ſequentibus, quæſt. 8. & 11. quæſt. 1. per multa capita*: item *ex cap. etſi Clerici 4. cap. Clerici 8. & ex cap. qualiter 7. de Iudiciis.*

7 Vbi aduerte, quòd toto tempore, quo Imperatores fuerunt ethnici, Clerici in temporalibus fuerunt illis de facto ſubiecti, ſicut laici: quia neque Principes eos eximebant, cùm eorum dignitatem, & veritatem non agnoſcerent: neque eoſdem eximebat ſummus Pontifex eo, quod non poſſet, vel expedire pro tunc, non iudicaret, poſtquam autem cœperunt eſſe Chriſtiani, ſenſim eos eximere cœperunt. Primò enim Conſtantinus lege data exemit eos ab oneribus perſonalibus, vt patet *ex cit. cap. 23. in qualibet 23. quæſt. 8.* & à ſolutione publici cenſus, vt teſtatur Sozomen. *lib. 1. cap. 8. hiſtor.* in cæteris tamen manſerunt ſubiecti: denique Iuſtinianus exemit in cauſis ciuilibus pro prima inſtantia ſolùm, in criminalibus autem reliquit eos ſub Iudice ſæculari, vt patet *ex nouella 83. & 123* multa tamen vſurparunt ſibi iſti Imperatores in cauſis Eccleſiaſticis, quæ iure diuino ſunt omnino exemptæ, & præcipuè Papa ab omni iuriſdictione laicali: vnde à nemine iudicari, aut deponi poteſt; neque ab Auguſto, neque à Regibus, neque à populo, etiam ab omni Clero, vt habetur *in cap. vltimo Concil Roman. ſub Syluest. I.* & videri potet Simanca *de cathol. inſtitut. tit. 12. num. 1.* & ratio eſt, quia cùm poteſtatem ſuam non à Principibus, neque ab Eccleſia; ſed à Chriſto acceperit, conſequens eſt, vt eadem excidere non poſſit, niſi Chriſto auferente, quod accidit primò, ſi in hæreſim notoriam labatur, ſaltem poſtquam ab Eccleſia declarata fuerit, ſicuti ex communi docet Suarez *lib. 3. de fenſ. fidei Cathol. cap. 18. & lib. 4. de legibus, cap. 7.* Secundò, ſi Papa Epiſcopatum reſignet, Eccleſia reſignationem acceptante. Tertiò, ſi exteriùs ſe gerat vt hæreticum, ideóque Eccleſia alium eligat: qua ratione ſubmoto Liberio Pontifice, Felicem II. ſubſtituiſſe exiſtimat Bellarm. *lib. 4. de Pontifice, cap. 9.* Quartò, ſi tempore ſchiſmatis Eccleſia cognoſcere non poſſit, quis verus Pontifex ſit: tunc enim poteſt propter bonum commune alium eligere, ſicuti do-

cet

cet Suarez *lib. 3. defens. cathol. cap. 18.* & Bellarm. *de concil. lib. 2. cap. 19. ad 3. argumen.*

8 Idem Iustinianus concessit postea Ecclesiasticis immunitatem à quibusdam tributis, vt patet *ex l. sancimus 21. Cod. de sacros. Eccles.* denique à posterioribus Principibus omnino exempti fuere: eáque exemptione multis sæculis consensu totius Orbis sunt potiti.

SVBSECTIO I.

Proponitur ex secunda solutione Corollarium primum.

1 Hinc sequitur per consuetudinem contrariam, quamuis immemorabilem, sola sit, & nullo titulo, seu priuilegio summi Pontificis adiuuetur, non posse Ecclesiasticæ exemptioni, seu immunitati (etiam si non sit de iure diuino) quidquam derogari atque ita docent Doctores *in cap. Clerici*, vbi Abb. *num. 5. & 6. de iudiciis*, Baldus *in rubr. Authent. cassa Cod. de §. Ecclesiis*, gloss. *in cap. vlt. vers. rationabilis, de consuetud.* Abb. *ibidem num. 5.* Rochus *sect. 5. num. 20.* Ioannes Lupus *de libert. Eccles. part. 1. quæst. 6.* M. Anton. Gabrielius *lib. 5. de præscript. concl. 1. num. 9.* Martha *de iurisdict. part. 4. casu 63. & 64.* Azor. *tom. 1. lib. 5. cap. 13. quæst. 8.* Suarez *lib. 4. defens. fidei cathol. cap. 34. num. 10.* Tanner. *lib. 2. defens. Eccles. libert. cap. 16.* & alij multi, quos *suprà* citabam; quamuis huic communi, & veræ doctrinæ ex parte contra dicant Couar. *in pract. 99. cap. 31. num. 5. & cap. 35.* Iulius Clarus *lib. 5. sent. § practica criminalis, quæst. 36. num. 3.* vbi aiunt, quòd etsi Ecclesiastica immunitas in totum tolli non potest per contrariam consuetudinem, possit tamen ex parte; ita vt in certis causis magistratus sæcularis, exerceat iurisdictionem quæ alioquin ad Ecclesiasticos propriè pertinent, de qua re tamen contra Couar. & Clarum dicetur *infrà diffusius in tertia responsione* & dicebatur *suprà dubitation. 4. sectio 19. subsectio 3. & 4.*

Sed breuiter pro nunc probatur sic Corollarium: si consuetudo Ecclesiasticæ immunitati derogare potest, vel id fiet per modum reuocationis, interueniente scientia, ac patientia, ideóque tacito consensu summi Pontificis: vel per modum legitimæ præscriptionis, quæ etiam ignorante Principe, aduersus legem fieri potest; sed neutrum dici potest, ergò. Non prius, quia satis constat, summum Pontificem huiusmodi consuetudinibus non præbere tacitum cōsensum approbatiuum, quin potius eas reprobare, & damnare per generalia edicta, & censuras Bullæ Cœnæ (vt dicetur *infrà in Responsione ad tertiam obiectionem*) quamuis interdum toleret, quia ob periculum maioris mali, efficacius resistere, & prohibere non potest. Non posterius, quia consuetudo, quæ vt irrationabilis damnata est, non potest via præscriptionis legem abrogare, sicuti constat *ex cap. vltimo de consuetud.* sed consuetudo aduersus Ecclesiasticam libertatem, tanquam irrationabilis, sæpe sæpius in iure damnatur, vt videre est *in auth. cassa Cod. de §. Ecclesiis, cap. 1. cap. ad nostram, cap. inter, de consuetud. capit. cum terra, de elect. cap. Clerici, de iudic. cap. nouerit, de sentent. excommun.* quare gloss. *in cit. cap. Clerici, ver. consue*

consuetudine & altera, gloss. *in cit. cap. vlt. ver. rationabilis*, ibidem, Abb. *num.* 5. pro regula tradunt; quod consuetudo irrationabilis est, quæ contra neruum Ecclesiasticæ disciplinæ, vel Ecclesiæ libertatem tendit; ergò &c.

3 Confirmatur, quia vbi est incapacitas ex parte præscribentis, non potest procedere præscriptio, sed laici, sicut aliorum iurium spiritualium, v. g. iuris decimarum, Ecclesiastici beneficij, &c. sunt incapaces, ita etiam iurisdictionis super Ecclesiasticas personas incapaces sunt, ergò non possunt eam via præscriptionis adipisci.

4 Confirmatur secundò, quia omnis legitima præscriptio legis authoritate, & adminiculo niti debet, cum sit beneficium à iure inuentum, & impertitum, sed præscriptio aduersus Ecclesiæ libertatem à nulla lege adminiculum accipere potest, ergò &c. Minor probatur, quia non potest accipere à ciuili, cum ea limites suæ potestatis excedere non possit, nec debeat, nec à lege canonica, cum sacri canones, eorúmque custos summus Pontifex huic præscriptioni semper resistant, ergò &c.

SVBSECTIO II.

Proponitur COROLLARIVM II.

1 SEquitur, secundò Ecclesiasticam exemptionem, seu Immunitatem, etiamsi non sit de iure diuino, non posse à Prinpicibus successoribus reuocari. Ratio, quia ex mente concedentium concessio fuit absoluta, & perpetua, omnis autem donatio, vel exéptio facta communitati, in perpetuum est irreuocabilis, ergò, &c.

Secundò, quia fuit facta ad remuneranda beneficia spiritualia, quæ Principes, & eorum Regna percipiunt ab Ecclesia: ergo, &c.

Tertiò, quia principaliter ad Dei honorem facta fuit, sicut donatio agrorum, qui offeruntur Ecclesiæ, eiúsque Ministris; vnde sicut sacrilegium esset repetere agros Ecclesiæ donatos, ita sacrilegium erit reuocare Clericorum immunitatem: ergo, &c.

Quartò, quia Orbis Christianus, à quo Principes habent authoritatem, consensit in hanc exemptionem: vnde non potest Princeps eam reuocare, sicut quod semel consensu Regni est alienatum, non potest posteà vnquam repeti: ergo, &c.

Quintò, quia Concilia, & Pontifices, qui sunt suprà ipsos Principes, eam confirmarunt.

Sextò denique, quia iure diuino naturali Principes tenentur saltem eam facere, & factam ratam habere, sicuti *suprà* ostensum est: ergo, &c. atque ita docent etiam reliqui omnes illi Doctores, qui non tenent, immunitatem Ecclesiasticam esse de iure diuino, vt Caietanus *verb. Excommun. cap.* 31. *&* 37. Victoria *relect. de potest. Ecclesiæ, sub fine.* Medina *Cod. de restit. quæst.* 15. Sotus *in* 4. *distinct.* 25. *quæst.* 2. *art.* 2. Couarr. *quæst. practic. cap.* 31. *num.* 2. Nauarr. *cap.* 17. *num.* 119. Molina *de iust. & iur. tom.* 1. *tract.* 2 *disput.* 31. *num.* 6. Salas *de legib. quæst.* 96. *tract.* 14. *disput.* 14. *sect.* 11. *num.* 120. Salonius *tom.* 2. *in* 2. 2. *quæst.* 67. *art.* 1. *concl.* 4. Malder. *in* 2. 2. *tract.* 5. *cap.* 6. *dub.* 7. Henriq. *lib.* 10. *nap.* 15. *num.* Aragon. *in* 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 3. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 11. *dub.* 17. *num.* 2. Ledesma *in* 4. *part.* 2. *quæst.* 20. *art.* 4. *concl.* 2. Sousa *in Bull. Cœnæ cap.* 19. *disput.* 91. Pereir. *de manu*

manu regia cap. 3. *num.* 3. Garsias *de nobil. Hisp. gloss.* 9. *num.* 18. Castillo *contr. Iur. lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 29. Morl. *in empor. iur. part.* 1. *tit.* 2. *quaest.* 12. Doctores, quos citat Bellett. *in disquis. Cler. pa t.* 1. *tit.* 3. §. 1. *numer.* 17. & alij.

SVBSECTIO III.

Proponitur COROLLAR. III.

1 SEquitur tertiò, etiamsi exemptio Clericorum non esset de iure diuino, & Principes noluerint in hanc exemptionem consentire, summos Pontifices tamen, & Concilia œcumenica habuisse anthoritatem, eam inducendi, sicuti docent Doctores iam modo *suprà* citati, inter quos etiam Couar. *in pract. cap.* 31. *num.* 3. *&* 4. & ratio est, quia habent summi Pontifices potestatem à Christo, statuendi id, quod ad bonum spirituale Ecclesiæ, & Dei honorem videtur necessarium, aut valde expediens, sed exemptio Clericorum à iurisdictione sæcularium est necessaria ad bonum spirituale Ecclesiæ, & Dei honorem, ergò, &c. Minor patet ex dictis, & probatur quia alioquin valdè vilesceret status Ecclesiasticus, & res diuinæ, quas tractant, si instar laicorum ad Iudices sæculares Clerici traherentur; tum quia valde distraherentur à rebus diuinis: nam facilè à laicis possent vexari, tum quia periret libertas illa sacerdotalis, qua in laicis instruendis, & corripiendis vti debent; tum denique quia facilè etiam causas Ecclesiasticas laici ad se protraherent.

2 His adde, quod Principes sunt subditi Pontifici, sicut oues Pastori, sed Superior potest aliquem eximere à iurisdictione sui subditi, præsertim quando recta gubernatio, & honor Dei id postulat, ergò &c.

Porrò, si Pontifex potuit Clericos eximere à iurisdictione Principum sæcularium, potuit etiam eximere à tributis, cum tributa ob iurisdictionem in personas pendantur, vt constat ex Apostolo *ad Roman.* 13. *ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed propter conscientiam: ideò enim & tributa præstatis.* Vide Bellarmin. *tract. de potest. summ. Pontificis*, contrà Barclaium *cap.* 34. & contra Paulum Seruitam *fol. mihi* 7. Vide etiam Sotum *in* 4. *distinct.* 25. *quæst.* 2. *art.* 2. *concl.* 6. Baglionem *in Apolog. pro immunit. Eccles. propos.* 21. Suarez contra Regem Angliæ *lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 7. *cap.* 12. *& cap.* 13. *num.* 10. Valboam de Magrouielo *in lect. Salmat. tom.* 2. *cap.* 2. *de iudiciis*, *num.* 36. Anton. Bouium *in respons. ad consider. Pauli Seruitæ part.* 2. *fol.* 19. Sosam *in tract. de censura Pauli V. fol. mihi* 38 qui docent contra Michaelem de Palatio *in* 3. *dist.* 25. *disput.* 5 Salgadum *de protect. Reg. tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 1. *prel.* 1. *num.* 51. Ceuallos *de cognit. &c. in procemio cap.* 5. *num.* 11. & Cutellium *in Cod. legum sicul. fol. mihi* 301. falsum esse, exemptionem Clericorum quoad personas, & res, fuisse introductam ex pietate Imperatorum, & ab illis originem sumpsisse, ius Canonicum confirmasse; cum potius ius Canonicum illam introduxerit, & tribuerit principaliter, Imperatores autem postea confirmauerint, & ideò Seruantius *in defensione immun. Eccles. fol.* 18. rectè obseruauit, leges Imperatorum pro Clericorum exemptione non fuisse leges institutorias, sed subsidiarias; atque ita definiuit Rota

coram Merlino *in vna Alban.* 1630. quòd (vt rectè notauit Filotheus *in desens. Pauli V. fol. mihi* 19) euidenter probatur etiam ex verbis ipsis Imperatorum, vti illa consideranti patebit.

SECTIO VI.

Proponitur eiusdem tertiæ difficultatis tertia solutio.

1 Tertiò respondetur: dato, & non concesso, quod exemptio Ecclesiasticorum non sit de iure diuino, neque sit de iure positiuo, iure diuino dictante, sed sit solùm mere de iure positiuo, adhuc contra illam consuetudo in oppositum non valet. Ratio, quia ius Canonicum consuetudinem istam prohibet, & damnat, tanquam iniustam, & iniquam, *cap. 1. de consuet. &c. ad nostram eod. tit.* Adde, quod & reprobat omnes leges immunitati Ecclesiasticæ contrarias, tanquam iniustas, & iniquas, vt constat *ex toto tit. de immunit. Eccles.* & docuit Bart. *in l. de quibus num. 4. ff. de legib.* ergo idem dicendum de consuetudine, quæ legi æquiparatur, sicuti rectè probat Butrius *in cap. cum ex officiis, num. 30. de præscript.* & Rochus *in cap. fin. de consuetud. num. 52.* multos alios referens, At omnis consuetudo, quam ius Canonicum, vt iniquam reprobat, irrationabilis est: ergò non est mirum, si legem canonicã non vincat, cum, vt potè irrationabilis, vim consuetudinis non habeat. Vide Valboam *in lect. Salmat. cap. 8. de iudic. num. 11.* Collegium Bonon. *in respons. pro libert. Eccles. num. 33.* vbi, quod ad præiudicium exemptionis Clericalis, & libertatis Ecclesiasticæ nihil operetur longissima consuetudo contraria, vel præscriptio immemorabilis probat *ex cap. Clerici,* & *ibi* gloss. *in ver. consuetudine de iudiciis, & ex cap. ad audientiam, & cap. fin. de cons. vbi* gloss. declarans, quæ sit consuetudo irrationabilis, non præiudicans iuri positiuo, ait esse illam, per quam aliquid introducitur contra neruum Ecclesiasticæ disciplinæ, seu libertatis; vnde & ita definiuit Rota *in antiquis decis.* 10. Vide etiam Euerardum *cons.* 193. *num.* 7. Germonium *in assert. libert. Eccles. cap.* 4 §. 17. Vigianum *de immun. Eccles. disp. 2. concl. 4.* Fagnanum *in respons. pro cens. Pauli V. part. 4. fol. mihi* 115. & alios, quos ipsi citant, & sequuntur.

Adde, quod *in cap. nouerit. de sentent. excom.* excommunicantur, qui seruari fecerint consuetudines introductas contra libertatem Ecclesiæ; Item excommunicantur Potestates, Consules, Rectores, aut Consiliarij locorum, in quibus eæ seruatæ fuerint: Item excommunicantur, qui secundum illas præsumpserit iudicare, vel in publicam formam iudicata scribere, & *in Bulla Cœnæ num.* 15. excommunicantur, qui prætextu cuiusuis consuetudinis aliquid fecerint contra libertatem Ecclesiasticam, & *num.* 19 dicitur, quod ad hoc, vt quis quomodolibet se interponere possit in causis criminalibus Ecclesiasticorum, requiritur specialis, specifica & expressa licentia sedis Apostolicæ, ac tandem in fine eiusdem Bullæ habetur, quod in omnibus, & singulis, quæ in illa fuerunt præmissa, nullatenus potest, aut debet in posterum præiudicari per quoscumque actus contrarios, tacitos, vel expressos, neque etiam per patientiam, & tolerantiam ipsius Papæ, quantocum 2

tocumque tempore continuatam, quæ verba clarissimè excludunt omnem contrariam consuetudinem, quæ possit induci etiam per patientiam, & tolerantiam Pontificis, de qua re dicetur *infrà diffusius in Responsione ad tertiam obiectionem* vide quæ dicebantur *dub.* 4. *sect.* 19. *subsect.* 3. *&* 4. *& dub.* 15. *sect.* 2. Vide etiam Bullam Vrbani VIII. Super præseruatione iurium sedis Apostolicæ, &c. à quibuscumque præiudicialibus, quæ incipit. *Romanus Pontifex.* Vide etiam Baldellum, qui, quod quando lex ab initio resistit alicui consuetudini inducendæ, eámque reprobat, vt irrationabilem, & iniquam, non possit postea talis consuetudo ita inualescere, vt legem abroget, ex multis probat *in disp. theol. tom.* 1. *lib.* 5. *disp.* 39. *num.* 10. qui *& num.* 11. probat ex S. Thom. *in* 2. 2. *quæst.* 97. *art.* 3. *ad* 3. & aliis, quoad hoc, vt consuetudo, quæ est lex non scripta, possit obtinere contra legem scriptam, debet esse inducta à multitudine, penes quam sit potestas condendi legem & abrogandi, vel saltem debet esse permissa, & tolerata à Principe talem potestatem habente, sed certum est quod laici non habent potestatem condendi legem contra ius canonicum scriptum de immunitate Ecclesiastica, & certum est, quod non possunt contra illud inducere consuetudinem: ex alia parte certum etiam est, Papam talem consuetudinem non permittere, & tolerare, & cum quotannis in Bulla Cœnæ grauissimè illam damnet, ac reprobet: ergò certum est, quod laici non possint inducere consuetudinem contra ius canonicum scriptum de immunitate Ecclesiastica.

SECTIO VII.

Proponitur quarta difficultas, eiusque solutio.

1 Obiicies quartò licèt respectu consuetudinis vniuersaliter Clericalem exemptionem abrogantis, vera sint supradicta: nam generalis consuetudinis istius præ se ferret indecentiam, & irreuerentiam Ecclesiæ, & statui Ecclesiastico, adeo vt propterea nec per legem scriptam talis vniuersalis derogatio immunitatis fieri posset, tamen non videtur illa procedere de consuetudine particulari, quæ non possit introduci in certis materiis, vel causis, vel personis, vel Prouinciis, &c. in quo casu consuetudo non semper est irrationabilis, ergò, &c. atque ita præter Guillelm. Benedictum *in cap. Raynucius, de testam. num.* 322. Tiraquellum *lib.* 1. *de retract.* §. 32. *gloss.* 1. *num.* 81. Garsiam *de nobilit. Hisp. gloss.* 9. *numer.* 44 Iulium Clarum *lib.* 5. *sentent.* §. *fin. quæst.* 36. *num.* 3. Boerium *decis.* 62. *num.* 20. Salgadum *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 1. *prel.* 3. *num.* 128. & Ioannem de Roa *in Apol. de iur. Princip. quæst.* 2. *num.* 62. docet Couar. *ib pract. cap.* 31. *num.* 5. vbi ait, quod in aliquibus casibus consuetudo legitimè præscripta possit restringere, aut limitare clericorum exemptionem, ex eo, quia arbitratur, ipse, esse illam solum de iure positiuo (quamuis fateatur ibidem, id non procedere posse, nec debere, si dedecus inferret ordini Ecclesiastico) & sic defendit quamdam consuetudinem Angliæ, vbi Clerici cogebantur coram iudice sæculari super realibus actionibus litigare, etsi eam reprobet

reprobet in personalibus.

Respondetur, opinionem etiam istam
2 Couarr. nullo pacto esse admittendam. Ratio, quia expressè est contra tex. *in cap. Clericis de iudic.* vbi habetur, quod Clerici (maximè in causis criminalibus) in nullo casu possint ab aliquo, quàm ab Ecclesiastico Iudice, condemnari, etiamsi consuetudo Regia habeat, vt fures à Iudicibus laicis iudicentur, quæ verba apertè probant, particularem consuetudinem non posse clericali priuilegio ex parte derogare; dicendum est igitur omnem consuetudinem, siuè generalem, siuè particularem, libertati Ecclesiasticæ contrariam, esse irrationabilem, & iure reprobatam, adeò vt non possit immunitas hæc consuetudine contraria ex parte derogari; quod & patet etiam ex omnibus decretis Canonicis, quæ loquuntur de consuetudinibus particularibus, eásque omnino reprobant; atque ita sæpe Pontifices, & Concilia declararunt, vt præter *cap. Clerici* citatum, constat *ex cap. inolita, cap. placuit, cap. si Clericus, cap. si quis ex fratribus, cap. peruenit* 11. *quæst.* 5. ita etiam docent Suar. contra Regem Angliæ *lib.* 4. *cap* 32. *num.* 14. *& seqq.* Azor. *tom.* 1. *lib.* 5. *capit.* 12. *quæst.* 1. Valboa *in lect. Salmat. cap.* 8. *de iudic.* Castrus Palaus *tom* 1. *disp vnic. punct.* 12. *num.* 2. *&* 3. & Bonacina *tom.* 3. *disput.* 1. *quæst.* 20. *punct.* 3. *num.* 10. Vide *cit. dub.* 4. *sect.* 19. *subsect.* 3. *&* 4. *& cit. Bullam Vrbani VIII. super præseruatione iurium*, &c. quæ incipit. *Romanus Pontifex.*

SECTIO VIII.

Proponitur quarta difficultas, eiusque solutio.

OBiicies quartò ex Salgado *loc. supra cit. num.* 137. interdum fieri posse, vt consuetudo sit, non solum laicorum, sed etiam Clericorum (vt si hi non coactè, sed liberè laicorum consuetudinem obseruent, eorum adeundo iudicia, vel tributa soluendo, &c.) & tunc consuetudo erit mixta, seu communis laicis, & Clericis; atque adeo in Ecclesiasticos etiam vim habebit. ita Salgad. ex Couar. qui *in pract. dist. cap.* 31. docet, in tali casu consuetudinem posse propter rationem dictam Ecclesiasticæ, libertati derogare, si aliàs illa sit rationabilis. 1

Respondetur, & opinionem istam nullo modo esse admittendam. Ratio, quia consensus Clericorum in tali casu, cũ sit in præiudiciũ Ecclesiasticæ libertatis, nihil operatur, est enim priuata quædam renunciatio priuilegij in præiudicium status Clericalis, cui primò & per se priuilegium competit, & sic omnino inefficax tum quia tali consensui Clericorum non assistit expressus, vel tacitus consensus Pontificis, sine quo nulla potest esse consuetudo iuri canonico derogans, vt *suprà* dicebatur. Vnde quando dicitur consuetudinem Clericis, & laicis communem, Clericos etiam ligare, intelligendum est de consuetudine, quæ non præiudicat sacris canonibus, vel dummodo adsit consensus Pontificis expressus; quapropter in consuetudine priuilegium Clericale in aliquo casu abrogáte, vtpote canonibus 2

aduersan

aduersante, requiritur expressus consensus Pontificis; quia in materia iurisdictionis nunquam tacitus, seu implicitus Pontificis consensus præsumitur, cum materia iurisdictionis sit materia valde odiosa. Adde, quod in tali casu non potest consensus tacitus sine magna causa prudenter, & honestè dari, & quoties consensus non est prudens, & honestus in Principe non præsumitur: ergo &c. Vide Suar. contra Regem Angliæ *lib. 4. cap. 14. num. 13.* & Valboam *in loc. suprà cit. & in cap. 1. de foro compet. numer. 6.*

3 Et quod dixi de consuetudine, intelligo & de præscriptione: sicut enim nulla consuetudine priuilegium Clericale diminui potest, sic nec præscriptione, quantumcumque immemorabili. Ratio, quia laicus est incapax istius potestatis, & sic non potest possidere, atque adeo nec potest præscribere, vt patet *ex cap. causam de præscription.* Adde, quod semper in tali casu deest bona fides, sine qua nunquam potest procedere præscriptio, nec vsucapio: ergo &c. atque ita docent Beltran. de Gueuara *in propugn. Eccl. liber. assert. 1. §. 7. num. 37.* Vigianus *de immunit. Eccles. disp 2. concl. 4* & alij contra Petrum de Vrries *in otio æstiuo part. 1. num. 98.*

4 Neque dicas consuetudines, vel præscriptiones istas iustificari per tacitum consensum, vel approbationem, & tolerantiam Pontificis: nam præter ea, quæ *suprà* dicebantur, est merum figmentum, vt rectè definit Rota *decis. 16 d: consuetud. in antiquis*, quæ respondet omnibus, quæ in contrarium adduci possent, & docet Surdus *cons. 301. num. 57.* Barbosa *de iure Eccles. lib. 1. cap. 39. num. 195.* & alij, quos adducit, & sequitur Bellettus *in disquis. Cler. part. 1. tit. de fauore Cler. pers. §. 3. n. 3.*

5 Adde, quòd Pontifex tantùm abest, quod implicitè in illas consentiat, vt potius singulis quibuscunque annis in Bulla Cœnæ reclamet, & expressè easdem reprobet, tanquam corruptelas, & abusus, vt *ibi* videre est, & in Rota Romana coram Pegna *in vna Oscen. Canon. die 1. Decembris 1595.* sed de hac re diffusiùs dicetur *infra in responsione ad obiectionem sequentem.* Vide *cit. dub. 4 sect. 19. subsect. 3. & 4. & cit. Bullam Vrbani VIII. super præseruatione iurium*, &c. quæ incipit: *Romanus Pontifex.*

SVBSECTIO I.

Proponitur COROLLARIVM I.

1 EX dictis sequitur contra Antonium Ripol. *de iurisdict. omnium Iudicum, cap. 1 num. 17. & num. 182.* quod non valet consuetudo, quod Clerici conueniantur in Curia sæculari pro debitis regalibus, præsertim, quia Clerici per sacros Canones simpliciter, & absolutè sunt exempti à Iudice sæculari, etiam in causis ciuilibus, in quocumque negotio, *cap. nullus Clericus 11. quæst. 1.* vbi dicitur: *omne negotium Clericorum in Episcopi sui*, &c. ergo si omne negotium Clerici agendum est coram Episcopo, agendum erit etiam coram Episcopo negotium Clerici debitoris Regis: tum quia in Tridentino *sess. 24. de reformat. cap. 20.* quòd causæ omnes ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes coram Ordinariis locorum dumtaxat, cognoscantur; sed causa Clerici debitoris Regis pertinet ad forum Ecclesiasticum (cùm Clericus in Ciuilibus gaudeat priuilegio, vt patet *ex cap. nullus Episcopus ibi, neque pro*

ciuili causa, &c. ergo dicta causa Clerici debitoris Regis ex Tridentino cognoscenda est coram Ordinariis locorum: tum quia iura declarant causas, in quibus Clerici pro ciuilibus possunt conueniri coram Iudice sæculari (vt patet *ex cap. transmissa & cap. vtrum de foro compet.*) sed inter dictas causas non numeratur causa Clerici debitoris Regis: ergo &c.

2 Nisi forsan dicas cum Suare contra Regem Angliæ *lib.4. cap.14. num.13.* & aliis, quòd bona regalia, quando conceduntur Clericis, sub ista conditione concedi censeantur: & ratio esse potest, quia cùm talis conditio non sit per se mala, potuit voluntariè apponi, atque adeo est seruanda *cap. verum de foro compet. & cap. verum de condit. apposita*, & *ibi* Doctores.

3 Confirmari potest à simili, quia Ecclesiastici habentes feudum à Rege tenentur ratione feudi præstare Regi opē, & auxilium in bello, secundùm feudorum conditionem: quia sic ipsis concessum censetur feudum, sicuti docent Olibanus *de iure fisci, cap.8. num.2.* Carolus Degrassalius *Regalium Franciæ lib. 2. iur.14.* Martha *de iurisd. part.4. cent.1. casu 18. num. 26.* Intrigliolus *de feudis, quæst.30. num.24* & Petrus de Gregorio *tract. de concess. feudi, part. 8. quæst. 2. verb. tertiò limito*, & alij: ergo &c.

4 Vnde tamen non inferas, quòd Ecclesiastici tenentur simul cū Rege ire ad bellum; quia id Ecclesiasticis dedecet: atque adeo in concessione feudi non inclusum censetur: quidquid in contrarium dixerit Petrus Antibolus *de muneribus, part. 3. num. 97. tom. 12. contractuum, fol. 28. col. 2.* & Lancellot. *in templo Iudicum, lib.1. cap.2. de Rege, §. 3. num.9.* tenentur tamen vtpote feudatarij (non nego) obedire Regi: non tamen prius Regi, quàm Papæ, vt falsò dixerunt Olibanus *vbi suprà, cap. 10. num. 6.* & Degrassalius *iur. 13.* quin tenentur obedire prius Metropolitano, quàm Regi, vt rectè docet Martha *in loco suprà cit. num. 13.* & ratio est, quia maius est vinculum spirituale, quàm temporale, *cap. solitæ de maior. & obed.* nec obstat iuramentum fidelitatis directo domino præstitum: nam semper intelligitur in illo excepta authoritas sui superioris.

Confirmari potest secundò etiam à simili, quia si quid Ecclesiæ, v.g. decimæ sunt sæcularibus in feudum concessæ, cognitio de iis non pertinet ad Iudicem sæcularem; sed ad Ecclesiasticum, sicuti contra Couar. *pract. qq. cap. 35. num. 2.* & Rebuffum *tract. de decimis, quæst.10. num. 39.* docent communiter Doctores, Azorius *part.1. lib.7. cap.26. quæst.3* Fagundez *precept.5. lib.3. cap.5. num. 5.* & alij, quos ipsi citant, & sequuntur; & ratio est, quia adhuc feudum ipsum oritur ex iure decimarum, quod est Ecclesiasticum, & spirituale: ergo &c. 5

Adde, quòd priuilegium percipiendi decimas, vtpote exorbitans, & odiosum, cùm sit in præiudicium Ecclesiasticæ libertatis, extendi non debet ad cognitionem causæ, nisi id exprimatur: quare meritò Couar. & Rebuffus, vt *alibi* dicebam, sunt cautè legendi, quia plus iusto inclinanr in fauorem Principum sæcularium cum præiudicio Ecclesiasticæ libertatis, sicuti præter alios notauit Suarez *de relig. tom. 1. lib. 1. de diuino cultu, cap. 38. num. 16.* 6

SVB

SVBSECTIO II.

Proponitur corollarium secundum.

1 AT dato, quòd esset vera opinio Couar. & Rebuffi, sequitur saltem, quod in tali casu non solùm laicus, sed etiam Ecclesiasticus Iudex, posset causam decimarum cognoscere, & definire: atque ita notauit Moneta *de decimis, cap.8.quæst.1.num.* 15. & ratio est, quia non censetur summus Pontifex, aut Ecclesia, ius decimandi laicis concedentes, eiusdem iuris cognitionem, aliàs sibi de iure competentem, à se in dubio abdicare voluisse, nisi aliud in contrarium euidenter appareat, cùm id, vt *suprà* dicebam, sit quid à iure exorbitans & odiosum. Itaque in tali casu cognitio decimarum esset mixti fori, quod tamen ego simpliciter non admitto, quia simpliciter spectare iudico ad solum Iudicem Ecclesiasticum, vti *suprà* probabam.

2 Si quæstio tamen decimarum esset facti, v. g. an Titius perceperit, vel soluerit, vel percipiat, vel soluat decimas, ad effectum quoque, vt is (de quo non dubitatur, quod de iure soluere decimas debeat) cogatur eas soluere Ecclesiæ, eiusque Rectori, vel si conductor decimarum laicus ad eas soluendas coram Iudice conuenitur; vel si agitur contra tertium detentorem decimandorum fructuum; vel tandem si agitur de restitutione decimarum, vt si furto ablatæ essent, aut venditæ, aut in alios vsus temporales conuersæ, &c. Iudex Ecclesiasticus, etiam in tali casu (non nego) potest cognoscere: nam quæstio tunc, licet sit de decimis, quia tamen est facti, causa est mixti fori, sicuti ex communi docet Gutierrez *de iuram. confir. part.1.cap.2. num.* 35. *& pract.99.lib.3. quæst. 26. num.* 10. Germonius *de sacr. immunitat. lib. 3.cap.19.num.*84. *&* 99. Moneta *de decimis, cap.* 8.*quæst.*1 *num.* 1.*&* 5. Fagundez *precept.* 5. *lib.3.cap.5. num.*1.*&* 2. & alij apud ipsum, quamuis Azor. *part.1.lib.7.cap.36.quæst.*5. & Homobonus *de exam. Eccles. part.2. tract.* 8.*cap.* 8.*quæst.* 24. ex Bald. Fulgos. Facchin. & aliis non improbabiliter asserant, quòd etiam in tali casu, quando scilicet est quæstio facti, solùm Ecclesiasticus sit Iudex competens, & ratio esse potest: quia etiam in tali casu causa ortum habet ex iure decimarum, quod non ciuile, & prophanum, sed Ecclesiasticum, & spirituale est, causa autem spiritualium, etiam cùm quæstio est facti, ad Ecclesiasticum Iudicem solùm spectat: ergo &c.

Dixi, si quæstio est facti; nam si 3
sit quæstio iuris: verbi gratiâ ad quamnam Ecclesiam pertineat ius decimarum: quonam titulo percipiantur decimæ; sit ne quis priuilegiatus, seu exemptus à decimis: item de modo decimandi, de tempore, &c. certum est, quod pertineat solum ad Iudicem Ecclesiasticum, vt ferè apud omnes in confesso est.

Sed circa præsentem quæstionem, & alias quæstiones de decimis, præter citatos Doctores vide Tannerum *in 2. 2. disput.5.quæst. 3. dub.* 2. & Ceuallos *de cognition. per viam violentiæ p. 2. q. 25. per totam.*

SVBSECTIO III.

Proponuntur quatuor alia Corollaria.

1 EX dictis etiam sequitur, quòd (licèt immunitas Ecclesiastica, seu Ecclesiasticorum exemptio, tam quoad negotia criminalia, quam quoad ciuilia: item tam quoad personas, quàm quoad bona, sit tantùm merè de iure positiuo) non possint Principes successores illam reuocare; idque propter easdem rationes, quas *suprà* adducebam *in responsione 2. sect. 4.*

2 Item sequitur, quòd Ecclesiastici non possint illam renunciare. Ratio, quia talis priuilegij renunciatio cederet in detrimentum status Ecclesiastici, cui primariò, & principaliter, non autem personis, (sicuti & priuilegium Canonis) concessum; ergò &c.

3 Confirmatur quia nemo renunciare potest priuilegio concesso communitati *cap. si diligenti de foro competent.* ergò, &c.

Et quod dixi, procedit etiam si clericus renunciaret tale priuilegium de consensu Episcopi, vt rectè dixit Farin. *de inquisit. quæst.* 8. *num.* 13. Martha *de iurisd. part.* 4. *centur.* 2 *cas.* 152. *numero* 8. Carolus de Grassis *de effect. Cler. effect.* 1. *num.* 652. & alij multi; idque propter easdem, quæ *suprà* dicebantur, & mox *infrà* dicentur.

4 Confirmatur secundò, quia dicto priuilegio renunciare, siue in ciuilibus, siue in criminalibus, Ecclesiasticis interdictum est, 11. *quæst.* 1. *cap. insolita, & cap. placuit extra de foro competent.* & docent communiter Doctores, Alexand. *lib.* 1. *cons.* 8. *num.* 3. Grammatic. *decis.* 61. *num.* 14 Roland. à Valle *tom.* 1. *cons.* 4. *num.* 9. Surd. *tomo.* 1. *cons.* 2. *num.* 31. *& tom.* 3. *cons.* 397. *num.* 15 Honded. *tom.* 1. *cons.* 3. *num.* 21. Vigianus *tract. de immun. Eccles. disput.* 2. *conclus.* 3. Salonius *in* 2. 2. *quæst.* 67. *art.* 1. *contr.* 3. Pesantius *tract. de immunit. Eccles. disput.* 2. qui citat *cap. qualiter, & quando de Iudiciis,* & *ibi* Butr. *num.* 8. Ioannes Andreas *num.* 11. Abb. *num.* 7. Ancharan. *num.* 3. & Immola *num.* 3 & docent etiam Fernandez *part.* 2. *cap.* 6. §. 1. *num.* 5. Duardus *in Bull. Cœnæ lib.* 2. *can.* 14. *quæst.* 8. *num.* 2. qui citat *cap. si diligenti, &c. significasti de foro competent.* & docent etiam Ambrosinus *de immun. Eccles. cap.* 16. *numero* 12. Sayrus *in clau. Regia lib.* 2. *cap.* 7. *numer.* 10. Bonacina *de cens. disput.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 2. *num.* 1. qui citat Auilam, & Suarium, quidquid in contrarium dixerit Auferius *de potest. Iud. sacul. reg.* 2. *n.* 10.

Item sequitur, quod & summus 5 Pontifex (qui etsi ex iusta causa potest aliquid remittere de priuilegiis exemptionis, & sæcularibus Principibus permittere, vt aduersus Clericos aliquam Iurisdictionem exerceant, vel aliqua tributa exigant, etiam si exemptio Ecclesiastica sit de iure diuino, vt *suprà in prima responsione propè finem sect.* 4. *subsect.* 4. dicebatur) non possit illam in vniuersum renunciare. Ratio, quia ipse non est Dominus absolutus bonorum, & iurium Ecclesiæ (cum ea principaliter sint donata Christo, & Pontifici, vt Vicario Christi, non vt personæ) sed est solùm dispensator eorum, atque ideò non potest pro suo arbitratu illa alienare, vel donare, sed solùm seruata prudentia, & fidelitate; atque ita docent Surdus *tom.*

3. *cons.*

3. *conf.* 301. *num.* 53. Grammatic. *decis.* 61. *num.* 10. Ceuall. *tract. de cognit. per viam violentiæ in proœmio, cap.* 6. qui citat Iacobat. *de concil. lib.* 1. & Suarium, ita etiam docent Vigianus *de immun. Eccles. disput.* 5. *&* 6. & alij passim.

6 Item sequitur, quòd, si immunitas Ecclesiastica est de iure positiuo, iure diuino dictante, vel si est de iure diuino, multò magis locum habeant hæc à nobis *suprà* posita corollaria.

SECTIO IX.

Proponitur quarta difficultas eiúsque solutio.

1 Obiicies sextò ex Salgado *de protect. Regia tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 1. *prel.* 3. *num* 139. & aliis iuristis. Summus Pontifex scit, & tolerat istas, & similes consuetudines, ergò tacitè in illas consentit.

Respondetur: distinguo antecedens tolerat tolerantia approbatiua, nego, tolerãtia permissiua, ad euitanda scilicet maiora incommoda, concedo: ergò implicitè in illas consentit, nego consequentiam; maximè, quia quotannis in Bulla Cœnæ cum amplissimis clausulis reuocat omnes consuetudines, quæ sunt contra immunitatem Ecclesiasticam; atque ita docent communiter Doctores, *Dubitatione* 15. citati, quibus nunc addo Azor. *part.* 1. *lib.* 5. *capite* 12. Filliucium *tom.* 1. *tract.* 16. *cap.* 10. *num.* 256. Pesantium *de immun. Eccles. disput.* 3. *num.* 2. Alterium *de censur. tom.* 1. *lib.* 5. *disput.* 16. *cap.* 2. Acostam *in Bull. Cruciatæ quæst.* 79. Bellettum *indisquis. Cler. part.* 1. *tit.* 3. §. 3. Mattham *de iurisdict. part.* 4. *cent.* 2. *cas.* 102. Comitolum *in tract. apolog. contra Venetos, cap.* 3. *num.* 8. Vigianum *tract. de libert. Eccles. disput.* 2. *concl.* 3. *&* *disp.* 3. *consil.* 1. Vgolinum *in respons. ad Iuriscons. Gymnasij Patauini, cap.* 7. Tannerum *in* 2. 2. *disp.* 5. *quæst.* 5. *dub.* 4. *num.* 132. Bonacin. *de cens. disput.* 2. *quæstion.* 4. *punct.* 2. Franciscum Sosa contra Venetos *fol. mihi* 72. Baldellum *in disput. Theol. tom.* 1. *lib.* 5. *disput.* 39. *num* 11. Malderum *in part.* 2. *quæst.* 96. *artic.* 4. vbi sic ait: *sane ne tolerantia quidem Papæ allegari potest in defensionem consuetudinis: impedit enim Bulla Cœnæ quotannis repetita, quæ disertè resistit eiusmodi consuetudini, aut verius corruptelæ; multò minus praualere potest via præscriptionis, quia propter eandem causam nunquam nititur: bona fide.* idem tradit Layman *lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 10. *num.* 1. & Vigianus *vbi suprà folio mihi* 43. vbi sic asserit: *cum quotannis Bulla Cœnæ excommunicet Magistratus, persuasissimum cuique esse debet, summum Pontificem hanc consuetudinem, quam corruptelam vocant, æquo animo non præferre, & consequenter neque expressè, neque tacitè assentiri.* idem docent Barbosa *in collect. lib.* 1. *Decret. titul.* 2. *cap. Ecclesia S. Mariæ, de constit. num.* 25. Fagnanus *in tract. de instit. censur. Pauli V. part.* 4. *fol.* 116. Philiarchus *de offic. sacer. part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 9. & ratio est, quam affert Suarez *excommuni de legib. lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 12. quia tolerantia sola, supposita scientia, non indicat sufficienter consensum; multa enim per patientiam tolerantur, quæ non approbantur, iuxta *cap. cùm iam dudum de præbend.* quapropter dixit Fillucius *vbi suprà*, quod simplex tolerantia (quando scilicet Princeps non

potest commodè prouidere) non satis est ad dispensandum , *ex cap. denique distinction.* 4. & Surd. *tom.* 3. *cons.* 301. *num.* 57. asseruit, tolerantiam Papæ in his casibus non esse approbatiuam animo inducendi , vel confirmandi consuetudinem , sed potius , vt scandalum vitetur ; quod & posteà docuit Collegium Bononiense contrà Venetos *in respons. pro libert. Eccle. num.* 57. & alij Doctores *in locis suprà cit.*

2 Ex quibus sequitur , quod Iudices laici auocantes ad se causas Ecclesiasticas (idemque dico de similibus casibus contra immunitatem Ecclesiasticam) non excusentur à peccato , & censuris, ex tolerantia Summi Pontificis , quidquid in contrarium dicat Coriolanus *in Bull. Cœnæ circa finem* , & alij , quos citat , & sequitur Ceuallos *in tract. de cognit per viam violentiæ gloss. B. num.* 42. quia (vt *suprà* dicebam) simplex tolerantia , saltem cum superior commodè obstare non potest, priuilegium non inducit *cap. iam dudum de prabend.* tum quia in casu nostro nullo pacto est tolerãtia,cũ summi Pontifices in Bulla Cœnæ Domini quot annis excludant omnes prætextus. Vide præter Doctores *suprà* citatos Bonacinam *in Bullam Cœna tom.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 15. *punct.* 4. §. 1. *num.* 5. vide etiam *dub.* 4. *sect.* 19. *subsect.* 3. *&* 4. *& dubit.* 15 *sect.* 2. ac tandem *Bullam Vrbani VIII. super preseruatione iurium sedis Apostolica, &c. à quibuscumque praiudicialibus* , quæ incipit. *Romanus Pontifex.*

3 Non nego tamen , quod si Pontifex re vera scit , & tolerat consuetudines aliquas contra immunitatem Ecclesiasticam (quod ex rationibus, & signis fundatis prudenter colligendum est)illæ nonobstante publicatione Bullæ Cœnæ quæ fit quotannis, reprobandæ, & damnandæ non sint , atque ita docuerunt Molin. *de iust. & iur. tom.* 3. *tract.* 2. *disp.* 270. *num.* 5. Vasq. *opusc. de restit. cap.* 6. §. 1. *num.* 53. Less. *lib.* 2. *cap.* 33. *dub.* 5. *num.* 39. Turrian. *in* 2. 2. *tom.* 2. *disput.* 14. *dub.* 4. *num.* 12. Salas *de legib. quæst.* 96. *tract.* 14. *sect.* 11. *num.* 121. Malder. *vbi supra* & alij. At quoniam semper res ista erit, præsertim post prædictam Bullam Vrbani VIII. valde dubia, & scrupulis plena, videant, quid faciant Principes , & iurisdictionis laicalis ministri:nam de æternitate agitur & in momento , vnde pendet æternitas ipsa.

SECTIO X.

Proponitur septima difficultas , eiúsque solutio.

OBiicies septimò est ista consuetudo coniuncta cum fama Priuilegij , quæ vaga , & incerta etiam sufficit ergò &c. 1

Respondetur primò : negò antecedens. 2

Respondetur secundò transeat prior pars Antecedentis ; de qua te viderint ij, qui eam asserunt : at nego posteriorem partem illius : nam quod in illa asseritur , verum tantum est si cum consuetudine immemorabili coniungeretur constans fama, & traditio æque antiqua & immemorabilis, quod præcesserit priuilegium ; & præterea talis traditio integrè probaretur, sicuti rectè dixit Suar. contra Regem Angliæ *lib.* 4. *capit.* 34. *num.* 17. & ratio huius dicti est , quia summus Pontifex per speciale priuilegium , ob iustam causam datum alicui, Principi, aut Magistratui sæculari , potest

test ex parte aliqua derogare Ecclesiasticæ exemptioni, etiamsi de iure diuino illa sit, vt *suprà* dicebam; vt proindè virtute talis priuilegij laici capaces sint iurisdictionis in Ecclesiasticas personas, secundum limites concessionis, qua propter tamen si accidat, titulum priuilegij, vel concessionis modò exhiberi non posse, si tamen constans semper fama, & traditio fuerit de accepto priuilegio; ideóque laici iurisdictionem aliquam in Clericos exercuerint, fundantes se non in mera consuetudine, quippe quæ iuribus reprobata est, sed in titulo rationabiliter, ac bona fide præscripto, tunc tandem præscriptioni locus erit per tempus, cuius memoria non extet, sicuti docet Suarez *cit. cap.* 34. *num.* 17. & cæteri Doctores *in materia de vsucapione, & præscriptione.*

3 Id tamen necessariò fatendum est, talem nihilominus immemorabilem, & legitimè præscriptam consuetudinem posse à summo Pontifice tolli, ac reuocari: nam cum præscriptio aduersus Ecclesiasticam libertatem, vt legitima sit, fundari debeat in gratia, & priuilegio Pontificis, consequens est, quod sicuti priuilegium à Pontifice reuocari potest, vt *infrà* dicetur, ita etiam reuocari possit præscriptio, ex præsumptione priuilegij vim accipiens; sicuti rectè dixit Suar. *loco suprà cit. num.* 18.

4 Adde, quod exemptionem Ecclesiasticam conseruare, eamdemque diminutam redintegrare, pertinet ad clauem supremæ spiritualis iurisdictionis, à Christo beato Petro, eiusque successoribus datæ; sed contra hanc supremam potestatem in spiritualibus, nunquam vlla præscriptio fieri potest, sicuti docet Innoc. *in cap.* 2. *de postul. Prælat.* in quo omnes Doctores conuenire testatur Aym. Craueta *de antiq. tempor. tom.* 2. *tract iuris, fol.* 170. ergo &c.

Neque obstat, quod concordata super ea re inter Ecclesiæ Prælatos, & Principem sæcularem edita, atque summi Pontificis consensu, & authoritate confirmata sint, vt dicam *infra in obiectione nona.* 5

Tripliciter itaque respondetur ad argumentum. Primò nego Antecedens. Secundò transeat prior pars Antecedentis: at nego posteriorem partem illius; quia simul cum consuetudine immemorabili requiritur constans fama, ac traditio æquè antiqua, & immemorabilis de accepto priuilegio, quæ omnia in casu nostro non contingunt. 6

Respondeo tertiò; esto adsit talis fama, & traditio, & sic præsumatur tale priuilegium à Pontifice olim acceptum. At nunc (vt mox *infrà in obiectione sequenti* dicetur) reuocatum est priuilegium istud per Bullam Cœnæ, quæ quotannis priuilegia omnia, quæ sunt contra immunitatem Ecclesiasticam, reuocat: ergo &c. Vide *cit. dub.* 4. *sect.* 19. *subsect.* 3. & 4. & *cit. Bullam Vrbani VIII. super præseruatione iurium*, &c. quæ incipit: *Romanus Pontifex.* 7

SECTIO XI.

Proponitur octaua difficultas, eiusque solutio.

Obiices octauò: adest in casu nostro priuilegium particulare à summo Pontifice concessum: ergo id quod in dicto casu fit, non est contra libertatem Ecclesiasticam. Consequentia probatur: quia summus Pontifex potest per priuilegium aliquod particulare derogare in parte 1

parte libertati Ecclesiasticæ sicuti *suprà* dicebam, & docent Bannes *in 2.2.quæst. 67.art.1.dub.2.concl.1.* Pesantius *de immunit. Eccles. disp.* 3. Ioan. de la Crux *part. 1.precept. 8. quæst.3.art. 1. dub.1. concl.3.* qui aiunt Reges Hispaniæ habere priuilegium à summo Pontifice circa Tribunal, quod nuncupatur *de la Fuerza*, & docent Carolus Grassaliis *in Regal. Franc. lib. 2.iur. 1.fol. mihi 229. & iur.2.fol. 237.* & alij, qui aiunt Regem Galliæ obtinere Canonicatus, & beneficia conferre in Regno suo, ex priuilegio Papæ; & docent Zanardus *tom.3. cap.* 50. & Decianus *tom.1.lib.4. cap.9.num.66* Gigas, & alij, qui aiunt Rempublicam Venetam ex priuilegio summi Pontificis in aliquibus casibus procedere contra Clericos: ergo &c.

2 Respondetur, transeat Antecedens, de qua re viderint aduersarij, qui asserunt: at nego Consequentiã, quia quamuis summus Pontifex concesserit olim huiusmodi priuilegia, modò reuocat illa quotannis in Bulla Cœnæ Domini; atque ita docet Sayrus *de censuris lib. 3. cap.25.num.*10. vbi sic ait: *Hinc patet sine causa dubitasse Nauarrum, an Iudices Galliarum, qui cognoscere, & iudicare solent Clericos super quibusdam casibus, in censuram Bullæ incidant: quia priuilegia ista per viam remunerationis sunt concessa, & sunt priuilegia immemorabilia, in qua re siquidem dubitandum esset de summi Pontificis intentione, & recurrendum esse censerem ad iudicium summi Pontificis, quia tamen Legislatoris mens, & intentio ex verbis eius colligenda est, non opus esse puto, vt quis pro huius rei, ac dubij solutione ad summum Pontificem recurrat, quandoquidem his verbis Bullæ*, omnia huiusmodi priuilegia se reuocasse, *summus Pontifex satis declarauit.* Idem docet Maynardus *de priuileg. Eccles. part. 2. art. 18. n. 10.* vbi sic asserit: *priuilegia fuerunt postea à summis Pontificibus reuocata, & inter cæteras reuocationes illa, quæ legitur in Bulla Cœnæ Domini*, ibi: *excommunicamus*, &c. Idem docet Vgolinus *in respons. ad Iurisconsult. Gymnasij Patauini, cap.7.fol. mihi 93.* vbi sic ait: *per Bullam Cœnæ Domini, quæ singulis annis in die Iouis Septimanæ sanctæ præsentibus Principum Christianorum Nunciis publicatur, illa clausula*, non obstantibus, &c. *derogat omnibus priuilegiis contra libertatem Ecclesiasticam.* Idem etiam docet Martha *de iurisd. part.4. cent. 1. cas. 7. num* 12. Duard *in Bulla Cœnæ, lib. 3. §. 5. quæst. 1. num.1.* Barbosa *in collect. lib. 5. decret. tit.2. cap. Eccles. S. Mariæ de constitut. num. 25.* Ioann. Beltran. de Gueuara *in propugn. Eccles. libert. § 7. num. 43.* & Theologi Religionis seruorum *in defens. cons. Pauli V. cap.8.num.19. in fin* & alij.

Nego tamen, quòd si reuerà extat (sicuti asseritur) priuilegium à summo Pontifice concessum, defendi possit non improbabiliter opinio opposita, quod scilicet per Bullam Cœnæ, quæ quotannis in die Iouis Hebdomadæ Sanctæ publicatur, non reuocetur illud, nec omne aliud priuilegium à summis Pontificibus concessum: & ratio esse potest, quia lex vniuersalis posterior non derogat priuilegio speciali anteriori: atque ita præter Nauarrum *in summa, cap. 27. num. 71.* Filliucius *tom.1.tract. 16.cap. 10.n. 258.* vbi sic asserit: *dixi sub prætextu, quia si re vera (vt esse potest) priuilegium adest concessum à Sede Apostolica, iustè excusari poterunt Reges, & Regum Ministri: & sic Regem Hispaniarũ, & Regem Galliarum habere aliqua priuilegia testantur Bannes & Degrassalius*, sic ille: quod 3

vtique

vtique præsumi potest in his Regibus tantæ integritatis, & pietatis. Ita etiam docet Suarez contra Regem Angliæ *lib. 4.cap.34.num.29.* qui ex Cardinali Bellarmino non audet damnare vsum talium priuilegiorium; sed Apostolicæ Sedi negotium remittit: idem tradit Vasquez *in part. 2. tom. 2.disp.167.cap. 4. num.32.* Salas *de legibus, disp. 14. sect. 9. num.108* Becan. *in summa Theolog. part.2.tract. 3.cap. 6.quæst.11.num. 2.* & Malderus *in part. 2.quæst. 96. art. 4.* vbi sic ait: *priuilegium datum Regibus, & Iudicibus sæcularibus cognoscendi causas Clericorum, nisi reuocatum sit, excusat illos contra immunitatem Ecclesiasticam facientes.* An autem priuilegia omnia quot annis reuocentur per Bullam Cœnæ, aliqui dubitarunt, veriùs videtur non reuocari, quia generalia verba, quæ rigidiora de hac re erant in Bulla Gregorij XIII à posteriobus Pontificibus temperata sunt. Adde, quod Molina *disp.149.* Lessius *de inst.& iur. lib.2.cap. 42. dub.12* Fagundez *de precept.Eccles.tract.1.lib.3.cap. 7.num.17.* & alij defendunt quasdam contra libertatem Ecclesiasticam consuetudines vigentes in Lusitania, & in Regno Castellæ, ex vi priuilegij cuiusdam à summis Pontificibus concessi. Vide Salgad. *de protect.regia, tom.2. part. 3.cap.10. num.96.& 97.* Vide etiam *cit. dubit. 4. sect.19.subsect.3. & 4.& cit.Bullam Vrbani VIII. super præseruatione iurium,* &c. quæ incipit: *Romanus Pontifex.*

Proponitur COROLLARIVM.

1 Hinc, casus Regni Galliarum (quos priuilegiatos Doctores vocant, & quos districtè ponit Chassaneus *super consuet. Burgun. rubr. 1. tit. des iustices,& droicts d'icelles. §. 5. vers. 5.col.à grace num. 48. & seqq.*) nec non & priuilegium Monarchiæ Regni Siciliæ, Alij defendunt, alij verò reprehendunt, & damnant: defendit siquidem eos præter Doctores *suprà* citatos Antonius Bouius *in Responsione ad Paulum Seruitam pro censuris Pauli V.part. 4. ad argum. 10.* vbi sic ait: *In Francia Il Rè ha priuilegij dalla sede Apostolica, onde, se procede solo ne delitti priuilegiati, non ecce de in cosa alcuna i suoi priuilegij, iquali se non l'hauessero ecceduto i signori Venetiani, non sarebbe loro stata detta cosa alcuna*, sic ille. At reprehendit, & damnat eosdem, præter Doctores *suprà* citatos, Petrus Binsfeldius *in commen. de iniuriis, & damno dato cap. 7. concl. 13.* vbi sic inquit: *per Bullam Cœnæ Domini videntur etiam sublati casus Regni Galliarum, quos priuilegiatos appellant, in quibus Iudices sæculares in illo Regno se intromittunt, etiam pro criminibus aliquibus contra Clericos*, hæc Binsfeldius: & priuilegium Monarchiæ Regni Siciliæ reprehendunt, & damnant Baronius *tom. 11. anno 1097.* & Hieronymus *Catena in vita Pij V.* At defendunt illud Antonius Xibecca *in allegationibus ad Marcum Antonium Columnam*, & Ioannes Beltranus de Gueuara *in discursu de origine, & vsu Monarchiæ Regni Siciliæ*; sed circa hanc rem vide etiam Henriq. *in summa lib. 10. cap. 28. num. 3. & lib. 2. de summi Pontificis claue, cap. 10. §. 3.* Bonacinam *in Bullam Cœnæ tom. 3. disput. 1. quæst. 21. punct. 1. numero 24.* Sebastianum Cæsarem *de Eccles. Hierar. part. 1. disput. 3 §. 1. numero 9.* Goffredum *lib. 4. de rebus gestis Roberti Guiscardi cap. 29.* Camillum Berellum *de præstantia Regis Catholici cap. 5. per totum*, Fasellum *lib. 7. posterioris decadis, cap. 1.* Ferdinan-

dum Matute *in responso pro impositione gabellæ* contra Massanenses *fol.*24.Ioannem *histor. Hispan. lib.* 10. *cap.*5. Antonium Costam *lib.* 1. *cons.* 1. *num.*75. *&* 85. Maurolicum *in histor. Sicil. lib.* 3. *artic.* 98. Laurentium Ananiam *in fabrica Mundi tract.* 1. *fo.* 129. & Cumiam *in Prel. capit. si aliquem*, *num.* 49. *&* 52. nam de meo ex industria nihil ponere volo; illud tantum monuerim, ne fortè pro momentaneis rebus æternæ amittantur: videatur *cit. nouissima Bulla Vrbani VIII. super preseruatione iurium*, &c. quæ incipit: *Romanus Pontifex*.

SECTIO XII.

Proponitur nona Difficultas, & eius solutio.

1 OBiicies nonò, adest in casu nostro priuilegium concordatum, seu per modum concordiæ se habens: ergò huiusmodi priuilegium saltem, non est reuocatum per Bullam Cœnæ Domini: quinimò nec potest reuocari.

2 Respondetur primò: nego Antecedens. Respondetur secundò, transeat Antecedens, de quo aduersarij viderint, & transeat prior pars Consequẽtis; quod scilicet priuilegia cõcordata non sint reuocata per Bullam Cœnæ Domini, etsi contrarium doceant Azor. *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 12. *ver. ex dictis*, & alij, & videtur etiam docere Suarez contra Regem Angliæ *lib.* 4. *cap.* 24. *num.* 22. *&* 29. & ratio esse potest, quia illa habent se per modum contractus, vt notauit Sanchez *de matrim. tom.* 3. *lib.* 8. *disp.* 33. *n.* 10 vnde non intelligitur reuocata, nisi explicentur.

Confirmatur, quia per Bullam Cœnæ Domini propter eandem rationem non intelliguntur reuocata, vel suspensa priuilegia Cruciatæ, sicuti docent Henriquez *lib.* 7. *cap.* 21. *num.* 2. Sanchez *in summa tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 27. Fernandez *part.* 3. *cap.* 9. *sect.* 11. *cap.* 19. *num.* 5. & Duard. *in Bull. Cœnæ lib.* 3. §. 2. *quæst.* 11. *num.* 41. Imò probabiliter hæc propter rationem nec intelliguntur reuocata, vel suspensa per Iubilæum anni Sancti, sicuti contra Nauar. *not.* 33. *num.* 3. Fabrinum *de Iubilæo cap.* 21 & Lopez *tom.* 2. *cap.* 10. docent Henriquez *vbi suprà num.* 3. Bonacina *de legibus*, *disput.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 8. §. 3. *num.* 13. Portel. *in dub. regul. ver. bulla cruc. num.* 2. Salas *de legibus disput.* 20. *sect.* 10. Ferdinandez *in loc. cit.* § 10. *num.* 6. Alfonsus de Leone *de Iubil. part.* 1. *quæst.* 6. *num.* 229. Zerola *de ann. Iubil. lib.* 2. *cap.* 19. *quæst.* 2. Villalobos *tom.* 1. *tract.* 27. *clauf.* 12. *num.* 8. Acosta *in Bull. quæst.* 101. & Rodriquez *in Bull.* §. 12. *dub.* 6. *num.* 8. qui subdit, ita declarasse Clementem VIII. in suo Iubilæo anni Sancti 1600. & ita etiam declarauit Vrbanus VIII. Commissario Cruciatæ in anno 1625. Item probabiliter nec intelliguntur (quod plus est) reuocata per Bullam Cœnæ Domini priuilegia Mendicantium; etsi solùm in remunerationem concessa sint, sicuti contra Zenardum *part.* 1. *de sacram. pœn. cap.* 24. §. 8. & contra Peregrinum *in scholiis ad nostra priuilegia. part.* 3. *tit. Bulla Cœnæ* §. 6. docent Sousa *in Bullam Cœnæ*, *cap.* 23. *disput.* 10. *numero* 7. *concl.* 3. Peirinus *in priuileg. Minimorum tom.* 1. *constit.* 4. *Sixti* 4. §. 5. *num.* 10. *& seqq.* Villalobos *tom.* 1. *tract.* 9. *diff.* 61. *num.* 5. & Portel. *in addit. ad dub. Regul. ver. Abbas*, *num.* 10. 3

10. Vide etiam Suarez *de Relig. tom.* 4. *tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 21. Itaque transeat Antecedens, & prior pars consequentis de quo ipsi viderint. At nego posteriorem partem illius; quia quamuis concordata super aliqua re inter Ecclesiæ Prælatos, & Principem sæcularem edicta, atque summi Pontificis consensu, & authoritate confirmata sint, & sic nunquam intelligantur reuocata, nisi exprimantur ex eo quia se habent per modum contractus vt *suprà* dicebatur, quin imò ob dictam causam reuocari non debeant, nisi iusta causa sic exigit; nihilominus ex graui causa ad bonum publicum pertinente reuocari poterunt, quin, & aliquando debebunt: & ratio est, quia vel concordia ideò facta est, vt intelligatur, quo vsque priuilegia à sede Apostolica gratuitò concessa se extendere debeant, & tunc manifestum est, concordiam in gratuitis priuilegiis fundatam ex causa aliqua reuocari posse, quin, & aliquando debere. Vel concordia transiit in pactum onerosum, atque reciprocum, & sic in naturam contractus; & tunc quoque ob causam grauissimam ad bonum Ecclesiæ pertinentem, reuocare illam summus Pontifex potest, & aliquando debet, sicuti ex communi docet Suarez *lib.* 4. *defens. fidei Cathol. cap.* 34. *num.* 24. & probatur ratione ex doctrina generali de priuilegiis, quæ per omnes Doctores licèt à Principe ob merita, vel cum imposito onere alieni concessa fuerint, tamen ex plenitudine potestatis reuocari possunt, & aliquando debent, ob publicam scilicet causam, cum bonum publicum anteferri debeat priuato; & cum huiusmodi casus in ipsa concessione, aut concordia semper exceptus censeatur, dummodò parti priuilegiatæ, si quod ex tali reuocatione damnum patiatur, compensatio fiat, sicuti docet Suar. *loc. suprà cit.* & *lib.* 8. *de legib. cap.* 37 *num.* 5.

4 Adde, specialem hîc rationem considerandam esse, nempè quod, cùm exemptio, seu immunitas in maximum bonum Ecclesiæ, & quidem diuino iure (vt plerique existimant, & ego *suprà* probabam) introducta, & constituta sit, non potest Summus Pontifex sine iusta causa eidem aliquatenus renunciare; alioquin irrita erit renunciatio, & consequenter reuocari debebit.

5 Adde secundò; quod etsi à principio, causa subsistente, iusta videbatur renunciatio, siue concessio iurisdictionis in materia Ecclesiastica per Laicos exercendæ, tamen ob rerum, & temporum mutationem iniqua euadere potest, si scilicet cedere incipiat in contemptum Ecclesiastici status, atque Ecclesiæ detrimentum: quo itidem casu ad summum Pontificem pertinebit reuocare concessionem; quamuis interdum ob maius malum vitandum toleret & silentium adhibeat. Vide *cit. dubit.* 4. *sect.* 19. *subsect.* 4. & *cit. Bullam Vrbani VIII. super praseruatione iurium*, &c.

SECTIO XIII.

Proponitur decima difficultas, eiusque solutio.

1 OBiicies decimò, non potest Princeps laicus priuilegium semel concessum Ecclesiæ reuocare, (vti *suprà* probabam ex communi sententia Doctorum *sect.* 5. *subsect.* 2. & docet præter alios Abbas *in cap. super in* 2. *de appellat. num.* 4. & Suarez *de immunit. lib.* 4. *cap.* 30.) ergo nec Ecclesia, seu

Pontifex potest priuilegium semel concessum Principi laico reuocare. Consequentia probatur à pari, tum quia exigit ratio, vt vtrobique seruetur æqualitas, ergo &c.

2 Respondetur, concedo antecedens, at nego consequentiam, & disparitas est, quia Princeps laicus si quid priuilegij, & fauoris facit Ecclesiæ per aliqua concordata, vel priuilegia, omninò id facit superiori, & non subdito suo, & ideò manet irreuocabile per potestatẽ ipsius: at Pontifex quidquid fauoris, & priuilegij facit Principi laico, cum semper id faciat subdito suo in spiritualibus, semper remanet per ipsum reuocabile, si ita postulet ratio boni communis spiritualis, & bonum regimen Ecclesiæ: vnde Pontifex per nullum contractum potest à se abdicare supremam potestatem ad liberè disponendum de his omnibus, quæ faciunt ad bonam gubernationem Ecclesiæ; atque ita notauit Felin. *in cap. nouit. de iudiciis, num.* 8. & ideò omnis contractus, & conuentio Pontificis cum quolibet Principe laico facta cum hac tacita conditione facta censetur, dummodo scilicet non vergat in præiudicium, & damnum Ecclesiæ; quæ generalis doctrina speciali ratione locum habet in materia exemptionis, quia quidquid in ea remittitur ex parte Ecclesiæ, liberaliter ordinariè sine compensatione conceditur; tum quia in hac exemptione magis attendendum est bonum commune status Clericalis, quàm vlla conuentio Pontificis facta cum Principe sæculari, quapropter necesse est, vt conuentio semper habeat illam conditionem tacitè inclusam, nempè, *dummodò in præiudicium, vexationem, vel vilipendium status Clericalis non cedat*; intercedente igitur simili causa, poterit conuentio reuocari, & aliquando debebit; sine illa verò causa non poterit, saltem licitè; si tamen fiat, existimo factum tenere, tum propter supremam spiritualem potestatem Pontificis, quæ in se minui non potest (dummodo à Pontifice parti priuilegiatæ, si quod ex tali reuocatione damnum patiatur, compensatio fiat, vt *suprà* dicebatur) tum quia huiusmodi priuilegia, vtpotè odiosa, sub hac forma semper concessa intelliguntur. Idemque dico de omnibus quibuscumque aliis similibus priuilegiis; & ideò in Bulla Cœnæ anno 1586. à Sixto V. fuerunt reuocata omnia priuilegia concessa quibuscumque, etiãsi Pontificali, Imperiali, Regali, aut quauis Ecclesiastica, aut mundana dignitate præfulgeant, & ex quacumque causa essent concessa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, &c. & quoad violatores Ecclesiasticæ immunitatis ita habetur de iure communi, vt videre est *in cap. Clericis* §. *fin. de immunit. Eccles. in* 6. & *ibi* gloss. *vers. non obstantibus*: quinimò quamuis Pontifex in concessione alicuius priuilegij expresè profiteatur, quod nunquam sit illud reuocaturus, adhuc tamen ex dictis potest illud reuocare, cum causa; & censeri debet reuocare de facto, quando in posteriori aliqua constitutione apponit clausulas derogatorias: atque ita expresè habetur *in cap.* 1. *de constit. in* 6. & ratio est, quia semper sibi reseruat maiorem potestatem ad reuocandum, quàm vnquam concedat per priuilegium, *ex cap. dudum*, §. *nos igitur, de prabend. in* 6. & docent contrà Rebuffum *in concordatis, tit. de collation.* §. *insuper quæro*, & contra Gabrielem Pereiram *de manu Regia, part.* 1. *cap.* 6. docent ex communi Suarez *de immun. lib.* 4. *cap.* 34. *num.* 27. Tuscus *tom.* 5. *vers. libertas Ecclesiastica, concl.* 342. Baldellus

tom. 1.

tom. 1. *lib.* 5. *disp.* 40. *num.* 7. *&* 8. Alterius *de censur. disp.* 22. *lib.* 5. *cap.* 5. *in fine*, Bonacina *in Bulla cœnæ tom.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 15. *punct.* 4. §. 1. *num.* 6. & alij passim.

3 Hæc autem doctrina non procedit (vti *supra* dicebam) ex parte Principis sæcularis, licèt procedat ex parte Pontificis: & ideo quamuis exemptio Clericorum esset tantùm de iure humano (quam tamen contendo esse primo, & principaliter de iure diuino, sicuti probabam *sect.* 4. *per subsectiones sequentes*) non potest ampliùs reuocari à Principibus successoribus: quia, vt dictum est *sect.* 5. docent Canonistæ apud Felin. *in cap. Ecclesia sancta Maria, num.* 97. *de constitut. & in cap. nouit, de iudic. num.* 6. & Theologi apud Azorium *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 13. *quæst.* 5. quibus adde Gueuaram *in propugnac. libert. Eccles. assert.* 1. §. 7. *num.* 33. *&* 34 & Baldellum *loco suprà cit. lib.* 5. *disp.* 35. *num.* 17. priuilegia semel concessa Ecclesiæ, vel ad pias causas, aut personis non subditis, non possunt amplius reuocari: quia eo ipso transeunt in ius alterius, in quem amplius non manet potestas: cùm non sit is, cui fit concessio, subditus concedentis; & hoc tantò magis verum est, quantò priuilegia fuerunt concessa in remunerationem laborum, & ob merita præstita, sicuti in casu nostro contingit.

4 Confirmatur, quia bona Ecclesiastica iure diuino sunt libera, & immunia à potestate laica; sed priuilegium Ecclesiæ semel concessum, & ab illa acceptatum inter bona Ecclesiastica connumeratur: ergo non potest à Principe laico illud reuocari; alioquin Princeps laicus haberet potestatem super bona Ecclesiastica, quæ de iure diuino sunt exempta ab omni potestate laicali, sicuti ex sententia communi omnium Doctorum *sect.* 4. *&* 5. *suprà* probabam.

Proponitur aduertendum.

Aduerte hîc, concordata inter Ecclesiasticos, & sæculares, etiamsi in Concilio prouinciali facta sint, nisi confirmentur à summo Pontifice, nihil contra priuilegium immmunitatis Ecclesiasticæ operari, quod tamen intellige, quando per concordiam conceditur laicis aliqua iurisdictio in Clericos: nam si non conceditur iurisdictio, sed solùm executio, vel nudum factum (v. g. eripere arma Clericis noctu illa portantibus, vel comprehendere Clericum in flagranti crimine inuentum, &c.) valida erit talis concordia, quia id non est aliquid iuris laicis in Clericos concedere; sed potius laicos ad exquendum ministros sibi assumere: atque ita docent Suarez contra Regem Angliæ *lib.* 4. *cap.* 32. & Baldellus *in loco suprà citato*, qui rectè *ibi* aduertunt huiusmodi concordiam semper debere esse ab arbitrio Prælatorum Ecclesiæ dependentem. Ratio, quia non possunt hi ius aliquod in Clericos Iudicibus laicis transferre; tum quia sic semper erit integrum Prælatis Ecclesiæ, non obstante concordia prohibere laicis, ne tales actiones in Clericos exquantur, quotiescunque sic expedire visum fuerit: etiamsi concordata essent quacunque diuturna consuetudine firmata. 1

SECTIO XIV.

Proponitur vndecima Difficultas eiusque solutio.

1 OBiicies vndecimò: Pontifex tenetur stare contractui, etiam cum subditis: ergo &c. Antecedens probatur, quia Pontifex subditur, si non iuri positiuo, saltem iuri gentium, & diuino; tum quia Pontifex non est dominus Mundi quoad proprietatem, sicuti ex communiori tradunt glossa, & Doctores *in procemio Digestorum*; in qua re proportionem quandam habet Papa cum Imperatore, qui propterea non potest validè rei meæ dominium mihi auferre sine causa, sicuti tradunt Bart. & alij Doctores *ibi*, & ego diffusè probabam *dubit.* 4. quod & verum est de Papa etiam in ordine ad bona Ecclesiastica; quia nec istorum est dominus Papa, sed (sicut & quicunque Clericus) solùm administrator, quamuis superior, & non ad dissipandum, sed ad dispensandum, vt rectè ex communiori docuit etiam S. Thomas *in 6. quolibet. art.* 12. quidquid in contrarium *in cap. cum venissent, de Iudic.* dixerit glossa, quam propterea *ibi* Doctores communiter impugnant. Vide, quæ dicebantur *suprà dub.* 4. *sect.* 21. *subsect.* 12. *dub.* 24. *sect.* 4.

2 Vnde non potest Papa sine causa alienare bona Ecclesiæ, & si facit, saltem peccat mortaliter, vt docet Arch. 12. *quæst.* 2 *non licèt*, & Nauar. *comment. de spoliis Clericorum*, §. 2. 3. & 15. vbi rectè distinguit, quod alia alienatio rerum, Ecclesiasticarum facta à Papa est iusta & valida, quæ videlicet rationabili causa nititur: alia est valida, & non iusta, si absque causa reus vnius Ecclesiæ in aliam Ecclesiam, aliúmve pium vsum transferatur: quapropter si sine iusta causa ab Episcopis, aliísque beneficiatis beneficia auferantur, actus est validus, quamuis non iustus, & sic beneficia vacabunt: atque adeo ab altero poterunt impetrari, ac sine restituendi obligatione retineri: alia denique alienatio facta à Papa, neque est iusta, neque valida, si res Ecclesiæ sine rationabili causa in vsus profanos alienentur, vel laicis sine iusta causa donentur. 3

Vnde secundò Papa (quod etiam de supremo Principe ex communi Doctorum sententia docet Bald. *in lib. de vsi. feud. in rubr. de natura feudi*) ex suo contractu obligatur; & sic si inuestiuit aliquem Baronia, vel Castro, non potest validè eum, eiusve successores, sine culpa priuare; nec obstat, quod habeat Papa plenitudinem potestatis; quia Deus subiecit ei leges, sed non contractus, ex quibus de iure gentium, & de iure naturali obligatur.

Vnde tertiò non potest validè Papa etiam de plenitudine potestatis absoluere aliquem ab obligatione, qua hic tenetur alteri, nisi ex causa rationabili; & sic intellige Innocentium, Host. & Ber. qui docent posse Papam id efficere de plenitudine potestatis, *arg.* 8. *q.* 3. *per principalem C. de qua præscript. l. benè à Zenone C. de preci. Imper. offe. l. quoties.* & ratio est, quia *vt suprà* dicebatur ex communiori, Papa non est Dominus mundi quoad proprietatem; atque adeò non potest legem condendo, aut alio modo, valide auferre mihi rei meæ dominium, sine causa rationabili, & multò minus potest Imperator; sic etiam intellige *l. venditor* §. *si constat, ff. comm. præd. qui* §. vt ait Bart. *in hac materia est singularis*; sic etiam intellige 4

ge Panormitanum *in cap. 2. de voto* docentem, quod Papa auferre potest obligationem Laici non subditi, ei temporaliter contractam ex fidei præstatione, intellige (inquam) cum causa rationabili, non aliter cum sit de iure gentium, *Clem. Pastoralis de re iud.* non auferri illam alicui sine causa rationabili, sine qua nec potest validè Imperator, & multò minus potest validè Collegium, Ciuitas, vel Vniuersitas; ex causa autem potest validè & iustè id efficere Papa; sicuti ex causa potest & validè & iustè exigere à secularibus quodcumque subsidium temporale, vt si, v. g. Ecclesia inuaderetur & aliter ipse prouidere non posset, &c.

5 Respondeo, distinguendo Antecedens: Pontifex tenetur stare contractui, etiam cum subditis; distinguo, si ratio aliqua non suadet in contrarium, concedo; si suadet, præsertim ratio boni communis Ecclesiæ, & status clericalis, sicuti est in casu nostro, nego; quare retorquetur contra aduersarios argumentum. Vide quæ dicebantur *dubit.* 4. *sect.* 3. *& seqq.*

6 Adde, quod etiamsi sine causa rationabili Pontifex concordata reuocaret, licèt iniustè reuocaret, validè tamen reuocaret; tum propter plenitudinem potestatis, quam habet, dummodò parti priuilegiatæ compensatio damni fiat, si quod ex tali reuocatione damnum patiatur, tum quia vtpotè odiosa huiusmodi concordata, sic facta semper intelliguntur, sicuti *suprà* dicebatur; & ex his patet disparitas ad alia, quæ in argumento adducebantur, nempè quod nec iustè, nec validè faceret Papa, si illa sine rationabili causa faceret, vel facere attentaret, de qua re tamen vide quæ diffusè dicebantur *cit. dub.* 4 *sect.* 21. *per subsectiones sequentes.*



DVBITATIO XXVIII.

An possit Rex grauare Ecclesiasticos, exigendo ab illis grauamen impositum super bona eorum, antequam ad eosdem peruenissent, quæcunque bona Ecclesiasticorum illa sint.

SECTIO I.

Proponitur Dubitationis Resolutio.

1 RESPONDEO distinguendo; si possessio, vel res aliqua habebat aliquod onus perpetuum, & inuariabile annexum, antequam veniret ad ius Ecclesiæ, vel Ecclesiasticorum; v. g. habebat aliquem censum, vel seruitutem Principi debitam, vel onus reparandæ viæ publicæ adiacentis, vel quid simile, hoc etiam ab Ecclesiastica persona præstandum est. Ratio, quia res quæque cum suo onere transit, *cap. cùm non sit* 33. *& cap. Pastoralis* 28. *de decimis*; atque sic docent Sylu. *verb. immunitas* 1. *numero* 19. & alij, qui sic distinguunt, vel

vel res Ecclesiæ, & Ecclesiasticorum habebat annexam aliquam gabellam, vel collectam certam perpetuam, & inuariabilem, vt ex ea quotannis soluatur certa pensio in perpetuum, & persona Ecclesiastica tenetur illam soluere: vel res illa erat solùm obstricta ad gabellam, aut collectam obligatione indeterminata, & variabili ad tempus; nimirum ad sôluendum onus pro varietate temporum, & necessitatum occurrentium, & persona Ecclesiastica non tenetur soluere atque sic etiam docent Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 16. *cap.* 11. *num.* 294 Azor. *part.* 3 *lib.* 5. *cap.* 19 *quæstion.* 8. Duard. *in Bull. Cœna lib.* 2. *can.* 18. *quæst.* 6. *num.* 6. Megalius *in part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 17. *quæst.* 6. *num.* 98. & 103. Alter. *tom.* 1. *disput.* 19. *lib.* 5. *capite* 6. Prosper de August. *in addit. ad summam*, Quarant. *verb. vectigal.* Sousa *in Bull. Cœna cap.* 19. *disput.* 92. *num.* 5. Molfes. *in summa*, *tom.* 2. *tract.* 12. *cap.* 22. *num.* 167. & *seqq.* Turrian. *tomo* 2. *in* 2. 2. *disput.* 44. *dub.* 4 *numer.* 13. Molina *tom.* 3. *tract.* 2. *disp.* 672. Layman *lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 6. *num.* 5. Malder. *in* 2. 2. *tract.* 5. *cap* 6. *dub.* 9. Suarez contra Regem Angliæ *lib.* 4. *cap.* 20. & Barbosa *in collect. tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 49. *cap.* 4. *num.* 6.

2 Quamuis nonnulli alij Doctores (& non improbabiliter) oppositum sentiant: nempè quòd persona Ecclesiastica non tenetur soluere etiam collectam certam, & inuariabilem impositam super bona, priusquam ad ipsam personam Ecclesiasticam peruenissent: atque ita tenent Doctores, quos citat, & sequitur Carolus de Grassis *de effectib. Clericatus*, *effect.* 3. *à num.* 162. *vsque ad num.* 176. quibus addo Cardinalem Albanum *in tract. de immunit. Eccles. tom.* 13. *tractuum part.* 2. Pesantium *tract. de immunit. Eccles.* 7. vbi sic ait: *quando onera sunt perpetua, & certa rebus imposita, maior est difficultas: sed si generalitate sacrorum Canonum standum sit*, idem *dicendum est*, *quod & de primo casu, & ego, vt tutas reddam Principum, & magistratuum sacularium conscientias, non possum tuta conscientia aliud suadere, quam vt cum talia onera imponenda, vel imposita iam, exigenda sunt, non aliter fiat, quàm consulto, & concedente Romano Pontifice*; hæc ille. addo etiam ex Iuristis Ioannem Beltran. de Gueuara *in propugnaculo libert. Eccles. assert.* 1. §. 6. *num.* 27. vbi sic tradit: *non potest sustineri opinio Bartoli, etiamsi impositum sit inuariabile, & certum, & in certa quantitate: quia collecta est onus, quod personis imponitur secundùm quantitatem possessionum, & rerum: ita vt collecta sint onera mixta* ex leg. rescripto §. fin. de muner. & honor. *& sic collecta, quantum ad obligationem, est onus personale, & quantum ad quantitatem, est reale: ac proinde quando statuto imponitur onus super rebus certum, & inuariabile, id censetur fieri in fraudem Ecclesiasticorum: sic esset onus variabile & incertum: quidquid contradicant alij distinguendo, an onera certa, firma, & inuariabilia sint, an verò incerta, & variabilia: non enim hæc distinctio admittenda est. quando per statutum onus soluendum imponitur in futurum; quamuis aliter dicendum est; si fiat post specialem contractum Principis, vel contrahentium.* hæc ille. quæ omnia, ait Carolus Grass. *in loco suprà citato*, intelligenda sunt, etiamsi bona patrimonialia Clerici reperiantur in extimo descripta: nam non transeunt in Clericos cũ onere suo, licèt tale onus esset reale perpetuum, & durabile sẽper.

At

3 At quiquid sit de hac opinione, an sit vera, nec ne, quæ saltem, vti dicebam, improbabilis non est, tum ab intrinseco, ex vi rationum, tum ab extrinseco, ex vi authoritatum eorum, qui eam tenent.

4 Respondeo, saltem dicendum esse, quod (quamuis onera perpetua certa, & inuariabilia, seu merè realia, id est, quæ sine habitudine ad personæ qualitatem, rebus ipsis iure perpetuo inhærent, ab Ecclesiasticis quoque possessoribus contra Cardinalem Albanum, Pesantium, Gueuaram, & alios Doctores, quos refert, & sequitur Carolus de Grassis *loco sup. à citato*, præstanda sint) tamen inter merè realia onera numerandæ non sint gabellæ, seu tributa, quæ sæcularis Princeps lege ordinaria subditis de bonis eorum præstanda imponit, ac proinde eiusmodi onera, seu obligationes tributi vnà cum bonis, seu possessionibus ad Ecclesiasticos quoque transire non debeant, quidquid in contrariũ (vt videre est apud Remigium de Gonny *tract. de charitat. subsidio, quæst.* 61. *num.* 57. Ægidium Thomatum *tract. de collectis summar.* 2. *num.* 36. & Ioannem Driedon. *de libert. Christiana, lib.* 2. *cap.* 3. vbi ait, quod prædia omnia sunt obligata pro tributis Reipublicæ impositis, & imponendis, & cum hoc onere transeunt in Ecclesiam) dicant aliqui, quorum sententiam rectè reiiciunt Abb. *in cap. vlt. num.* 12. *de vita, & honestat. Cleric.* Felin. *in cap. Ecclesia, num.* 76. *de constit.* Hieron. Albanus *tract. de Immun. Eccles.* Gutierr. *lib.* 1. *pract. quæst. quæst.* 3 Martha *de iurisdict. part.* 4. *casu* 11. *num.* 28. Suarez *lib.* 4 *defens. cap.* 20. *num.* 12. Tannerus *in defens. libert. Eccles. cap.* 13. *prope finem*, Lessius *lib.* 2. *cap.* 33. *dub.* 3. *num.* 21. & ratio est, quia onus soluendi eiusmodi tributa, quæ Princeps imponit, non est merè reale, sed conuenit rebus propter personas, quæ sub Principis iuridictione existentes lege tributi obligari possunt: ergo si bona, ex quibus tributa per legem impetrata à subditis soluebantur, postea ad alios possessores, ac dominos, à Principis potestate omnino exemptos deueniunt, onere illo, seu obligatione pariter eximi debent, iuxta regulam Abbatis *in pracit. cap.* allatam: *si persona exempta est, consequenter etiam res eius:* item iuxta regulam communem: *mutata persona, mutatur etiam conditio rei;* sicut ex communi ipsorum etiam Iuristarum sententia docent Martha *part.* 4. *casu* 125. *num.* 2. *&* 18. Gutierrez *cit. quæst* 3. *num.* 15. & alij passim.

Confirmatur: dispositio legis desinit obligare, cum in eum casum deuenit, in quo incipere non potuisset, dummodo sit eadem ratio non perseuerandi, quæ erat non incipiendi: sed fatentur etiam contrariæ sententiæ Doctores Principis lege lata de tributo soluendo, non comprehendi bona, quæ ad Ecclesiam pertinent, sicuti nos probabamus *dub.* 24. & iterum *infrà* probabimus: ergo, &c. Distinguunt enim ipsi inter præstationes reales, siue munera patrimonialia; quod alia sint ordinaria, seu Canonica, quæ communi lege ab antiquo tempore imposita erant: alia verò sint munera extraordinaria, seu superinducta, quæ ob causam superuenientem de nouo imperantur, ideóque ad Ecclesiasticorum bona se non extendunt ob defectum iurisdictionis, seu (quod idem est) ob priuilegium exemptionis; sed hæc ratio similiter vrget, si bona, quæ sub dominio subditorum existentia, & ob eam causam tributis obnoxia sunt, postea perueniant ad Ecclesiam à potestate Legislatoris sæcularis exem- 5

ptam, vti consideranti patebit: ergo, &c.

SECTIO II.

Proponuntur, & resoluuntur difficultates in oppositum.

1 OBiicies: Innoc. *in cap. non minus de immunit. Eccles.* Abbas *in cap. 1. de censibus, num. 8. & cap. vlt. num. 12. de vita, & honest. Cleric. & part. 1. consil. 3. & 26.* Syluest. *verb. immunitas 1. quæst. 5. & verb. gabella 5. quæst. 3.* Andr. Gail. *l. b. 2. obseruat. 52.* videntur sentire oppositum: ergo &c.

2 Respondeo: nego Antecedens; nam si diligenter eorum verba considerantur, à vera sententia non aberrant: non enim (vt apud ipsos videre est) indistinctè, & vniuersim aiunt Principis lege imponente tributum patrimoniis, onus effici merè reale, & sic ad quoscunque possessores, etiam ad Clericos, transire; cum & ipsi in hunc modum distinguant: munera, alia sunt personalia, & alia patrimonialia: personalia sunt, quæ personis, iisque subditis tantùm, sine ordine ad patrimonij bona, imponuntur: eáque alia sordida sunt, vt calcis coquendæ, pistrini, aut stabuli obsequia, de quibus *in l. maximorum, Cod. de excusat. munerum, lib. 10.* alia honesta, vt tutela, cura, sicuti habetur *in l. 1. de muneribus, & honoribus*, ad personalia munera reduci quoque potest capitatio Ciuium, id est, certa exactio à personis, siue capitibus singulis sine ordine ad bona patrimonij *l. vnic. Cod. de Ciuium capitat.* atque ab his omnibus personalibus muneribus Clericos esse exemptos, nemo est, qui dubitet: munera autem patrimonialia, id est, quæ de patrimonij bonis inducuntur, duplicis generis sunt, vti habetur *in l. rescripto, §. vltimo, ff. de muneribus, & honoribus*: quædam enim personis tantùm subditis imperantur cum habitudine ad patrimonij bona, ideóque mixta appellari solent: quædam verò sunt munera merè realia, quæ rebus, seu possessionibus secundùm se inhærent, trahentia originem ex aliquo pacto censuali, feudalia, aut emphyteutico, & hæc ab Ecclesiasticis etiam soluenda sunt, aiunt Innoc. Abbas, & alij *in locis suprà cit.*

3 Insuper aliqui speciatim loquentes de patrimonialibus muneribus, docent quod alia sint extraordinaria (& collectæ dicuntur) quæ non habent certam præsentationem quotannis recurrentem, & talia subditis tantum imperari solent: cum enim principaliter personis rerum suarum contemplatione imponantur, impositio hæc locum non habet, si personæ subditæ non sint, iuxta *cit. leg. rescripto, §. fin.* Atque ab his muneribus Clericos, multóque magis Ecclesias immunes esse oportere, habetur expresse *in leg. omnis, & constitut. item nulla, Cod. de Episcop. & Cleric.* alia verò sunt munera ordinaria, seu Canonica, quæ possessionibus, ipsis ab antiquo tempore ita inhærent, vt etiam à non subditis, scilicet extraneis, Clericis, aliisque exemptis præstanda sint ratione prædiorum, seu possessionum suarum, *cit. leg. rescripto, & leg. Imperatores, ff. de publicanis, leg. placet, Cod. de SS. Ecclesiis, leg. de his Cod. de Episcopis, & Cler. l. 1. Cod. de indiction. lib. 10. & leg. vlt. Cod. de exactor. tributorum eod. lib.* & inter eiusmodi munera, seu onera ipsis possessionibus inhærentia, ideóque præstanda

ſtanda etiam à non ſubditis, Clericis, & Eccleſiis poſſeſſoribus, numerantur anguriæ, ſeu vehiculares præſtationes, ob Principis, vel exercitus tranſitum, vel ad Vrbis munitionem; vel ad itineris, pontiúmque conſtructionem,aut ad ſimilem aliam vtilitatem communem, vti habetur *in leg. 1. & leg. munerum, § patrimoniorum, ff. de munerib. leg. ſunt munera, ff. de vacat. & excuſat. munerum; leg. ad inſtructiones leg. neminem, Cod. de SS. Eccleſiis*: & huiuſmodi ciuilibus conſtitutionibus adhuc hodie locum eſſe, tradunt Innoc. Hoſtienſis, Gloſſ. Card. Anchar. *in cit. cap. non minus, de Eccleſ. immunit.* & alij quidam apud Abb. *in dicto cap. non minus, num.* 18. & apud Remigium de Gonnij *tract. de ſubſidio charit. quæſt.* 62. apud Sylu. *ver immunitas, 1. num.* 20. & apud Gutierrez *lib. 1. pract.* 99. *quæſtion.* 3. *num.* 5.

4 Sed contraria ſententia eſt adhuc omninò ſequenda, vt *infrà loc. ſuo* probabitur, & communiter traditur à Canoniſtis, teſte Syluestro *loc. cit.* & tradit gloſſ. *in cap. generaliter, 16. quæſt. 1. ver. collationibus*, Ioan. Andr. & Abb. *cit. cap. non minus, num.* 17. Iaſon *in leg. placet, Cod. de SS. Eccleſ.* Gutierrez *cit. quæſt.* 3. *num.* 3. Suarez *cit. lib. 4. defenſ. cap.* 26. Molin. *tract.* 2. *tom. 3. priore, diſput.* 672. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 33. *dub.* 3. qui rectè docent prædictas Constitutiones, cum ſint contra immunitatem Eccleſiaſticam, vim non habere, niſi ſpeciatim ab Eccleſia approbentur; quin imò correctas eſſe ab Imperat. Friderico *conſtitut. item nulla, Cod. de Epiſcopis, & Clericis*, & multò clarius *per cap. non minus, & cap. aduerſus, de immunit. Eccleſ.* vbi vniuerſim prohibetur, ne ex bonis Eccleſiarum, vel Eccleſiaſticorum vllæ contributiones fiant ad communem neceſſitatem, vel vtilitatem, niſi Epiſcopus cum Clero iudicauerit, ſubſidia (vbi laicorum non ſufficiunt facultates) ſpontè, & ſine vlla laicorum coactione, conferenda eſſe ad finem illum, modò etiam ſummus Pontifex prius conſulatur, vt nos *in loco ſuo* dicemus, ac docet Abb. *in cit. cap. non minus*; & ratio pro nunc breuiter eſt; quia laicis propriè incumbit ſubire munera, & onera Reipubl. temporalia perſonæ autem Eccleſiaſticæ, & bona Eccleſiarum deſeruire debent ad finem ſpiritualem: ergò &c. & cum hoc ſit in beneficium laicorum, debent Eccleſiaſtici, eorúmque bona beneficium exemptionis à laicis habere in compenſationem talis obſequij, & beneficij.

Adde, quod etiam aliqui Iuriſtæ 5 poſt gloſſ. *in leg. 1. §. hoſpites, ver. non aliter Cod. de Epiſcopis, & Cler.* controuerſiam iſtam inter Doctos conciliant diſtinguendo, vt *ſuprà* nos diſtinguebamus nempè quod aliæ ſint angariæ, aut ſimiles præſtationes, quæ ex antiquo ipſis rebus, ſeu poſſeſſionibus indictæ fuerunt, v. g. ratione feudi, aut contractus cenſualis: ideóque præſtandæ à poſſeſſoribus, etiam non ſubditis, ipſíſque Clericis, & Eccleſiaſticis, vti habetur expreſsè *in cit. leg. munerum, & auth. de Eccleſiaſticis titulis, § ad hæc*: talia enim onera (cum rebus ipſis adhæreant, imò adhæſerint, antequam in Eccleſiaſticorum poteſtatem deuenirent) ſequuntur poſſeſſorem, quicumque ille ſit: cum neque alia conditione à fundatoribus donata, & tranſlata fuerint in Eccleſias, niſi vt debita ex rebus Seruitia ſupremo Domino præſtentur: aliæ autem ſunt angariæ, perangariæ, vel aliæ ſimiles

indictiones, quæ principaliter personis, non nisi subditis imponuntur, & collectarum nomine comprehendi solent, atque ab his Clerici liberi omninò esse debent (inquiunt ipsi) iuxta *cit. const. Friderici*, ergò &c.

6 Obiicies secundò: bona Clericorum, saltem antequam isti clericatum assumerent, erant obligata exactioni sæcularis Magistratus: ergo semel affectara transeunt cum hoc onere, quamuis incerto, & variabili; alioquin fisco sæculari præiudicium afferretur per clericatus assumptionem: ergo, &c.

7 Respondeo, distinguendo de obligatione: vel enim obligatio rebus inest, tamquem per accidens, ratione personæ, quæ sæculari Magistratui subiecta est, & tunc mutata conditione, ac statu personæ, mutarur etiam status rei; adeò vt si persona ob status mutationem desinat esset subiecta alicui Magistratui, etiam bona eius libera esse debent; vel bona per se, siue realem habent obligationem alicuius tributi, aut pensionis, ex præcedente pacto feudali, censuali, aut emphyteutico, & tunc nihil attendi debet, vtrum persona, quæ talia bona possidet, laicus sit, an Clericus, subditus, an exemptus, vel extraneus, præterquàm quod *in cap. 1. de censibus* habetur, *vt cuicumque Ecclesiæ mansus* (id est, quantitas terræ, quæ sufficit duobus bobus in anno ad laborandum) *integer sine vllo seruitio tribuatur*: vbi notant Doctores communiter, quod fundator non potest super tali fundo onus aliquod imponere, vel si ab alio antè impositum erat, redimere tenetur.



DVBITATIO XXIX.

An poßit Rex grauare, seu collectare Ecclesiasticos quando contributio facienda est æquè primario in vtilitatem Ecclesiasticorum, & laicorum.

1 RESPONDETVR ex communi sententia Doctorum affirmatiuè, verbi gratiâ, pro reparatione aggerum, ne flumen vicinos agros Ecclesiasticorum, & laicorum inundet.

Item si alicubi vermium morsus deuastet prædia; si vicini omnes contribuant ad sternendam lapidibus viam, vt putat Abbas *vbi infra*: si hostes infideles, aut hæretici (sicuti hoc tempore Caluinistæ faciunt in Germania) deuastent, aut proximè (nisi occurratur) deuastaturi existimentur regiones Catholicorum, in quibus sunt prædia, & alia bona Ecclesiastica, &c. & ratio est, quia in

in his, & similibus casibus Ecclesiastici, non tam astringuntur à Principe, & iure positiuo, quàm à iustitia, & iure naturali; cùm bonum, quod intenditur, & ad quod contribuitur, directè, ac proximè respiciat etiam bona Ecclesiæ, & Ecclesiasticorum.

2 Confirmatur, quia in dictis casibus, cùm Ecclesiastici sentiant æquè primariò, ac laici commodum: sentire debent simul cum laicis, & incommodum; atque ita docent Henriquez *lib.10. cap.15. num. 8. & 9.* Molina *tract. 2. tom. 3. priore, disput. 673.* Iulius Ferrettus *tractatu de gabellis, num.129.* Henricus à Gandauo *quodlibet 9. quæst. 31. in fine,* vbi sic ait: *Pro expensis Principis factis pro Ecclesia in exercitu contra hostes Ecclesiæ, debent Ecclesiæ, & Clerici conferre, sicut & laici; intelligo autem per hostes Ecclesiæ, impugnatores fidei, aut contra iustitiam Regum, vel Ciuitatum: non tamen tunc* (*vt dicit gloss.*, super illud necessitatis) *per laicos, sed per Episcopos petatur*, iuxta cap. non minus, de immunit. Ecclesiast. *nec similiter in aliis casibus prædictis, in quibus contribuere tenentur, nisi quod fortè cogente necessitate, quæ legem non habet in casu defensionis fidei, aut Regni, aut Ciuitatis, ponere possent manus ad res ipsorum, si per Episcopum ad hæc compelli non possent*; hæc ille. Idem etiam docet Abbas *in cit. cap. non minus*, vbi ait, quod si sit casus necessitatis, quæ directè, ac immediatè respiciat etiam bona Ecclesiarum aut Ecclesiasticorum, debent etiam Ecclesiæ, & Ecclesiastici contribuere, quia iure naturali in tali casu tenentur, quamuis non secundùm voluntatem & exactionem laicorum, sed præmissa deliberatione etiam ipsorum Clericorum, atque ad voluntatem & imperium Ecclesiasticorum Prælatorum; & ratio est, quia *quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari, cap. ad hæc 4. de offic. Archidiaconi, & reg.29. in 6.*

Addit Abbas *vbi suprà*, in tali casu 3 speciali necessarium non esse, vt Summus Pontifex prius consulatur, quia necessitas non habet legem; quare etiam *in cap. peruenit, de immunit. Ecclesiast.* iuxta communiorem intellectum statuitur, vt tempore necessitatis nullus per Ecclesiæ suæ nomen excusetur à murorum vigiliis: quia *in necessitate cessat priuilegium*, ait gloss. *ibi*, & propterea idem Abbas *num. 6* concludit similiter, in magna necessitate, si aliter ciuitas defendi non possit, Clericos obligari ad vigilias, idque naturali iure, præsertim quia Concilium Lateranense *in dict. cap. non minus*, loquitur de necessitate, aut vtilitate publica, id est, per se, ac principaliter pertinente ad ipsam communitatem, seu Rempublicam, cuius Clerici membra sunt, licet priuilegiata, & exempta; hîc autem sumus in casu, quo specialiter vertitur periculũ etiam ipsarum Ecclesiarum, aut Ecclesiasticorum bonorum, ad quorum proindè defensionem naturali obligatione debent etiam Ecclesiastici concurrere, & non minus, imò magis, quàm si directè agatur de captiuorum, aut oppressorum Christianorum liberatione.

Aduerte tamen hîc, quod non potest 4 potestas laica in tali casu Ecclesiasticos recusantes, ad contribuendum compellere per se, sed per superiorem Ecclesiasticum, (vt rectè dicebat Henricus à Gandauo, & Abb. *vbi suprà* & nos *dubit. 4. sect. 19. & 20. per subsect. sequentes* dicebamus, & ratio pro nunc breuiter est; quia cum potestas laica in Ecclesiasticos, vtpotè exemptos, iurisdictionem non habeat, multo minus in illos coactiuam, vel coërcitiuam habebit, quæ

quam maximè omnium in ordine ad statutum Ecclesiasticum repugnat in potestate laicali) quamuis si id commodè fieri non potest, putent quidam vt Henricus à Gandauo, & Abbas in *loco suprà cit.* & alij non esse omnino improbandum oppositum; quia in tali casu præsumi potest ratihabitio, seu tacita licentia summi Pontificis, ex eo, quia Ecclesiastici in casu maximæ necessitatis iure naturæ tenentur; & propterea si recusent, sine iusta causa recusant, sed probabilius censeo, vt licentia expressè (si potest) ad tales casus à summo Pontifice per Principes petatur; ne in tali materia, vbi magnum periculum inest, habenæ laxentur cum detrimento animarum. Vide quæ dicebamus *in cit. dubit. 4. sect. 19. subsect. 10. & 12. & in sect. 20. subsect. 1. & 2.*



DVBITATIO XXX.

An possit Rex grauare Ecclesiasticos indirectè saltem directè scilicet grauando laicos, qui cum illis contrahunt.

SECTIO I.

Proponitur Dubitationis Resolutio.

1 RESPONDEO negatiuè, & ratio est, quia indirectè grauare, adhuc est verè, realiter, & quoad substantiam grauare & ly *indirectè, vel directè* sunt differentiæ materiales, & quæ impertinenter se habent, quia non variant effectum à parte rei: modus enim non variat rei substantiam: vnde dici solet, habeatur intentum, & non curetur de modo. Vide, quæ dicentur *infrà in vltima sectione.*

Confirmatur, quia quod non licet directa via, nec licet indirecta *cap. vnico de Cleric. coniug. in 6.*

Confirmatur secundò, quia statutum dicitur contra immunitatem Ecclesiasticam, siue indirectè, siue directè fiat contra personas Ecclesiasticas, *cap. statutum, de heretic. in 6. & cap. quanto. de priuilegiis.* Item siue contra easdem fiat expressè, siue tacitè, *cap. Clericis, §. nos igitur, de immunit. Ecclesiast. in 6.* etiamsi non loquatur de personis Ecclesiasticis, sicuti docent Surdus *consil. 301. num. 77.* Martha *de iurisdict. part. 4. centur. 1. casu 62. num. 9.* Duardus *in Bull. Cœnæ lib. 2. can. 15. quæst. 19. num. 2.* Valenzuela *in defens. cens. Pauli V. part. 3. num. 123.* Mandellus *volum. 2. consil. 8. num. 3.* Maynardus *de priuilegiis Ecclesiasticis, art. 22. num. 20. &* 2

70.

70. Fagnanus *in tract. de validitate censur. Pauli V. part. 3. fol. mihi 59.* Gueuara *in propugn. libert. Eccles. assert. 1. §. 5. num. 36.* & alij passim.

3 Confirmatur tertiò: quia statutum similiter dicitur contra immunitatem Ecclesiasticam, si Ecclesia, vel Ecclesiastici per illud prohibeantur, vel impediantur vti rebus, aut facultatibus à iure communi sibi concessis, sicuti docet Felin. *in cap. Ecclesia S. Maria, de constitut. num. 111.* & *ibi* Imola, & Butrius, Alexander *lib. 1. consil. 121. & lib. 2. consil. 108.* Tuschus *tom. 5. conclus. 342. num. 13. 19. & 137.* & probatur *ex d. cap. Ecclesia S. Maria 4. de priuileg. c. fin. de immunit. Eccles. in 6.* Item si ex vi illius diminuantur priuilegia Ecclesiis, vel Ecclesiasticis concessis à Deo Summis Pontificibus, aut Principibus sæcularibus, sicuti tradunt Cynus & Salicetus *in authentic. cass. , & irrita.* Bald. *in l. cunctos populos,* Imola *in cap. nouit, de iudiciis, num. 2.* & *ibi* Abbas *numero 1.* Alexand. *lib. 1. consil. 209. num 3.* Item si Ecclesiastici efficiantur, non solum deterioris conditionis quàm laici (quod per se patet, & tradit Felin. *in dict. cap. Ecclesia, num 111.* Pecchius *de amortizat. cap. 6.* Zabarella *in cap. peruenit, de immunit. num. 13.* & probatur *ex cap. quanto, de priu. leg.* & *ex cap. fin. de immunit. Ecclesiast. in 6.*) sed etiam si efficiantur timidiores ad agendum, vel retardantur ab agendo, sicuti docent Angelus de Banchio *in l. 1. §. quæ onerandæ, ff quarum rerum,* & Bartol. *ibidem,* & Doctores *in dict. cap. Ecclesia,* & Tuschus *tot. 5. conclus. 342. numero 39* Item tandem, si statutum sit aptum afferre Ecclesiis, vel Ecclesiasticis aliquod incommodum, vt notat Felinus *in dict. cap. Ecclesia, num. 69.* idque etiam si indirectè efficiat, & non disponat super illis, super quibus Ecclesia habet specialia priuilegia, vt patet *ex cap. quanto 26. de priuileg.* & probat Felin. *vbi suprà, n. 104.* & Tuschus *n. 140* sed hæc omnia locum habēt in casu nostro, vt mox *infrà* patebit: ergò, &c.

Confirmatur quartò, quia in Bulla Cœnæ non solùm excommunicantur, qui Ecclesiasticis directè imponunt gabellas; sed etiam qui imponunt indirectè: ergo &c. & ratio horum omnium, vt *suprà* dicebatur, est, quia per ly *indirectè*, adhuc re vera, & à parte rei Ecclesia læditur, non solùm quia propter onus gabellæ super emptore laico impositum Ecclesiastici viliùs vendunt res suas; sed etiam quia Ecclesiastici priuantur iure, quod habent contrahendi liberè cum laicis, qui ementes ab illis non habeant soluere gabellam: ergo si statutum contrarium operetur, erit illud contra libertatem Ecclesiasticam. Consequentia probatur; quia statutum, quod coarctat Ecclesiasticos, & adimit iis, quod de iure eis concessum est, violat libertatem Ecclesiasticam, vt per se patet, & *suprà* probabatur; sed Ecclesiastici de iure diuino, canonico, & ciuili habent, vt liberè possint contrahere cum laicis, qui non habeant soluere gabellam: ergo si statutum operetur contrarium, erit illud contra libertatem Ecclesiasticam Adde, quod dicere potest Ecclesia: *tolle statutum etsi emptores tenentur ad gabellam, compelle, si minus, ius meum mihi non auferas: interest enim mea habere emptores immunes.* Hinc aduerte Corollarium contra illos, qui putant gabellam impositam super emptore laico non esse contra libertatem Ecclesiasticam, si pretium rei impositum sit à lege: ex eo, quia (vt inquiunt ipsi) consistens illud in indiuisibili non potest à contrahentibus alterari, &

·ri, & ſic Eccleſiaſtici non viliùs vendunt res ſuas: nam (præterquam quòd verum non eſt, quod inquiunt iſti, vt dicetur *infra in reſponſione ad* 8. gabella enim re vera eſt pars pretij, vt *ibi* probabitur) adhuc dicta gabella eſt contra libertatem Eccleſiaſticam; quia grauatur laicus, cum quo Eccleſia de iure habet, vt poſſit ſine onere contrahere, ſicut ſine onere contrahebat antè, quod non parum ei proficuum erat.

5 Atque ita quoad præſentis Dubitationis reſolutionem ſentiunt nobiſcum Felinus *in dict. cap. Eccleſia, num.69.de conſtit.* Surd. *conſ.*305. *num.* 80. Menochius *lib.* 2.*conſil.* 136.Gratianus *in diſcept.foren ſ. tom.*2. *cap.* 390. Laderchius *conſ.* 103. *à num.* 8. *vſque ad num.* 15. Tuſchus *tom.* 5. *concluſ.* 342. *num.*140. Rodriquez *in ſumma tom.* 2 *cap.*75. *num.* 14. Riccius *in praxi, tom.* 2. *reſol.* 187.*num.*2.*&* *reſol.*283.Zerola *in praxi Epiſc.part.* 1.*verb.gabella, quaſt.* 4. vbi ſic ait: *in quibuſdam locis ratione velaminis alicuius Vniuerſitatis laici imponunt gabellas ſuper ſerico, vel vino, vel aliquo huiuſmodi, & ſtatuunt vt ſoluantur duo caroleni, vel quid ſimile pro libra, vel dolio, &c. & quia vident ſe non poſſe aſtringere perſonas Eccleſiaſticas vendentes, ſtatuunt, vt eos ſoluant laici, qui emunt, & non vident, quòd indirectè iſta gabella cadit ſuper perſonas Eccleſiaſticas: nam hoc ipſo propter onus gabella ſoluendum laici viliùs emunt, & Eccleſiaſtici viliùs vendunt: atque adeo talis gabella indirectè eſt lata contra perſonas Eccleſiaſticas*: ita etiam docet Homobonus *part.* 2. *tract.* 9.*cap.*1.*quaſt.*1. Megalius *in part.* 2. *lib.*2.*cap.*17.*quaſt.* 6.*num.* 107. Alterius *tom.*1.*diſp.*19 *lib.* 5.*cap.* 6.*fol. mihi* 740. *col.* 1.Mandellus *conſil.*8.*num.*16.17.*&* 18.Aponte *in reſponſ. de cenſura Pauli V. fol. mihi* 82. & alij penes ipſos, qui propterea abſolutè docent onus, quod non poteſt imponi Eccleſiaſticis, non poſſe imponi contrahentibus cum illis.

Non nego, quod contrarium non omninò improbabiliter dixerint alij, vt Angelus *verb. immunitas, num.* 42. 6
Roſella *verb.pedagium, num.* 17. Richardus *quodlibeto* 2. *quaſt.* 30. Aſtenſis *in ſumma lib.* 3. *tit.* 30 *art.*4. Sylu. *eod.verb.* 1. *quaſt.* 6. *num.* 22. vbi ſic ait: *poſito, quod propter debita, aut aliud ſimile Conſules gabellam ponant ſuper carne, aut vino, & huiuſmodi, quam Eccleſia ſoluunt indirectè, cum emant carius: diſtinguendum eſt, an talis gabella ſit contra immunitatem Eccleſiaſticam: nam ſi eam ponunt propter abuſum & exceſſum eorum, quod fecerunt, ſic non licitè ponunt, ſed ſoluant de ſuo; ſi verò ponunt propter communem vtilitatem, tam Clericorum, quàm laicorum, ſic licet eis ſi verè propter vtilitatem laicorum principaliter, Clericorum verò indirectè, & remotè, iterum diſtinguitur: nam aut faciunt animo extorquendi pecunias ab Eccleſiaſticis, quas extorquere alio modo non poſſunt, & ſic non licet; aut non faciunt eo animo, quia & ſi non adeſſent Eccleſiaſtici, adhuc eam imponerent, & ſic licet.* ita etiam docet Henriquez *lib.* 10.*cap.* 15. *num.* 5. *& in gloſſ. lit. O*, Lopez *part.* 2. *cap.* 40. Malderus *in* 2. 2.*tract.* 5. *cap.* 6. *dub.* 11 vbi ſic ait: *eſt licita contributio laicis impoſita, quando in valde modico grauat Clerum, & ipſe Clerus magna moleſtia eximi non poteſt, vt ſi grauamen vino ſit impoſitum, quod ex communi cum laicis taberna accipere velint.* Idem etiam tradit Coriolanus *in Bull. Cœnæ excommun.* 18. *fol.* 949. Paulus de Caſtro *lib.* 2. *conſ.* 321. Tiraquellus *de retract. conſanguin.* §. 1. *gloſſ.*

gloss. 13. *num.* 12. Purpuratus *consil.* 489. *num.* 7. & 8. Valascus *de iur. emphit. quaest.* 17. *num.* 5. Mexia *in prag. taxae panis, conclus.* 5. *num.* 39. Lassarte *de decima vendit. cap.* 19. *num.* 10. Boërius *decis.* 113. *num.* 19. Bursat. *lib.* 1. *cons.* 42. *num.* 14. Alexander *de iur. fisci lib.* 1. *resol.* 5. *num.* 7. Molina *de iust. & iur. tom.* 3. *tract.* 2. *disp.* 663. *num.* 6. *vbi* sic asserit: *exemptio Ecclesiasticorum, & Ecclesiarum solùm est, vt ipsi non soluant tributum ex suis rebus; non verò, vt alij non soluant tributum ex rebus, quae emptione, aut permutatione ad ipsos sunt peruentura; est per accidens, sequatur, quod carius ob ea tributa ad ipsos illa perueniant:* ita etiam sentit Emanuel Rodericus *in compendio, verb. tributum, & 99. regul. tom.* 3. *quaest.* 74. *art.* 7. 10. & 13. vbi docet, *tributum super contractus impositum soluendum esse ab emptore, licèt alij sentiant (inquit ipse) soluendum esse a venditore, de iure regio tamen, non communi: at nullo pacto ad illud soluendum non tenetur Ecclesiasticus, siue vendat laico, siue emat à laico: sed tenetur laicus, qui contrahit cum Ecclesiastico: quòd si inde Ecclesiastico damnum aliquod indirectè resultat, quia scilicet cariùs emit à laico, vel quia vilius vendit laico, non est propterea id contra libertatem Ecclesiasticam:* haec ille. Idem etiam docet Sanchez *in opusc. tomo* 1. *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 55. *numer.* 40. vbi ait, *impositionem factam saecularibus arietes vendentibus in macello, quod vocant* Bustro *quod scilicet, ex singulorũ arietum pretio duos soluant argenteos, non esse illicitam: licèt inde resultet, quod Ecclesiastici cariùs emant: probatur (inquit ipse) quia non est iniustum tributum, eo quod ex illo indirectè grauentur Clerici: nam ex vectigalibus (quae mercatores ex mercibus soluunt, quos ab vno loco in alium transuehunt, & vendunt (sequitur, quod Clericis carius constent merces: & tamen non ob id sunt iniusta vectigalia illa insuper* (subdit Sanchez) *sententiam hanc tenent aliqui Doctores qui proponunt hunc casum: an possit imponi tributum super carnibus, vino, &c. indistinctè sine exceptione Ecclesiarum, & obiiciunt, videri non esse licitum, quia inde indirectè grauantur Clerici, cum haec postea Clerici cariùs emant; & posita hac obiectione respondent, quod si id faciunt animo iniuriandi Clericis, & extorquendi ab illis pecunias, quas alio modo extorquere nequeunt, est illicitum; si verò non hoc animo faciunt; quia si non adessent Clerici, adhuc imponerent; nec imponunt magis super his, quae saepius emuntur à Clericis, est licitum; nec possunt conqueri Clerici;* Ita tandem docet Layman *lib.* 3. *tract.* 3. 1. 3. *num.* 4. vbi sic ait: *verumtamen ab exteris quoque, ac non subditis fieri solet exactio vectigalis, seu tributi, plerumque indirectè ac per accidens: vt si vectigal, vel similis exactio imposita sit super vino, frumento, alijsque fructibus, & mercibus quae in tali regione venduntur; tunc enim extranei, seu alienigenae (sicut & Clerici) indirectè granantur; ita vt si ibi emere velint, pari cum incolis iure vtantur, secundum pretium consuetum.*

At oppositum est consulendum, & sequendum propter rationes, & authoritates Canonum & Pontificum, quae *supra* afferebantur; quod vt elucescat magis, sit,

SECTIO II.

Proponitur, & soluitur prima difficultas contra Dubitationis resolutionem positam.

1 OBiicies : Ecclesiastici etsi non secundùm vim coactiuam , saltem secundùm vim directiuam , tenentur seruare leges ciuiles propter bonum commune latas , quales sunt leges circa pretia rerum, circa mensuras vendendi , & similes , sicuti ex communi sententia Doctorum diffusè probabatur *dubit.*4 *sect.* 19. ergo &c.

2 Respondetur; distinguo Antecedens: Ecclesiastici , etsi non secundùm vim coactiuam , saltem secundùm viam directiuam , tenentur seruare leges Ciuiles propter bonum commune latas , si hæ non pugnant cum libertate Ecclesiastica , id est , neque directè , neque indirectè lædunt Ecclesiasticam libertatem , grauando scilicet Ecclesiasticos, aut iura libera, & priuilegia eorum diminuendo , concedo ; si pugnant , sicuti est in casu nostro , ac *supra* probababatur, nego : atque ita præter Doctores, quos *in cit. dubit.*4 *sect.* 19 citabam, docent Molina *de iust. & iur. tom* 1. *tract.* 2. *disp.* 31. *num.* 15. Collegium Bononiense *in respons. pro libertate Eccles. contra Venetos*, *num.* 24 Villalobos *in summa, tom.* 1. *tract.* 2. *difficult.* 31. *num.* 1. Squillante *de priuileg. Cleric. cap.* 7. *dub.* 3. *num.* 94. *& cap.* 8. *num.* 89. & Aponte *in respons. de cens. Pauli V. fol. m hi* 75. Vide si placet , *dubit.* 4. *sect.* 19 *cit.*

3 Vbi in casu , quod leges ciuiles propter bonum commune latæ non pugnent cum libertate Ecclesiastica , & sic Ecclesiastici teneantur secundùm viam directiuam illas seruare , dicebam cum Vasq Salas , & aliis , Iudicem Ecclesiasticum non debere Ecclesiasticis leges illas ciuiles violantibus infligere eandem pœnam , quæ laicis per leges ciuiles statuta est: imò Surdus *consil.* 301. *num.* 38. citans Sotum, putat in tali casu, Iudicem Ecclesiasticum non debere eos punire pœna vlla temporali , nisi etiam accesserit lex Ecclesiastica ; quapropter Nauar. *cap.* 23. *num.* 88 & alij docent, quod in his casibus rectè faceret Iudex Ecclesiasticus , si sæculares Legislatores suis edictis adiuuaret ; quia tunc meritò Ecclesiastici ab ipso puniri possent pœna temporali , etsi mitiori , ac puniuntur laici à Iudice suo laicali , vt *in suprà cit. loco* dicebatur.

SECTIO III.

Proponitur, & soluitur secunda difficultas.

SEcundò obiicies : huiusmodi statuta non diriguntur ad Ecclesiasticos; sed ad laicos subiectos Principibus sæcularibus : ergo non sunt contra libertatem Ecclesiasticam. 1

Respondetur : distinguo Antecedens huiusmodi statuta non diriguntur ad Ecclesiasticos ; sed ad laicos subiectos Principibus sæcularibus, ita vt inde Ecclesiasticis non redundet damnum , & sublatio , vel diminutio iurium ac priuilegiorum suorum , nego Antecedens; ita vt redundet , concedo : ergo non sunt contra libertatem Ecclesiasticam, distinguo Consequens; directè transeat, indirectè nego : quia, vt *suprà* probabatur, & ex communi tradit etiam Surdus *consil.* 301. *num.* 74. quidquid disponitur

tali

tali modo circa laicos, redundat in damnum Ecclesiasticorum: atque adeo censetur dispositum contra Ecclesiasticos; quia quamuis huiusmodi statuta loquantur cum laicis, effectus tamen sermonis dirigitur in Ecclesiasticos; atque adeo sunt (saltem indirectè) contra libertatem Ecclesiasticam, vt rectè præter alios notarunt Parisius *consil.* 27. *vol.* 1. *num.* 63. Riminaldus Senior *conf.* 268. *num.* 32. *vol.* 2. & Laderchius *conf.* 103. *num.* 9. statutum enim non attenditur, cum quo loquatur, sed in quem sermonis effectus dirigitur. Vnde licèt huiusmodi statuta quoad verba non videantur infringere libertatem Ecclesiasticam, cùm præcipiant laicis subditis potestati sæculari; tamen quoad mentem, & effectum, infringunt (saltem indirectè) libertatem Ecclesiasticam faciendo fraudem de persona ad personam, vt optimè præter Parisium, Riminaldum, & Landerchium *in locis supra cit.* notarunt *in cap. fin. de immun. Eccles. in 6. verb. libertatis*, & *ibi* Ioan. Andr. Ancharanus, & Geminianus; & iterum Ancharanus *conf.* 115. *num.* 7. Abbas *in cap. Eccles. S. Mariæ, de constit. num.* 27. *&* 31. Abbas *conf.* 8. *num.* 13. *& seqq.* & alij, quos refert, & sequitur Vgolinus *in respons. ad Iurisconsult. Gymnasij Patauini, cap.* 6. *num.* 8. Collegium Bononiense *in respons. pro libert. Eccles. art. num.* 14. Maynardus *de priuileg. Eccles. art.* 22. *num.* 67. quapropter rectè dixit Suarez contra Regem Angl. *lib.* 4. *cap.* 33. *num.* 6 quod dum disponitur circa laicos, & grauamen ordinatur ad Ecclesiasticos, statutum est contra libertatem Ecclesiasticam; & Laderchius *consil.* 103. *num.* 5. *&* 9. Mandellus *consil.* 8. *num.* 16. *& seqq.* & Regens de Ponte *in respons. de cens. Pauli V. fol.* 82. dixerunt onus, quod imponi non potest Ecclesiasticis, non posse imponi laicis, qui cum illis contrahunt, quia illud redundat in Ecclesiasticos.

SVBSECTIO IV.

Proponitur &, soluitur tertia difficultas.

Tertiò obiicies: si ex huiusmodi statutis aliquid damni Ecclesiasticis aduenit, ac aliqua iurium, ac priuilegiorum diminutio, totum est secundariò, & per accidens: ergo non debet esse in consideratione: ergo non fit per id contra libertatem Ecclesiasticam. 1

Confirmatur, quia alioquin cum ex vectigalibus (quæ Mercatores soluunt ex mercibus, quas ab vno in alium locum transuehunt) sequatur, quod Ecclesiasticis merces illæ cariùs constent, & sic quod indirectè grauentur Ecclesiastici; iniusta essent illa vectigalia, quod tamen est falsum. 2

Respondetur, transeat Antecedens; at nego priorem Consequentiam, quia ly *secundariò, & primariò*, seu ly *indirectè, & directè*, materialiter, & impertinenter se habent quoad effectum rei, vt *supra* probabatur: ita vt proinde vterque modus meritò, tum in Canonibus, tum in Bulla Cœnæ prohibeatur, vt *suprà* visum: vnde distinguo secundum Consequens: non fit per id contrà libertatem Ecclesiasticam, directè transeat, indirectè nego. 3

Ad Confirmationem respondeo, transeat, quod ly, quod affert à pari ex vectigalibus, non fit contra libertatem Ecclesiasticam: at disparitas est, quia id se habet valdè remotè, & valdè per accidens, quod non est in casu nostro. 4

SECTIO V.

Proponitur, & ſoluitur quarta difficultas.

1 QVartò obiicies intereſſe, ſeu læſio, quæ Eccleſiaſticis prouenit ex huiuſmodi ſtatutis, eſt valdè modica; ergò non debet eſſe in conſideratione, atque adeò non fit per illam contra libertatem Eccleſiaſticam.

Reſpondeo: tranſeat Antecedens: at nego vtramque Conſequentiam; quia ſiue magna ſiue modica ſit læſio Eccleſiæ, non ſuſtinetur; ſicuti rectè docuere Surdus *vol.* 3. *conſil.* 338. *num.* 20. & 27. Lupus *de libertate Eccleſiaſtica*, *part.* 1. *quæſt.* 8. *num.* 2. & collegium Bononienſe *in reſponſione pro libert. Eccleſ. num.* 40. & ratio eſt, quia magis, & minus (vt ait Philoſophus) non variat ſpeciem.

SECTIO VI.

Proponitur, & ſoluitur quinta difficultas.

1 QVintò obiicies quod per huiuſmodi ſtatuta fit à Principibus, non fit animò extorquendi pecunias ab Eccleſiaſticis; quia etſi non eſſent perſonæ Eccleſiaſticæ, adhuc gabellas per illa ſtatuta Principes imponerent: ergò quod ab illis fit tali modo, non eſt contra libertatem Eccleſiaſticam.

2 Reſpondetur: tranſeat Antecedens: at nego Conſequentiam: quia exemptio, & libertas Eccleſiaſticorum non dependet ex bono, vel malo animo imponentium gabellam, ſed ex priuilegiis, quæ de iure diuino, & humano Eccleſiaſtici habent non ſoluendi gabellas, & fruendi libertatem à laica poteſtate: alioquin ſemper iuſtè poſſent Principes ſæculares Eccleſiaſticas perſonas grauare, prauum animum deponendo in illis grauandis: quod eſt magnum abſurdum, & nemo dixerit ex viris ſenſatis.

SECTIO VII.

Proponitur, & ſoluitur ſexta difficultas.

SExtò obiicies, quod per huiuſmodi ſtatuta fit à Principibus, non fit principaliter in grauamen Eccleſiaſticorum, ſed generaliter in grauamen omnium: itemque, non fit ex quacumque, ſed ex iuſta cauſa, in communem ſcilicet Eccleſiaſticorum, & laicorum vtilitatem, ergò non eſt contra libertatem, & immunitatem Eccleſiaſticam. 1

Reſpond. tranſeat antecedens: at nego Conſequentiam, quia neque ad communem Eccleſiaſticorum, & laicorum vtilitatem grauari poſſunt Eccleſiaſtici: niſi in caſu, quod facultates laicorum non ſufficiant, & accedat conſenſus Cleri, & ſummi Pontificis, vt *infrà* in ſuo loco diffusè dicetur. 2

SECTIO

SECTIO VIII.

Proponitur, & soluitur septima difficultas.

1 Septimò obiicies ex Natta *lib. 2. libro 2. consil. 280. num. 4.* quod per huiusmodi statuta fit à Principibus sæcularibus, non prohibet absolutè Ecclesiasticis à laicis Seruitium præstari, sed statuit solùm iis illud præstari cum certa forma: ergò non est contra libertatem Ecclesiasticam: Consequentiam probat à pari: nam statutum, v.g. (inquit ipse) quod custodes animalium soluant pœnam pro damno illato, ligat etiam custodes animalium, quæ sunt Ecclesiasticorum, sicuti docent etiam Mascabrunus *consil. 18. num. 17.* & alij ergò sic à pari, &c.

2 Respondeo: nego Consequentiam; vt in specie contra Nattam rectè probat Carolus de Grassis *de effectib. Clericatus, effect. 2. num. 359.* & ratio est, quia (vt *suprà* dicebatur) per indirectum grauat, & lædit Ecclesiasticos: tum quia hoc ipso, quod laici contrahentes cum Ecclesiasticis aliquo onere grauantur, læditur etiam libertas Ecclesiastica, vt *suprà* probatur: maximè si onus redundet in damnum Ecclesiasticorum, vt est in casu nostro ex iis, quæ dicebantur.

3 Ad exemplum autem quod à pari affert Natta *de Custodibus animalium*, Respondetur, quod illud forsan procedit, quando Dominus pascuorum, antequam intrassent Ecclesiasticorum animalia, expressè id prohibuisset Custodibus: nam tunc, si illa intrarent post prohibitionem, in specie tenerentur Custodes Ecclesiasticorum, iuxta text. *in leg. diuus, ff. de seruit. rusticor. prædior.* secus si prohibuisset in genere per banni, vel statuti emanationem, vt est in casu nostro: & ratio est quia famuli, & Coloni Ecclesiarum non alligantur statutis, & edictis laicorum, siue specialiter, siue generaliter de illis disponant; vt patet ex iis, quæ *suprà* dicebantur, & docent Surd. *cons. 301. num. 74.* Martha *de iurisdict. part. 4. cas. 8. num. 14.* Duard. *in Bull. Cœn. lib. 2. can. 15. quæstion. 27. num. 6.* & alij.

SECTIO IX.

Proponitur, & soluitur octaua difficultas.

Octauò obiicies, quod per huiusmodi statuta fit à Principibus sæcularibus, nullo pacto (neque etiam indirectè) grauat Ecclesiasticos; ergò nullo pacto est contra immunitatem Ecclesiasticam. Consequentia est clara, Antecedens probatur, quia gabella reuera non est pars pretij, nisi solo nomine, vt notarunt Gratianus *in disceptat. tom. 2. cap. 258. numero 42.* Comitolus *in respons. moral. lib. 4. quæstione 39. numero 2.* Castillo *lib. 2. decisione 127. numero 12.* Velascus *tom. 1. consilio 60. numero 14.* Megalius *in part. 2. lib. 1. cap. 17. quæst. 6. num. 108.* Parladorus Rerum quotidian. *lib. 1. cap. 3. §. 1. num. 21.* & alij ergò potest separari gabella à pretio rei: ita vt Princeps imponat rebus iustum pretium legale, quod consistit in indiuisibili, nec potest alterari, & sic Ecclesia semper habebit iustum 1

pretium rerum suarum: atque adeo non poterit de tali separatione iustè conqueri: quia cum gabella non sit pars pretij rei, non potest in damnum Ecclesiæ redundare, sed semper Ecclesia rerum suarum iustum pretium habebit, non secus ac si rebus nulla esset imposita gabella.

2 Respondeo: nego Antecedens, ac probationem eius: & ratio negationis est, quia Princeps, & communis prudentum existimatio in impositione iusti pretij rerum, multas circumstantias, tam intrinsecas, quàm extrinsecas considerat, inter quas præcipuè considerat onus gabellæ, sicuti rectè notarunt Mol. *tom* 3. *tract.* 2. *dispos.* 668. *&* 678. Paulus de Castro *consil.* 433. *num.* 2. Vasquez *opusc. de restitut. cap* 6. §. 2. *dub.* 9. *num.* 52. Lessius *lib.* 2. *cap.* 33. *dub.* 8. *num.* 68 Turrian. *tom.* 2. *in* 2. 2. *disp.* 46. *dub.* 8. *num.* Malder. *in* 2 2. *tract.* 5. *cap.* 6. *dub.* 5. Molfes. *in summa, tom* 2. *tract.* 12. *cap.* 22. *num.* 123. Laffarte *de decima vendit. cap.* 15. *num.* 19. Bonacina *de contractibus*, *disp.* 2. *quæst.* 9 *punct.* 1. *n.* 4 & alij, cum igitur gabella sit pars pretij, semper inuoluitur in pretio rei, nec poterit separari à pretio rei: vnde iustum pretium rei erit tam pretium francum, quàm gabella rei, & sic damnum sequetur Ecclesiæ, cum propter soluendam gabellam diminutum pretium rerum suarum recipiat Ecclesia.

SECTIO X.

Proponitur, & soluitur nona difficultas.

1 NOnò obiicies authoritatem Angeli, Ricchardi, Astensis, Syl. Henriq. Molinæ, & aliorum, quos pro contraria sententia *suprà* citabam: ergo &c.

Respondeo hos authores, alioquin magnæ authoritatis, quoad hoc inclinare aliquantulum cum aliquali Ecclesiæ præiudicio in fauorem Principum laicorum, in quorum fauorem etiam (& notabilius) idem Sanchez, cum *ibidem dub.* 54. *num.* 2. ait, quod laicus emens victualia pro filio Clerico, vel pro Capellano suæ familiæ, teneatur ad Gabellas; & rationem assignat, quia dominium eorum, quæ consumuntur, non est filij Clerici, vel Cappellani familiæ, sed patris, vel domini laici, sicut è contra (inquit ipse) Clericus, qui sustentat plures famulos laicos, non tenetur soluere Gabellas pro parte, quam famuli laici consumunt, & citat pro se innominatos Recentiores. At contrarium quoad hoc est omnino dicendum, quia contrarium communiter docetur, & obseruatur, quod scilicet laicus immunis sit à Gabellis pro victualibus filij Clerici, & Capellani familiæ: & ratio est clara, quia Clericus, cum Deo sit dicatus, & seruiat, est ab omni exactione immunis pro ea parte, quam ipse consumit: nec valet dici cum Sanch. quod dominium eorum, quæ consumuntur, non sit Clerici, sed patris, vel domini laici: nam respondeo sufficere, quod victualia illa emantur pro Clerico, & consumantur à Clerico. Adde, quod laicus emens pro Clerico potest Clerico donationem facere de tota summa, quam expensurus est pro Clerico, & postea nomine Clerici illam in seruitium eius expendere, & sic cessaret ex hoc capite etiam ratio Sanchez. Nec valet, quod iste author subdit à pari de Clerico, qui sustentans famulos laicos, non tenetur ad Gabellas pro parte quam consumunt famuli laici: nam

nam respondeo, quod, cum famuli laici sint pro seruitio Clerici, censetur illud, quod pro famulis laicis insumitur, insumi pro ipso Clerico: ergo &c.

Cautè igitur legendi sunt quoad resolutionem præsentis dubitationis authores *suprà* citati: quod adeo verum est, vt nonnulli, vt Gutierrez *in tract. de Gabellis, quæst. 92 num. 60.* Megalius *part. 2. lib. 2. cap. 17. quæst. 9. num. 106.* At potius, ne tot, & tantos viros errasse, dicatur, distiguendum sic censeo; quod aut onus Gabellæ est annexum contractui, (vt si statutum dicat, quod soluantur bini solidi pro singulis doliis vini, quod emitur, vel venditur, quæ gabella immediatè respicit contractum, & lædit etiam contrahentem immunem, cum propter onus gabellæ soluendum necessariò is viliùs vendat, & cariùs emat) & statutum est contra immunitatem Ecclesiasticam: & in hunc modum non intelliguntur *suprà* citati Doctores, aut onus Gabellæ adiicitur actui distincto ab ipso contractu (vt si statutum dicat, quod qui vult dolium vini emptum euehere è Ciuitate, vel inuehere in Ciuitatem, soluat tantùm pro Gabella, quæ gabella non respicit immediatè contractum, sed alium actum, scilicet euectionis, vel inuectionis vini empti, qui actus nihil commune habet cum Ecclesia, seu persona exempta contrahente cum laico) & tunc statutum non est contra immunitatem Ecclesiasticam: & sic intelliguntur *suprà* citati Doctores, atque ita ad reconciliandas *suprà* relatas oppositas sententias Doctorum, distinguunt etiam Bellettus *in disquisit. Cler. part. 1. tit. de exemptione Clericorum. §. 8. num. 2* ex Baldo *consil. 31.* quem postea secuti sunt Rolandus à Valle *libro quarto, consilio 61. numero decimo octauo*, Riminaldus *libro sexto, consil. 714. numero quadragesimo nono. & 60.* Surd. *consil. 127. num. 66.* & alij.

SECTIO XI.

Proponitur ex Dubitationis resolutione posita COROLLARIVM I.

EX dictis sequitur primò, gabellam super contractus (vt pro aureis centenis soluantur singuli) esse contra immunitatem, & libertatem Ecclesiasticam; tum quia indirectè grauantur Ecclesiastici, qui cum laicis contrahunt, cùm propter gabellã impositam Ecclesiastici res suas cariùs emant, & viliùs vendant; tum quia priuantur facultate, quam de omni iure habent, contrahendi liberè cum laicis, sicuti *supra* probabatur. 1

SECTIO XII.

Proponitur COROLLARIVM II.

SEquitur secundò, gabellam super vino, oleo, carne, serico, & similibus esse etiam contra immunitatem Ecclesiasticam; idque propter easdem rationes. 1

Neque dicas, aperientur tabernæ in quas Ecclesiastici poterunt confluere, vt ibi sine vllo onere, & grauamine iusto pretio sibi emant, quæ necessaria habebunt, sicuti docent Henriquez *lib. 10. cap. 15. num. 5. & in gloss. lit. O.* Rodriquez *tom. 2. c. 75. n. 14* & Ledesma *tom. 2. tract. 7. cap. 2. conclusione 27.* 2

Nam respondetur, hoc etiam esse contra libertatem Ecclesiasticam, cùm de 3

c.8.n.38 & alij passim:ratio,quia Ecclesiastici ex tali statuto indirectè grauantur,seu indirectè damnum patiuntur,ac etiam priuantur facultate, quæ de omni iure ipsis competit liberè contrahendi cum laicis, vt *suprà* dicebatur.

2 Confirmatur, quia Ecclesiastici,licet teneantur leges iustas laicorum obseruare, non tamen tenentur ad pœnas impositas iis, qui *suprà* dictis legibus contrauenerint; sed per huiusmodi statutum Ecclesiastici indirectè coguntur soluere pœnas prædictas: ergo huiusmodi statutum est contra immunitatem Ecclesiasticam. Maior satis probata est *dub*. 4. *sect*. 19. *&* 20. & est in confesso ferè apud omnes.Minor probatur, quia stando tali statuto venditores vini Ecclesiasticorum debent præstare fideiussionem de soluendis pœnis, si fortè ad illas soluendas venerint damnandi: ergo si Ecclesiastici vinum suum vendere voluerint, nunquam venditores laicos inuenient, nisi prius seruent eos indemnes ab omnibus pœnis, quæ ex venditione vini erunt fortè soluendæ; & sic Ecclesiastici fient indirectè obnoxij solutionibus pœnæ impositæ à lege, vel imponendæ à Iudice laicali, ad quam nullo iure illi in ordine ad potestatem laicalem obnoxij sunt.

3 Quare euidenter huiusmodi statutum lædit indirectè immunitatem, & libertatem Ecclesiasticam:quia quamuis loquatur cum laicis, effectus tamen sermonis dirigitur ad Ecclesiasticos: in posterum enim Ecclesiastici propter onus impositum de fideiussione præstanda à vini venditoribus, non inuenient venditores, quos antea sine vlla difficultate, quin imò rogati, multos inueniebant, & sic non inueniendo venditores, erunt obstricti Ecclesiastici, vel vinum non vendere, vel dictos venditores indemnes seruare, quod non modicum grauamen, & incommodum infert Ecclesiasticis.

Neque dicas hoc etiam procedere 4
cum domino vini laico: nam respondetur laicos hinc nullam iniuriam pati; quia de iure ipsi in omini euentu tenentur ad pœnam impositam, vel imponendam à Iudice laico, non sic autem Ecclesiastici, vt *supra* probabatur.

SECTIO XV.

Proponitur COROLLAR. V.

Sequitur quintò esse contra immu- 1
nitatem, & libertatem Ecclesiasticam gabellam, quæ imponitur super emptore laico contrahente cum Ecclesiastico: non solum, quia propter onus gabellæ impositum Ecclesiastici indirectè grauantur, cum sic vendant viliùs res suas: sed etiam, quia (vt *suprà* dictum est) Ecclesiastici de iure possunt liberè contrahere cum laicis, sine onere, quod habeant subire laici contrahentes cum ipsis: quare si statutum addit hoc, lædit libertatem Ecclesiæ, cui competit contrahere liberè cum quocunque, ita vt contrahens cum ipsa nullum habeat onus subire.

Quod est valdè notandum contra 2
illos, qui putant Gabellam emptori impositam, non esse contra immunitatem, & libertatem Ecclesiasticam, quando pretium rei est à lege taxatum,quia tunc (inquiunt ipsi) consistens illud in indiuisibili non potest à contrahentibus alterari:atque adeo non fit,quod Ecclesiastici indirectè grauentur, & vendant viliùs res suas:nam respondetur ex dictis, quod dato, & non concesso, id ita sit quod

(quod tamen est falsum, vt *suprà* probabatur) adhuc tamen Gabella ista est contra libertatem Ecclesiasticam; quia grauatur laicus,cum quo liberè, & absque vllo onere contrahendi facultatem de omni iure habet Ecclesia, quod ei non parum commodi, & vtilitatis affert. Vide Laderchium *consil.* 103. *num.* 5. *&* 9. Mandellum *consil.* 8. *num.* 16. 17. *&* 18. & Aponte *in resp. de cens. Pauli V. fol* 82.

SECTIO XVI.

Proponitur COROLLAR. VI.

1 SEquitur sextò esse contra libertatem Ecclesiasticam statuere, quòd venditores vini (& sic venditores vini Ecclesiasticorum,etiam siue explicitè,siue implicitè in statuto includantur) teneantur illud vendere in quarta domo distāte ab Ecclesia,v.g. Ratio,quia statutum prohibens, vel præcipiens Ecclesiasticis id,quod eis nec diuino,nec humano iure est præceptum, vel prohibitum,est contra libertatem Ecclesiasticam (vt *suprà* dicebatur,& docent Felin. *in cap. Eccles. S. Mariæ, de constit. num.* 72. *&* 73. Zecchius *de Republ. Eccles. tit. de Cleric. fol. mihi* 410. Annibald. *in addit. ad Mandellum, cons.* 8. *lit. H*, Sayr. *de cens. lib.* 3. *c.* 19. *num.* 9. *§. sic etiam*, Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 16. *c.* 10. *num.* 270. §. 3. Laderch. *cons.* 103. *n.* 1. Sous. *in Bulla Cœnæ, c.* 16. *disp.* 84. *concl.* 3. Reginald. *tom.* 1. *lib.* 9 *c.* 23. *n.* 358. *§. tenendum est tertiò*, Duard. *in Bulla Cœna, lib.* 2. *can.* 15. *q.* 19. *n.* 1. & alij) sed de iure communi non est prohibitum Ecclesiasticis vendere vinum in taberna posita ad domus Ecclesiæ, imò id eis in terminis concedunt Geminianus & Franchus *in cap. vnic. de vit. & honest. Cleric. in* 6. Lamber. *de iur. patron. lib.* 2. *part.* 1. *art.* 26. *quæst.* 9. *num.* 9 Genuens. *in prax. Arch. cap.* 26. *num.* 7. & Prosp. August. *in addit. ad sum.* Quarant. *verb. vectig.* ergo si per statutum Ecclesiasticis id prohibetur,erit statutum contra immunitatē, & libertatē Ecclesiasticam:imponitur enim Ecclesiasticis, cum eorum detrimento, onus, quod de iure iis non est impositum : ergo &c.

Confirmatur : quia statutum, quo Ecclesiastici efficiuntur deterioris conditionis, quàm sunt laici, est per omnes contra immunitatem Ecclesiasticam, vt videre est apud Doctores *suprà* citatos,& præterea apud Felinum *in cap. Eccles. S. Mariæ, de constitut. num.* 3. Zabarellam *in cap. peruenit de immunit. num.* 13. Gueuaram *in propugn. libert. Eccles. assert.* 1. §. 5. *num.* 42. Riccium *in praxi, tom.* 3. *resol.* 207. *num.* 7. Pechium *de amortizat. cap* 6 Megalium *in* 3. *parte, lib.* 3. *cap.* 10. *quæst,* 1. *num.* 51. Valenzuelam *in defens. cens. Pauli V. part.* 3. *num.* 168 & alios : & probatur *ex cap. quanto, de priuileg. & ex cap. fin. de immunit. Eccles. in* 6 & ratio est, quia cum seruiant laicis in spiritualibus, & in iis, quæ spectant ad animam, debent esse laicis fauorabiles ; sed ex huiusmodi statuto Ecclesiastici efficiuntur deterioris conditionis, quàm sunt laici : ergo &c Minor probatur, quia Ecclesiasticis Religiosis, saltem ex vi huius statuti, semper opus erit conducere domus, seu tabernas alienas ad vinum vendendum; cum in statuto præcipiatur vinum vendi in quarta domo, seu taberna distante ab Ecclesia, vbi domus Religiosi (cum habirent ad Ecclesiam) habere non consueuerunt, hoc autem non accidet laicis, qui in propriis domibus sine conductione alienæ tabernæ suum vinum semper vendere poterunt cum 2

cùm non cõsueuerint habitare ad Ecclesias, sicut Religiosi: ergo in hoc Ecclesiastici Religiosi saltem erunt deterioris conditionis, quàm sunt laici.

3 Adde, quod multum interest, multúmque commodum affert (vt laici etiã fatentur) habere vini tabernam coniunctam cum propria domo, quo beneficio ex vi istius statuti priuantur Ecclesiastici Religiosi, saltem cum ex alio capite iura, etiam Ciuilia, semper clament, magis fauendum Ecclesiasticis, quàm laicis, vt apparet *ex l. sunt persona, ff. de relig. & sumpt. funer.*

SECTIO XVII.

Proponitur COROLLAR. VII.

1 Sequitur septimò esse contra immunitatem, & libertatem exigere, vel mandare exigi gabellas ab Ecclesiæ Emphyteutis, idque propter easdem rationes *supra* allatas.

2 Confirmatur: quia priuilegia hæc exemptionis à gabellis, datiis, &c. (vt mox *infra* dicetur) sunt realia: ergo transeunt etiam ad Ecclesiæ Emphyteutas: atque ita contra Auandagnum *de exeq. man. lib. 2. cap. 14. num. 33* Valascum *de iure emphyteut. quæst. 17. num. 11. & seq.* Carocium *de locatio. quæst. 25. num. 24. 35. & 43.* Rolandum *lib. 4. consil. 61. num. 14 & 15.* (qui non improbabiliter tradunt oppositum, quod scilicet cum emphyteuta sit sæcularis: atque adeo gabellis, & collectis obnoxius, teneatur illas soluere, etiam pro re emphyteutica Ecclesiæ, quia mutatá persona mutatur qualitas rei) docent Doctores, quos citat, & sequitur Felicianus *de solis in tract. de cens. tom. 2. in add. t. libr. 1. num. 1. & seq.* vbi asserit, ita sæpius fuisse decisum Compluti pro Collegio D. Illefonsi, & pro Monialibus S. Claræ. Asserit secundò ita Rectorem Academiæ excommunicationis mucrone emphyteutica Collegij bona consueuisse defendere, ac liberare à quacunque impositione. Asserit tertiò ita etiam vidisse alibi multoties obseruatum.

Aduerte tamen hîc Corollarium hoc nostrum non procedere in sensu alio, neque in emphyteuta Ecclesiæ redimibili; quare si Ecclesia, vel persona priuilegiata domum, agrum, vineam, vel quid aliud in censum emphyteuticum redimibilem concedit, debitor census, prædijque possessor non gaudet exemptionis priuilegio. Ratio, quia in hac forma conuentionis nullum dominium remanet penes Ecclesiam, vel personam priuilegiatam, sed tantum ius recipiendi pensionem annuam: ergò &c. atque ita docet in terminis nostri casus Felician. *in loc. supra citat. & tom. 1. lib. cap. 10. num. 5. & 15.* 3

SECTIO XVIII.

Proponitur COROL. VIII.

Sequitur octauò; esse contra immunitatem: & libertatem Ecclesiasticam exigere, vel mandare exigi gabellas à Colonis laicis partiariis Regularium, idque propter easdem rationes. 1

Confirmatur, quia priuilegia hæc exemptionis à gabellis datiis &c. (vti *supra* annuebam) sunt realia: ergò de iure transeunt, etiam ad Colonos eorundem 2

rumdem Regularium. Consequentia patet: Antecedens probatur; quia Regularium bona, prædiáque sunt priuilegiata, & exempta ab onere soluendi gabellas, vt patet ex dictis *dubitat.* 24. tum quia priuilegium concessum Ecclesiæ, Ciuitati, & aliis personis, quæ non moriuntur, censetur reale, vt docet gloss. *in leg. forma*, §. *quamquam*, *ff. de censibus*, Menoch. *lib.* 1. *conf.* 276. *num.* 8. & alij: tum quia sic patet ex Bulla Pij V. in qua summus Pontifex eximit Fratres, Monachos, Moniales, ac alias Regulares personas, eorúmque Monasteria, Cœnobia, Conuentus, Ecclesias, Cappellas, Oratoria, & alia loca, ac terras, possessiones, prædia, agros, & bona, nec non laboratores, Colonos, arrendatarios, affictuarios, ac gestores suorum negotiorum ab omnibus exactoribus, tam Vrbanis, quàm rusticis, nec non datiis, gabellis, pedagiis, vectigalibus, Collectis, impositionibus, oneribus ordinariis, & extraordinariis, ac tam realibus, quàm personalibus, meris, & mixtis, etiam subsidio triennali, & augmento, & focularibus, equorum taxis, militúmque hospitiis, &c. tam impositis, quàm imponendis: sic *ibi*: ergò cum hæc priuilegia exemptionis sint realia, dicendum est, quod de iure transeant, etiam ad Colonos eorumdem Regularium.

3 Quod eò magis dicendum est, si Colonus à principio pactitatus fuisset cum Ecclesia, velle se etiam participare hanc immunitatem pro parte sibi competente, vt docet Menochius *lib.* 2. *de arbitr. cas.* 562. *num.* 56. Maccabrunus *conf.* 18. *num.* 39. & alij.

4 Item à fortiori non tenentur Coloni, seu affictatores prædiorum Ecclesiasticorum soluere gabellam, vulgò dictam *di luxiuri*. Ratio, quia quando gabellotæ pretiant, & taxant dictam gabellam, fructus non sunt separati à solo Ecclesiastico, immuni à datiis, & gabellis, sicuti docet Carolus de Grassis *de effectib. Cleric. effect.* 3. *num.* 90. vbi sic ait: *in facti contingentia in Vrbe Panormi fuit decisum pro emptoribus fructuum pendentium cuiusdam viridarij Religionis Militensis contra Gabellotas, qui prætendebant ius gabellæ ab ipsis emptoribus: & hoc quia fructus non erant separati à solo tempore venditionis* hæc ille.

Porrò doctrinam præcedentis octaui Corollarij tradunt Abbas *lib.* 1. *conf.* 9. *num.* 2. *ver. ad secundum & in cap. ex parte lib.* 1. *num.* 4. & 5. *de decimis*, & alij, quos refert, & sequitur Menochius *vbi suprà num.* 46. Tamburinus *de iure Abbatum, tom.* 1. *disp.* 15. *quæst.* 21. *num.* 9. Peirinus *super priuileg. Minim. tom.* 1. *constitut.* 2. *Iulij I I.* §. 33. *num.* 142. quamuis non pauci Doctores (vt verum fatear) sentiant oppositum; at quòd *suprà* dixi, est multò probabilius, propter rationes, quæ *suprà* adducebantur. 5

Illud tamen fatendum est, teneri Colonos Regularium soluere gabellam ex dictis fructibus collectis, si eos postea vendant, aut transferant de loco ad locum, vt alienent. Ratio, quia tunc sunt bona laicorum, & non pertinent, neque etiam indirectè, ad Ecclesiasticos; atque ita docet Fillucius *tom.* 1. *tract.* 16. *capite vndecimo, numero* 302. 6

SECTIO

SECTIO XIX.

Proponitur COROLLAR. IX.

1 SEquitur nonò eosdem Regularium Colonos nec teneri soluere decimas pro sua portione Colonica ex prædiis Ecclesiasticis percepta; idque propter easdem rationes *suprà* adductas.

2 . Confirmatur: quia dicta priuilegia exemptionis sunt realia, vt *suprà* probabatur; ergò de iure transeunt, etiam ad Colonos: atque ita docent contra Tamburinum *vbi suprà quæst.* 18. *num.* 32. quam plures Doctores, quos citat, & sequitur Menochius *lib.* 1. *consil.* 276. *num.* 8. Henriquez *lib.* 7. *cap.* 27. *numero* 8. & in gloss. *litera H.* vbi refert priuilegium quodam exemptionis decimarum concessum Societati Iesu à Gregorio XIII. (quod per participationem competit cuicumque Religioni) & subdit, quod hæc causa fuerit pluries agitata apud Tribunalia Ecclesiastica, Romæ, & Hispaniæ, & semper fuerit pronunciatum pro Regularibus, eorúmque Colonis: ita etiam docet Peirinus *in priuileg. Minim. tom.* 2. *constit.* 2. *Iulij* 11. § 31. *num.* 132. vbi sic ait *Nota, quod non solum Domus, & prædia nostra sunt exempta à solutione decimarum, sed etiam Coloni, qui conducunt agros nostros; siue conducant ad medietatem fructuum, & dicuntur Coloni partiarij; siue vt quotannis certam partem fructuum nobis tribuant in omnem euentum, & reliquum sibi acquirant: nam priuilegium est reale, & priuilegium reale de iure communi transit ad Colonos:* ita ille.

Dices, in nonnullis Prouinciis Moniales, & Regulares, eorúmque Coloni soluunt decimas: ergò, &c.

Respondetur id forsan esse, quia ibi Episcopi obtinuerunt à summo Pontifice reuocatoriam Priuilegiorum, & iurium Regularium.

Dices secundò, ex Tamburino *vbi suprà*, Rota *in vna Placentina* 17. *Decembris* 1584. *coram Blanchetto* quam refert, & sequitur Seraphinus *decis.* 127. *num.* 2. & eadem Rota *in vna Pampilonens.* 15. *Decembris* 1615. coram Coccino, docet oppositum: ratio Rotæ est, quia priuilegia exemptionis à solutione decimarum sunt personalia, non autem realia, & consequenter non transeunt ad Colonos, vel Arrendatarios. 3

Respondetur, sequi Rotam opinionem probabilem, at opinio opposita nostra est multò probabilior, vt patet ex iis, quæ *suprà* dicebantur. 4

SECTIO XX.

Proponitur COROLLAR. X.

SEquitur decimò, esse contra immunitatem, & libertatem Ecclesiasticam statuere, ne laici vendant, molant, coquant panem, aut alia seruitia, & obsequia Ecclesiasticis præstent; idque propter rationes, quæ *suprà* adducebantur. 1

Confirmatur *ex cap. eos, de immunit. Eccles. in* 6. vbi habetur: *Eos, qui temporale dominium obtinentes, suis subditis, ne Prælatis aut Clericis, aut personis Ecclesiasticis, quidquid vendant, molant, coquant panem, aut alia obsequia exhibere præsumant, aliquando interdicunt, cùm talia in derogationem libertatis Ecclesiasticæ præsumantur, eo ipso*

excommunicationis sententiam incurrere decernimus, sic ibi: ergò, &c. atque ita contra nonnullos docent communiter Theologi, vt Suarez *de censf. disput.* 21. *sect.* 2 *num.* 93. Coriolan. *in Bull. Cœn. excommun.* 15. *fol. mihi* 937. Reginaldus *tom.* 1 *lib.* 9. *cap.* 24. *numer.* 358. Fillucius *tom.* 1. *tract.* 16. *cap.* 10. *num.* 271. Gambacurta *tract. de cas. reseru. cap.* 10. *num.* 10 & alij passim.

3 Dices ex aduersarijs huiusmodi statuta esse potius contra libertatem politici conuictus, quàm contra libertatem Ecclesiasticam, ergò, &c.

4 Respondetur primò, esse saltem indirectè contra libertatem seu immunitatem Ecclesiasticam, cum inde Ecclesiastici damnum percipiant, vt patet consideranti, & in Bulla Cœnæ excommunicentur, etiam qui indirectè aliquid statuunt contra dictam libertatem: ergò, &c.

5 Respondetur secundò, incommodiùs, & durius esse Ecclesiasticis, vexari in iis, quæ pertinent ad politicum conuictum, quàm in iis, quæ pertinent ad Ecclesiam, vt Ecclesia est: ergò, &c.

6 Respondetur tertiò, de iure communi quemlibet præstare posse, alteri obsequia prædicta; ergò illa impedire præstari Ecclesiasticis, est contra libertatem Ecclesiasticam; quia, vt *supra* probabatur, est contra dictam libertatem Ecclesiasticam denegare Ecclesiasticis ea, quæ de iure communi iis competunt: ergò, &c.

SECTIO XXI.

Proponitur COROLLAR. XI.

1 Sequitur vndecimò esse contra libertatem Ecclesiasticam statutum si tollat Ecclesiasticis ea, quæ tanquam ciuibus iis competunt; idque propter rationes, quæ *suprà* afferebantur; tum quia Ecclesiastici ob huiusmodi statuta timidiores efficiuntur; tum quia libertas Ecclesiastica consistit in facultate efficiendi quidquid effici licet; at Ecclesiastici non possunt efficere, quidquid effici licet, dũ potestas laica huiusmodi statuta, & decreta cõdit; ergò &c. tum quia licèt talia iura communia Ciuibus, non debeantur Ecclesiasticis, qua Ecclesiastici sunt, debentur tamen iis, qua Ciues sunt etiam, si statum diuersum à laicis habeant imò quia status Ecclesiastici sunt, nouo, & maiori titulo illis competit, ne dictis iuribus communibus priuentur; quia propter statum Ecclesiasticum maiori honore, & reuerentia digni redduntur: & sic ad immunitatem naturali iure debitam Ecclesiasticis pertinet, vt dictis Iuribus Ecclesiastici non priuentur.

Confirmatur: quia summus Pontifex in Bulla Cœnæ absolutè loquitur de libertate Ecclesiastica, qua videlicet gaudent Ecclesiastici: etiamsi illa sit circa rem communem laicis, & Ecclesiasticis: tum quia summus Pontifex intendit consulere Ecclesiasticis, ne à sæculari potestate vexentur: at graue damnum Ecclesiastici paterentur, si à tali potestate impunè vexari possent in iis, quæ ad conuictum politicum spectant: ergò &c. atque ita contra Pereiram *de manu Regia*, *part.* 2. 67. *num.* 15. & alios docent communiter Theologi, & Canonistæ *in cap. fin. de immun. Eccles. in* 6. Suarez contra Regem Angl. *lib.* 4. *cap.* 22. *num.* 19 Dúardus *in Bull. Cœn. can.* 15. *quæst*, 19. *numer.* 82. Carolus de Grassis *de effect. Cleric. effect.* 2. *quæst.* 44. *num.* 358. *& seqq.* Ioannes Bertran. de Gueuara *in propugn. libert. Eccles. assert.* 1. §. 6. *num.* 10. & 11.

11. Maynardus *de priuileg. Eccles. part. 2. art. 22. num. 25.* & alij tam Theologiæ, quam Canonum Doctores.

3 Dices cum Pereira statutum in tantum esse contra libertatem Ecclesiasticam, in quantum factum fuerit in odiũ Ecclesiasticorum: secus autem, si odium non detur; sed sub ratione boni publici statutum procedat, quamuis inde aliquantulum ciuilis societas, vel libertas Ecclesiasticorum minuatur, cùm non libertati Ecclesiasticæ, sed libertati ciuili potiùs per tale statutum obuietur; ita Pereira, qui respondet *ad cap. fin. de immunit. Eccles. in 6.* asserens Papam statutum illud reprobasse ex præsumpto odio: at secus, quando non ex praua intentione; sed propter publicam vtilitatem statutum procedit.

4 Respondetur cum Gueuara *loco suprà citato*, quòd libertas, & immunitas Ecclesiasticorum non pendet ex bono, vel malo animo statuentium; sed ex natura rei, & ex priuilegiis, quæ illis absolutè competunt de iure diuino, & humano, alioquin potestas laica efficeret semper statuta sua intendendo, & asserendo se illa non ex odio, sed propter bonum publicum efficere, quod est maximum absurdum.

5 Dices secundò cum eodem Pereira *num.* 16. contineri *in cit. cap. fin.* prohibitionem absolutam, & generalem: at in casu nostro esse prohibitionem particularem: ergo &c.

Respondetur cum Gueuara *vbi suprà, num.* 33. vtrobique esse eandem rationem prohibitionis, & argumentum valere de toto ad partem *ex leg. quæ de tota, ff. de rei vindicat.* quia plus, & minus non variant speciem, vt dicit Philosophus, & habetur *in leg. fin. ff. de fundo instructo.*

SECTIO XXII.

Proponitur COROLLAR. XII.

SEquitur duodecimò esse contra immunitatem Ecclesiasticam prohiberi Ecclesiasticos (in casu, quod in aliquo Baronis loco vendantur comestibilia in in eius taberna solùm) tabernas aperire ad vendendas res suas ex suis prædiis collectas; quia ex dictis, & vt ex communi obseruat Regens de Ponte *in respons. super cens. Veneta, fol. mihi* 85. Ecclesiastici de iure habent liberam contractationem cum laicis: ergo non obstante, quod in aliquo loco res vendantur per tabernarium Baronis solùm, possunt adhuc Ecclesiastici ad res suas ex suis prædiis collectas vendendas tabernam aperire. 1

Confirmatur: quia Baro non potest Ecclesiasticis coarctare priuilegium, quod de iure illi habent, absque eo, quod incurrat in censuram Bullæ Cœnæ, vt patet etiam ex dictis, & tradit glossa *in cap. negotiatorem*, 88. *dist.* Abbas *in cap. 2. de Cleric. vel Monach.* Geminianus, & Franchus *in cap. vnic. de vita & honest. Cleric. in* 6 Roland. *vol.* 4. *cons.* 71. & alij, quos citat, & sequitur Bellettus *in disquis. Cleric. tit.* 1. §. 21. *num.* 15 Genuens. *in praxi, cap.* 62. *num.* 7. Prosper de Augustino *in addit. ad sum. Quaranta, verb. vectigal.* Squillant. *de priuileg. Cleric. cap.* 8. *num.* 32. Barbos. *part.* 2. *allegat.* 13. & Martha *part.* 4. *cas.* 3. *num.* 13. 2

Confirmatur secundò, quia statutum prohibens extrahi vinum ad vendendum extra Ciuitatem, vel introduci ad vendendum in illa, non comprehendit Ecclesiasticos; idque ex eo, quia hi 3

possunt

possunt de iure res suas vendere vbicunque voluerint, vti ex communi docent contra nonnullos Iuristas Martha *de iurisd. part.* 4. *cas.* 83. *num.* 1. Grammatic. *decis.* 100. *num.* 15. Azor. *part.* 3. *lib.* 5. *cap.* 19. *quæst.* 13. Bursatus *lib.* 1. *cons.* 42 *num.* 28. Gueuara *in propugnac. immunit. Eccles.* §. 3. *assert.* 1. *num.* 11. Rolandus *lib.* 4. *cons.* 61. *num.* 22 Ioan. de Amico *cons.* 18. *num.* 17. Baiardus *in addit. ad Iul. Clar.* § *fin. quæst.* 82. *num.* 87. Faustus *in spect. Confess. disp.* 33. 20 Bellett. *disquis. Cleric. part.* 1. *tit.* 6. §. 3. *num.* 1. & alij: ergo &c.

4 Confirmatur tertiò, quia prohibitio, ne quid vendatur, nisi in taberna Baronis; seu in Zagato, non tendit ad vtilitatem publicam; & æquè concernentem Clericos, & laicos: ergo Clericos prohibitio non comprehendit, sicuti præter Doctores *suprà* citatos docent etiam Couar. *in cap. possessor, part.* 2. §. 4 *num.* 8. *de reg. iur. in* 6. Bald. *lib.* 2. *cons.* 198. *verb. non obsta*, Ripa *tract. de peste, tit. de remed. ad conseru. vbertatem, num.* 122. Menoch. *lib.* 8. *cons.* 800. *num.* 30. & alij, quinimò (vt meritò docent Mastrillus *de Magistr. lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 55. & Nouarius *de grauam. Vassal. tom.* 1 *grauam.* 74) Barones id faciendo inferunt iniuriam Vassallis, nisi id fortè faciant ex iure acquisito per diuturnam consuetudinem: quapropter rectè monet Nouarius *vbi suprà, num.* 3. vt contradicant in principio Vassalli, ne sibi præiudicent, & dent ius ad fauorem Baronum per ipsorum acquiescentiam.

5 Confirmatur quartò, quia (vt docent Graffius *in decis. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 18. *numero* 79. Duard. *in Bulla Cœnæ, lib.* 2. *can.* 5. *quæst.* 4. *concl.* 3. *num.* 6. ex Butrio *in cap. super quibusdam, de verb. signif. num.* 15. Coriolanus *in explic. Bulla Cœnæ excom* 5. & Gambarupta *de cas. res. cap.* 5. *in Bulla Cœnæ, num.* 7.) Barones, vel Vniuersitates id efficiendo incidunt in censuram Canonis quinti Bullæ Cœnæ ex eo, quia hæc est species cuiusdam vectigalis; quamuis oppositum sentiat Filliucius *tom.* 1. *tract.* 16 *cap.* 5. *num.* 110. motus ex eo, quia talis actio non reuocatur ad impositionem gabellarum; sed potiùs ad Monopolium; at quidquid sit de hoc, illud saltem sequitur in vtraque opinione omnium, quod huiusmodi tabernæ, zagata illa illicita sint, in ordine ad laicos etiam: ergo multò magis illicita erunt in ordine ad Ecclesiasticos, & consequẽter in vtraque opinione omnium sequetur, quod prædicta prohibitio non possit afficere Ecclesiasticos, quod sufficit nobis pro nunc.

SECTIO XXIII.

Proponitur COROLL. XIII.

SEquitur decimotertiò, quod etsi non sit contra libertatem Ecclesiasticam mittere (sicuti consueuit fieri in Regno Neapolis) literas hortatorias ad Episcopos ad finem, vt hi ab aliqua praua determinatione desistant; quia litteræ hortatoriæ sunt litteræ amicabiles, in quibus Episcopus aliquid contra laicum iniustè, vel impertinenter agens, monetur, vt ab ea re faciendo desistere velit. Secundò, quia verba hortatoria solùm consilium important, & necessitatem non inducunt: tamen si in dictis literis Princeps, vel eius Minister præter verba hortatoria verbis precatoriis vtatur, implicitè, & indirectè videtur facere cõtra dictam libertatẽ Ecclesiasticam. 1

Ratio,

Ratio, quia preces Principum æquiparantur mandato, & vim inferre videntur. Vide Coriolanum *in Bullam Cœna, excommunicatio* 16. & Megalium *in* 3. *part. lib.* 3. *cap.* 19. *num.* 6.

SECTIO XXIV.

Proponitur Corollar. XIV.

Sequitur decimoquartò esse contra immunitatem Ecclesiasticam statuere, ne concubinæ, v. g. teneantur pro furtis, quæ committunt, si statutum extendatur etiam ad Ecclesiasticorum concubinas, quæ iis per furta damnum intulerunt; idque propter rationes, quæ *supra* dicebantur.

2 Confirmatur, quia (sicuti docent Butrius *in cap. cum terra de elect. num* 6. Felin. *in c. Eccles. S. Mariæ, n.* 69. Imol. *n.* 11. Maynard. *de priuileg. Eccles. par.* 1. *art.* 1. *n.* 24 Aponte *in respons. pro cens. Pauli V. fol.* 71. Valenzuela *in defens. Monitorij Pauli V. part.* 1. *num.* 55. Gueuara *in propugn. Eccles. assert.* 1. §. 5. *n.* 25. & alij) statutum, seu lex, si tollat Ecclesiasticis id, quod de iure communi illis competit, est contra immunitatem Ecclesiasticam; sed de iure communi cuilibet competit actio furti, quæ per dictum statutum Ecclesiasticis denegatur: ergo &c.

3 Non obstat, si dicas cum Pereira *de manu Regia, part.* 2. *cap.* 75. *num.* 1. dictum statutum tollere actionem furti, etiam laicis: & ferri propter publicam vtilitatem: nam si hoc excusaret, sequeretur, quod omnia statuta, omnésque leges, cùm ferantur propter publicam vtilitatem, & sint generales, meritò comprehenderent semper Ecclesiasticos, quod est falsum, quia publica vtilitas non tribuit laicis iurisdictionem, vt possint statuere aliquid præiudiciale Ecclesiasticis, vt ex sacris Canonibus, & communi sententia Doctorum tradunt Angelus *vers. immunitas, num.* 37. Surdus *vol.* 1. *consil.* 2. *& vol.* 3. *consil.* 302. Martha *part.* 4. *cent.* 1. *cas.* 1. & alij.

Adde primò, quod defectu potestatis, & iurisdictionis laicorum in Ecclesiasticos, nec etiam valet statutum, quod est Ecclesiasticis fauorabile; sicuti habetur *in cap. Eccles. S. Mariæ de constit.* & docet *ibi* Abbas *num.* 10. Felin. *num.* 80. Menochius *vol.* 3. *consil.* 291. *num.* 25. Riminald. Senior *vol.* 2. *cons.* 218. *num.* 8. Oddus *cons.* 44. *num.* 13. & Berous *vol.* 4. *cons.* 31. *num.* 22. *& seqq.* ergo multò minus, &c. Excipe, nisi statutum Principis sit merè priuilegiatiuum: tunc enim, licèt laici in Ecclesiasticos nullam habeant superioritatem, valeret. Ratio, quia priuilegium etiam non subdito concedi potest. Dixi *merè priuilegiatiuum*, quia non valeret statutum, etiamsi esset Ecclesiasticis fauorabile, & priuilegiatiuum, si haberet se per modum præcepti, & necessitatis, non autem solùm per modum meri consilij, & priuilegij: atque ita docet Surdus *vol.* 1. *cons.* 2. *num.* 19. *& vol* 3. *cons.* 301. Hondedeus *vol.* 1. *cons.* 3. *& vol.* 2. *cons.* 20. & alij, quos ipsi citant, & sequuntur. 4

Adde secundò, quòd defectu eiusdem potestatis, & iurisdictionis laicorum in Ecclesiasticos, nec valet, & consequenter nec ligat Ecclesiasticos, statutum, quamuis licitum, honestum, & propter publicam vtilitatem promulgatum, & priuilegia Ecclesiasticorum non lædens. Ratio, quia in statuentem non sufficit iusta causa, sed præterea requiritur iurisdictio: necessitas enim, seu bonum commune cum iusta- 5

sta causa non tribuunt laicis iurisdictionem in Clericos, sicuti rectè tradunt Surdus *vol.* 1. *conf.* 2. *num.* 33. *& vol.* 3. *conf.* 301. *num.* 11. *&* 28. *& conf.* 560. *num.* 11. Menochius *vol.* 3. *conf.* 291. *n.* 25. ergò multò minus, &c.

6 Adde tertiò, quod quando Ecclesiastici non nominantur in statuto, statuentes cogi possunt, vt declarent: quod Ecclesiastici, & Ecclesia in illo non comprehendantur, ad finem vt vitetur omne periculum præiudicij: atque ita docent Ancharanus *num.* 1. Geminianus *num.* 4. Franchus *num.* 2. *in cap. fin. de immun. Ecclesiastica, in* 6. S. Antonin. 3. *part. tit.* 12. *cap.* 3. §. 5. Surdus *vol.* 3. *conf.* 301. *num.* 45. Maynardus *de priuileg. Eccles. part.* 1. *art.* 22. *num.* 31. Gueuara *in propugn. libert. Eccles. assert.* 2. §. 2. *num.* 63. & alij.

7 Quod si autem in statuto Ecclesiastici nominentur, certum est, quod statutum non valeat, lædátque immunitatem Ecclesiasticam, etiamsi in publica vtilitate fundetur, sitque fauorabile Ecclesiasticis; sicuti *suprà* dicebatur, & docent præter Doctores *suprà* citatos, Caualcanus *lib.* 3. *decis.* 33. *num.* 16. Plotus *conf.* 93. *num.* 2. Ciottus *lib.* 1. *conf.* 81. *num.* 84. Suarez *de legib lib.* 3. *cap.* 34. & contra Regem Angliæ *lib.* 4. *cap.* 16. Aponte *in respons. pro cens. Ven. fol.* 71. *& seqq.* Maynardus *de priuil. Eccles. part.* 2. *art.* 22. *n.* 46. Gueuara *in propugn. libert. Eccles. assert.* 1. §. 6. *num.* 55. *&* 58. & communiter Canonistæ, & Iuristæ *in cap. fin. de rebus Eccles. non alien. & cap. Ecclesia S. Mariæ de constit.* & ratio est, quia publica necessitas non tribuit iurisdictionem laico, vt statuat contra non subditos, vt *suprà* probabatur, & docet Baldus *in l. cunctos populos, num.* 20. *C. de sum. Trinit.* Decius *in cit. cap. Eccles. S. Mariæ de Const. n.* 7. & Felinus *n.* 18.

Confirmatur, quia alioquin absque dubio omnes leges in corpore iuris contentæ ligarent Clericos, quia omnes respiciunt publicam vtilitatem, vt rectè notarunt Bariola *conf.* 38. Collegium Bononiense *in respons. pro libert. Eccles. num.* 20. Germonius *in assert. libert. Eccles. c.* 7. Gueuara *loco supra cit.* & Fagn. *in resp. pro cens. Pauli V. f.* 65. Item possent præterea Principes in omni statuto, seu lege nominare Ecclesiasticos: ratio, quia omnis lex est propter bonum publicum, seu propter publicam vtilitatem, alioquin iusta non esset, vt communiter dicitur *in mater. de legibus.* 8

Ex dictis sequitur, quod si dubium sit, an statutum libertati Ecclesiasticæ aduersetur, & sic damnũ Ecclesiis, vel Ecclesiasticis inferat, potest Episcopus cogere authorẽ statuti, vt declaret expressè tali statuto Ecclesiasticos, & Ecclesias non comprehendi. 9

Quod si autem euidenter constet statutum esse contra libertatem Ecclesiasticã, potest, quin & debet, Episcopus præcipere, vt author statuti illud tollat (quod si tollere is recuset) debet ipse Episcopus propria authoritate illud tollere, & præterea declarare huiusmodi statutum, legem, seu pragmaticam, &c. irritam, & nullam esse, de qua re videri potest Felinus *in cap. Eccles. S. Mariæ, n.* 145. *de constit.* Sayrus *de cens. lib.* 3. *c.* 34 *n.* 17. & Alterius *lib.* 5. *disp.* 19. *c.* 16. 6. *dub.* 54. atq; hîc primi Tom. finis esto. 10

Deo Optimo sit sempiterna laus, & gloria. Amen.

INDEX

INDEX
Rerum & Verborum, quæ in hoc Volumine continentur.

Consuetu

Donatio

tant

Ecclesia.

Episcopus.

personæ

Iudex

Legatarius. Legatum.

Legatus.

Lex. Legislator.

M.

Magiſtratus.

Maior.

Mandator.

Mandatum.

Princi

R.

Regnum.

Regularis.

Res.

Reſeruatio.

Reſpublica

Rex.

FINIS.



P.


A. PANDIMIGLIO
ROMA
LEGATORIA